Claudii Galeni Pergameni opuscula aliquot, quorum sequentis paginæ index te admonebit.



PARISIIS.
Apud Simonem Colinæum.
1 5 4 6.

LIBELLORVM, QVI HOC VOLVMINE CONtinentur, index.

Hippocratis de aere, aquis, & locis libellus, Iano Cornario interprete. Galeni commentaria desiderantur. Pagina 3
Galeni de cibis boni & mali ſucci liber. 12
De attenuante victus ratione liber. 31
De ptiſana liber. 41
De paruæ pilæ exercitio liber. 45
De cognoſcendis, curandiſque animi morbis libellus. 49
De cuiuſque animi peccatorum notitia atque medela libellus. 68
De aſſuetudinibus liber. 81
Ars tuendæ ſanitatis, num ad medicinalem artem ſpectet, an ad exercitatoriam, ad Thraſybulum liber. 87
De inſtrumento odoratus liber. 112
De motu thoracis & pulmonis fragmentum. 120
Liber, in quo inquirit, an oẽs particulæ animalis quod fœtatur, fiat ſimul. 121
Liber falſo adſcriptus Galeno, An animal ſit id quod in vtero eſt. 122
De ſeptimeſtri partu liber. 129
De maraſmo ſpecie tabis liber. 132
De comate liber. 141
De cauſis procatarcticis liber 147
De vrinis liber. 165
De theriaca ad Pamphilianum liber. 171
De remediis facile parabilibus liber. 176
De remediis facile acquiſibilibus liber. 194
De facile parabilibus liber. 203
De ſubſtitutis medicinis liber. 231
Documentum de puero epileptico. 235
Liber Galeno aſcriptus de incantatione, adiuratione, & ſuſpenſione. 242
Liber de oculis. 245
De anatomia oculorum Galeno adſcriptus liber. 277
De renum affectus dignotione & medicatione liber. 280
An qualitates incorporeæ ſint. 296
De bonitate aquæ liber. 302

HIPPOCRATIS DE AERE, AQVIS ET LOCIS LIBELLVS, IANO CORNARIO INTERPRETE.

Galeni Commentaria deſiderantur.



Vicunq; artem medicam integre adſequi velit, primum quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potentia quodlibet eorum valeat: non enim ſimile quicquam in illis exiſtit: verum differunt inuicem propter varias quę in eis fiunt mutationes. Deinde ventorũ calidorúmque & frigidorum, maxime qui ex his omnibus hominibus ſunt communes, & mox qui in vnaquaque regione ſunt indigenæ & proprij. Neq; vero negligentiorem ſe circa aquarum facultates cognoſcendas exhibere conuenit. Quemadmodum enim guſtu differunt, & pondere ac ſtatione, ſic quoque virtute aliæ alijs longe præſtant. Quare ſi quis ad vrbem ſibi incognitam perueniat, circumſpicere oportet eius ſitum, quo modo ſcilicet ad ventos, & ſolis exortum iaceat: non enim æquales vires ſunt, ad Septentrionem ſitæ, & vergentis ad Auſtrum, neque eius quæ ſolem exorientem, & quæ eundem occidentem ſpectat. Hæc itaq; diligenter oportet perſcrutari, ac ſimul quo modo habeāt circa eam aquæ: númne paluſtribus vtantur & mollibus, aut duris & ex ſublimi loco prolabentibus & ſcaturientibus ex petris, ſiue ſalſis, marinis & crudis. Terra etiam conſideranda, nudáne ſit & aquis carens, aut denſa & aquoſa, & an concaua ſit & æſtuoſa, vel alta & frigida. Hominum inſuper diæta perquirenda, qua maxime capiantur: an bibuli ſint & lurcones & ocio dediti, aut exercitijs varijs vtentes, & tolerantes laborum, ciborúmque plus adpetentes quàm poculorum. Ex his enim ſingula ſunt inueſtiganda. Nam qui hæc omnia probe, quãtum fieri poteſt, cognouerit, aut horum plurima, eum non latere poſſunt cũ in vrbem etiam ignotam ſibi peruenerit, neque morbi regioni peculiares & patrij, neque communis regionis natura, quæcunque tandem ea fuerit, vt non poſſit in cognoſcendis morbis dubius hærere, aut errare ſicubi ad morborum medicationem adhibeatur. Quę ambo illis euenire ſolent, qui non prius prouidi hęc diligenter cognouerũt. Quare qui ea ſtudioſe rimatus fuerit, vniuſcuiuſque temporis, ac anni futuri conſtitutionem prædicere poterit, qui videlicet morbi communi adfectione ciuitatem ſint inuaſuri tum æſtate, tum hyeme, & quæcunque pericula vnicuique ſint timenda ex diætæ ac victus immutatione: cum enim temporum mutationes, & aſtrorum ortus ac occaſus obſeruauerit, quemadmodum ſingula horum eueniant, prænoſcet vtique & de anno, qualis ſit futurus. hoc nanque modo ſiquis rimatus fuerit ac pręcognouerit temporum occaſiones, maxime de ſingulis ſciet, vt plurimúmq; ſanitatem adſequetur, & recta via procedet, non minima artis ſuæ gloria. Quòd ſi cui hæc ſublimiora videantur, & ab hac ſententia diſſideat, is nouerit non minimã partem conferre ad rem medicam ipſam Aſtronomiam, ſed omnino plurimam. cum vnà cum temporibus & ventriculi in hominibus mutentur. Quomodo au-

tem ſingula quæ diximus ſcrutari ac explorare oporteat, deinceps dicam manifeſte. Quæcunque quidem ciuitas ad ventos ſita eſt calidos, puto autem eos qui inter brumalem ſolis exortum itidémque occaſum perflant, huic hi venti ſunt peculiares. A ſeptentrionalibus autem ventis tuta ac protecta ea ciuitas exiſtit. Aquæ vero eius multæ & ſubſalſæ ſunt, & neceſſario non ſublimes, æſtate quidem *Hic quædam deſunt* calidæ, hyeme frigidæ. * Et inteſtinorum leuitates & aqua intercus ferè reliquis morbis deſinentibus ſuperueniunt, cum non queant facile ventriculi à concepta humiditate exiccari. Si autem æſtas pluuioſa ſit & auſtro multum perfletur, ſimiliſque ſequatur autumnus, neceſſe eſt hyemem morbidam eſſe, & ijs qui pituita abundant, & qui quadrageſimum annum exceſſerunt, febres ardentes fieri veriſimile eſt: qui vero bile abundant, coſtarum abſceſſus & pulmonis. Si vero æſtas ſicca exiſtat, & auſtro perfletur, ſequens vero autumnus pluuioſus, ventis ſeptentrionalibus vigentibus capitis dolores ad hyemem expectare conuenit, & cerebri concuſſiones, ampliúſque raucedines, grauedines, & tuſſes, aliquibus etiam tabes. Quòd ſi Borealis ſit æſtas ac ſicca, neque ſub Caniculam, neque ſub Arcturi occaſum pluuioſa, confert pituitoſis natura, & maxime qui natura ſunt humida, & mulieribus. Bilioſis autem infeſtiſſimum hoc tempus exiſtit. Valde enim exiccantur, accidúntque eis lippitudines aridæ, & febres acutæ, ac diuturnæ, & bilis atra. ſiquidem quod liquidiſſimum & aquoſiſſimum in bile eſt conſumitur, denſiſſimum vero & acerrimum relinquitur: quod idem accidit ſecundum eandem rationem & circa ſanguinem, vnde repentini hi morbi his accidunt: pituitoſis autem hæc omnia commoda ſunt. Exiccantur enim & in hyemem perducuntur, ab alijs in alia reſiccati. Si vero hyems Borealis ſit & ſicca, ver autem auſtrinum & pluuioſum, æſtate lippitudines fient fortes, pueris & mulieribus febres. Hæc igitur ſi quis mente concipiet & conſiderabit, is præcognoſcet plurima omnino quæ ex huiuſmodi mutationibus ſint futura, Maxime autem obſeruare oportet magnas tempotum mutationes, vt neque medicinas in illis libentes exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem: neq; ſecemus, prius quàm prætereant dies decem aut plures, & nõ pauciores. Periculoſiſſima ſunt etiam ambo ſolſtitia, maxime vero æſtiuum. Periculoſum etiam æquinoctium vtrunq;, magis vero autumnale. Oportet autem & aſtrorum exortus conſiderare, præcipue Canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum. Morbi enim in his maxime diebus iudicantur, aliiq; perimunt, alij vero deſinunt, aut in aliã ſpeciem, aliúmq; ſtatum tranſmutãtur. Et circa hæc quidem ſicut dixi habet. Volo autem & de Aſia & Europa demonſtrare, quantum differant inter ſe per omnia, & de gentiũ formis quid diſtent, & nihil inuicem ſimile habeant. Verum de omnibus ſi quis dicere velit, in immenſum excreſceret ſermo: quare de maximis, & plurimum differẽtibus diuerſitatibus dicam, quantum ſaltem mihi in ea re eſt compertũ. Ac dico quidem plurimum differre Aſiam ab Europa ſecundum naturas omnium ex terra naſcentiũ, itémque hominum. Longe enim pulchriora & maiora omnia naſcuntur in Aſia. Eſtque regio ipſa, hac noſtra multo manſuetior, ſunt etiam hominum gentes benigniores & cultiores. Cauſa vero horum eſt temporum anni temperata miſtura. Siquidem in medio ſolis exortu ſita eſt ad auroram, à frigiditate omni remota. Incrementum autem & benignitatem inde proficiſci omnibus in confeſſo eſt, cũ nihil ſit præcellens & cogẽs violenter, ſed per omnia æqualitas vigeat, quan-

quam nō habeant vbique per omnem Asiam omnia secundum eundem modum. Quæcunq; enim in ea regio in medio sita est, calidiq; & frigidi: ea omnium fertilissima existit, & arboribus refertissima, & maxime serena, aquisq; vtitur & cælestibus & ex terra promanantibus. Neq; etiam à calore combusta est valde, neque à squalore & aquarum inopia exiccatur, neq; à frigore oblæditur. Verū austris perflatur, & irrigua est, tum propter imbres multos, tum propter niues. Fructus autem suo tempore maturos, multos in ea nasci par est, siue ex sparsis seminibus hi proueniant, siue terra ipsa per se sponte producat eorum plantas: quarum fructibus vtuntur homines, eas ex agrestibus cicures & domesticas faciētes, & pro commoditate sua transplantantes. Pecora etiam ipsa pleniora proueniunt, quæ & pariunt sæpius, & pulcherrime educantur. Quin & homines habitiores esse, ac specie pulcherrimos, & magnitudinis eximiæ, miniméque differentes quantum ad formam ac corporum proceritatem attinet, constat. Certúmque est hanc regionem proxime accedere ad naturam ac temperaturam optimæ constitutionis, verū virilitatem, laboris tolerantiam, ac audaciam non verisimile est huic naturæ innasci, Sicut neque eiusdem neque diuersi generis constantes ac perpetui sunt amatores. Vincit enim in ipsis voluptas, quæ ratio est multiformes generari partus, præcipue in feris. Atque sic quidem de Aegyptijs ac Libycis mihi habere videtur. De ijs vero qui ad dextram hyberni ortus solis vsq; ad Mæotidem paludē habitant (Hic est enim Europæ & Asiæ terminus) sic habet. Multo maior diuersitas est inter illas ipsas gentes, quàm de quibus iam dixi, cū propter varias temporum mutationes, tum ob regionis naturam, Habet autem eodē plane modo, quemadmodum & circa aliorum hominum terras accidit. Vbi enim tempora magnas mutationes faciunt & frequentissimas, illic & regio agrestis & maxime inæqualis existit, inueniásque & montes plurimos & densos, itémque cāpos, & prata, Vbi autē non valde variant tempora, illic æqualissima regio est, quod idem & de hominibus ipsis est intelligēdum. Siquis enim rectè consideret, videbit quorundā naturam, montanis syluosis ac asperis locis similem esse, aliorum vero aquosa ac exilia loca referre: sicut quidam pratorum ac paludū naturam præ se ferunt, atq; alij quorum planitiebus nudísq; ac siccis terris constitutio similis existit. Tēpora enim quę formarum naturam variant, sunt diuersa: cum ergo inter sese sint maxime diuersa, varias & multiplices formas producunt. Porrò quæ parum inter se differunt gentes relinquam, Quæ autem plurimum non natura solum, sed & legibus discrepant, de illis referam quomodo habeant, Ac primum omnium de Macrocephalis, cum nulla omnino alia gens sit, quæ similia capita habeat. A principio quidem cōsuetudo in causa fuit, vt tam longis capitibus essent. Nunc autem natura ipsa cum consuetudine conspirauit: Siquidem generosissimū apud eos putatur caput habere quàmmaxime longum: consuetudinis autem hoc initium fuit. Cum recens infans natus est, caput eius adhuc tenerum ac molle existens quàm celerrime constringunt manibus, coaptantésque cogunt in longitudinem augeri, quin & vinculis connectunt, ac aptis instrumentis colligant, quò rotunditas capitis prohibeatur, ac longitudo augeatur. Ea consuetudo tantum effecit, vt eiusmodi natura capitum existeret. Temporis vero progressu natura quoque tales produxit, vt non esset necesse consuetudine priore cogere. Cum enim semen genitale ab omnibus corporis membris procedat, à sanis quidem sanum, à morbidis morbosum, fiátque vt ex

caluis calui gignantur, ex cæſijs cæſij, & vt plurimum diſtortus diſtortum generet, eadémque ratio ſit circa reliquas formas,quid prohiberet vt nõ ex Macrocephalis Macrocephali gignerentur? Nunc autem non naſcuntur ita magnis capitibus quemadmodum prius,cum conſuetudo nõ amplius duret,per incuriam hominum intercepta.Et de his quidem hæc ſufficiant.De illis autem qui Phaſim accolunt adijciam.Regio eorum paluſtris eſt,calida,aquoſa & dẽſa: imbréſq; in eam decidunt omnibus temporibus & magni & impetuoſi. Homines vero ipſi vitam agunt in paludibus:domóſq; ligneas & ex arundinibus in ipſis aquis habẽt extructas:neque multum inde prodeunt,vt adeant vel emporia vel vrbes, Verum naviculis ex vno ligno fabrefactis permeant ſurſum ac deorſum:habent enim foſſas ac ductus aquarum plurimos.Bibunt autem aquas calidas & ſtagnantes,quæ & à ſole ſunt putrefactæ,& ab imbrium caſu auctę.Ipſéque fluuius Phaſis omnium fluuiorum ſtagnantiſſimus eſt, & qui lentiſſimo curſu profluat. Fructus autem qui illic naſcuntur omnes inſalubres ſunt, euirati imperfectíque præ multitudine aquarum,neque vnquam matureſcũt. Atq; cum multus aër cum aquis regionem occupet,ob hanc ipſam cauſam,quod ad formam adtinet, Phaſiani ſunt à reliquis hominibus longe diuerſi.Sũt enim magnitudine ingenti, ac corpulentia valde excellenti,neq; iuncturæ eorum vllæ, neq; venæ cõparent, pallidúmq; præ ſe ferunt ſemper colorem,quemadmodum qui regio ſunt obnoxij morbo:loquuntur autẽ vt ſi qui alij omnium hominum grauiſſime,nimirum aëre vtentes non ſereno,ſed obſcuro, & maxime humectato: ſunt inſuper ad laborem à natura ipſa ſegniores. Anníq; tempora non varias habent,neq; ad æſtum,neq; ad frigus permutationes. Venti autem eis ſunt plurimi, Auſtrini omnes,præter vnũ eius regionis proprium & indigenam,qui aliquando violentior ac moleſtior calidus exiſtens ſpirat,quem Cenchrona patrio vocabulo adpellant. Verum Boreas non valde ad eos pertranſit,quòd ſi aliquando ſpiret,debilis tamen exiſtit ac valde lenis.De natura ergo ac diuerſitate & forma eorum qui Aſiam & Europam incolunt,ita habet.Quòd autem timidiores, effœminatiores, ac imbelles præ Europæis Aſiani exiſtant, moribúſque manſuetiores,tẽpora ipſa anni in cauſa ſunt,quę non magnas permutationes faciunt,neq; caloris,neq; frigoris,ſed ſemper ęqualia permanẽt,vnde neq; mẽtes ſtupore percelluntur,neq; corpora fortem tranſmutationem incurrũt. A quibus veriſimile eſt irã exaſperari,cognitionémq; & calorẽ amplius excitari,quàm ſi ſemper in eodẽ ſtatu quis perſiſtat. Mutationes enim ſunt quæ hominis mentem ſemper excitant,neque ſinunt quieſcere.Propter quas ſanè cauſas imbelle vniuerſum Aſianorum genus exiſtit, atq; adhuc amplius propter leges.Multo maxima enim Aſiæ pars ſub Regibus eſt.Vbi autem non in ſua poteſtate viuunt homines, neque ſui iuris ſunt,ſed dominis ſubiecti,Ibi non multum curioſi ſunt quomodo ſe ad bellum adparent,immo magis hoc curant,vt ne bellicoſi videantur. Pericula enim eis non æqualia inſtãt. Nam hi in militiam proficiſci,laboréſq; perferre,ac mortẽ oppetere pro dominis ſuis cogũtur,relictis interim domi liberis,vxoribus, ac reliquis amicis : atque ſiquidem viriliter & feliciter bellum geſſerint dominis inde commoda accedunt, eorúmque facultates inde augentur. Verum ipſis præter pericula & cædes,nihil demetitur.Proinde neque horum hominum regionem frequenter habitatam eſſe neceſſe eſt, Immo eam propter inertiam bellicam ac ocium à pleriſq; relinqui.Vt enim quiſq; maxime à natura virilis & magnanimus

est,ita plurimum eius animus leges auersatur:cuius rei magnum indicium vel inde habere licet,quòd quicunq; in Asia Græci itémq; Barbari dominis nõ subsunt, sed iure suo degunt, sibijpsísque omnes labores lucrifaciunt, illi bellicosissimi omnium existunt.Periclitantur enim ipsi sibi, virilitatísque præmia ipsi reportant, sicut timiditatis ac ignauiæ pœnam luunt pariter. Inuenias autem & Asianos ipsos inter se plurimum differẽtes,generosiores alios,alios degeneres, quorũ omniũ causa ad temporum mutationes est referenda , quemadmodum & in præcedentibus dixi. Atque sic quidem habet in Asia. In Europa vero genus hominum est Scythicum,circa paludem habitans Mæotim, quod à reliquis gentibus maxime differt.Sauromatæ appellantur.Horum fœminę equites sunt,arcubus vtuntur,ac sagittas iaculantur ex equis,cum hostibus congredientes, dum virgines existunt, neque deuirginantur prius,quàm hostiũ tres confecerint,neq; prius maritis cohabitant,quàm sacra deo patrio more fecerint. Quòd si qua sibi virum acceperit,ab equitatu libera est,nisi necessitas cogat cõmuni expeditione omnes exarmari.Dexteram autem mammam nõ habent. Nã puellis adhuc infantibus matres æreo instrumento in hunc vsum parato, ignéq; candefacto eam auferunt, ac exurunt,ne iterum succrescere contingat,atq; vt omnis vis ac robur in dextrũ humerũ & brachiũ deferatur.Cęterũ reliqui Scythæ,quod ad formã adtinet,ipsi sibi similes sunt, alijs dissimiles.Sicut quoq; Aegyptij ipsi inter se, præterquã quòd hi à vehementi calore,illi ab intenso frigore sunt cõpressi. Verũ solitudo quæ Scythica dicitur,in planicie sita est,pratis abundans,sublimis & mediocriter aquosa. Sunt enim fluuij in ea magni, in quos aqua ex campis per riuos deducitur. In hac itaq; Scythæ degunt,qui Nomades vocantur,propterea quòd nullas habeant domos, sed in curribus habitant.Sunt autem currus ex quibus minimi quatuor rotis,reliqui sex circumaguntur.Sunt etiam luto obturati ac instar domorũ fabrefacti,aliqui simplici, aliqui etiam triplici tabulato, Vnde robur illis inest aduersus omnes iniurias aquarum,niuis ac ventorũ propellendas.Trahunt currus aliquos quidẽ boum paria duo,aliquos tria.atq; hi cornibus carent,cũ præ frigore regionis cornua eis nõ enascantur.In his itaq; curribus degunt mulieres.In equis autem vehũtur viri.Sequuntur autem simul oues,boues & equi. Tandiu deinde in vno subsistunt loco, dum sufficit ipsis pecoribus pabulum,quo deficiente in aliam regionẽ cõmigrant. Vescuntur autem ipsi carnibus coctis, bibúntq; lac equinum, comedunt etiã hippacen, id autem est caseus equinus. Hactenus ergo de victu & moribus diximus, temporibúsque anni ac formis,quę à reliquis hominibus longissime sunt Scythiæ genti diuersæ.Ipsa enim sibi inter se gens similis existit,quemadmodũ & gens Aegyptiorum.Minime autem fœcunda ea gens est, regióq; ipsa minimas feras enutrit,neque numero,neque specie insignes.Sub ipsis enim Vrsis Rhiphæísq; montibus sita est,vnde Boreas spirat,Sólque ipse supremo æstiuo solstitio deficiens proxime accedit, ac tum quidem exiguo tempore calefacit. Neque vero venti à calidis locis spirantes valde ad eam regionem penetrant , nisi parumper & debiles. Verum ab Vrsis venti procedẽtes sunt illic perpetui frigidi, à niuibus, glacie,imbribúsque condensati. Qui nunquam à montibus decedunt , vt propterea etiam inhabitabiles fiant. Aérque ipse totum ferè diem nubilus campos occupat. Ipsi vero in humidis locis degunt . Et ferè perpetua est ipsis hyems , æstas autem paucissimis diebus, atque illis non valde multa. Sunt enim planicies eminen-

tiores, & nudæ, neque vllis montibus circumseptæ, sed ferè sub ipsis Vrsis acclíues. Neq; ferę nascuntur illic magnę, sed quales possibile est sub ipsa terra contegi. Prohibet enim hyems & nuditas terræ, quæ & diuerticulis & vmbraculis caret, propter temporum anni mutationes, neque multas neque fortes, sed similes semper, vel parum admodum diuariantes. vnde & formas corporũ inter se similes habent, cum eodem vtantur victu & amictu, æstatis & hyemis tempore, attrahántq; aërem aquosum, condensatum, aquam insuper bibentes à niuibus & glacie resolutam, nullo etiam corporis exercitio accedente, cum nõ verisimile sit corpus aut animum vllis exercitationibus apta fieri, vbi nõ mutationes temporum fiunt fortes. Propter quas causas formæ eorum sunt crassæ & carnosæ. Iuncturæ vero humectæ & inefficaces: ventriculíque humidi omnes, maxime omnium tamen inferior aluus, Nequit enim ipsa exsiccari in eiusmodi cũ regionis, tum naturę & temporis constitutione. Sed pinguedine & nuditate carnis formæ inuicem sunt similes, masculorum masculis, & fœminarum fœmellis. Tempora enim cum sint inter se similia, nullas corruptiones, neque malignitates inferũt in seminis genitalis misturam ac compactionem, nisi quiddam aliud fortuito vel casu contingat, aut à morbo. Magnum autem argumentum humiditatis corporum Scytharũ hoc exhibebo. Multos enim ipsorum, præcipue qui Nomades sunt, reperias exustos humeros ac brachia habentes manuúmque iuncturas, pectora, coxas, & lumbos, nullam sanè aliam ob causam, nisi ob humoris detractionẽ & naturæ molliciẽ. Nam neque arcus intendere, neque telum torquere possunt prę impotentia humiditatis humerorum: cum autem vrũtur, humor ipse à iuncturis exoluitur, fiúntque corpora ipsorum validiora, melius nutriuntur, & magis redduntur articulorum vsu potentia. Fluida vero fiunt ac lata, primum propterea quòd fascijs non colligantur, quemadmodum fieri solet in Aegypto. Deinde quòd non adsuescunt ad equitationem, quò equorum insessores fiant. Postremum etiam propter desidiam perpetuam. Masculi enim eorum antequam potentes fiant equos conscendere, atque in illis vehi, plurimum temporis desident in curribus, raróque prodeunt vt inambulent, propter exilia ac perpetuas circulationes. Muliebrium autem corporum formæ ad miraculum vsque fluxæ existũt. Porrò Scytharum gens fului valde coloris existit propter frigus ingens. Non enim vehemens accedit ad eos sol, à frigore vero albedo exuritur & fit fulua. Neque vero possibile est fœcũdam esse eorum naturam, cum viri minime cupidi sint cum fœminis commisceri, ob nimiam corporis liquiditatem, ventrísque mollitiem ac frigiditatem, quæ causæ adparent minime viros ad coitũ incitari. Accedit his lassitudo ex cõtinua equitatione contracta, quę eos ad commistionem reddit impotentiores, atque hæ sunt causæ cur viri infœcundiores putentur. Mulieres autem pinguedo carnis & humiditas steriles facit, præ quibus vteri earum genitale semen nequeunt continere. Lunares nanque purgationes eis nõ eueniunt quemadmodum est necesse, sed minus & intempestiue. Ipsúmq; amplius vteri os prę pinguedine cõcluditur, vt nequeat semen suscipere. Sunt enim ociosæ, & pingues, ventrésq; earum frigidi & molles. Vnde necessario sequitur non multũ fœcundã Scytharũ gentẽ esse. cuius rei ancillæ eius gentis indicium exhibent. Nam hæ viris misceri plurimum gaudent, in vteróque conceptum continent, propter corporis exercitium frequens, carnísque gracilitatem. Amplius autem plurimi Scythę eunuchi fiunt, & muliebria officia obeũt, in-

ſtárque fœminarum omnia faciunt,& loquuntur, vocantúrque hi effœminati. Et regionis quidem incolæ cauſam ad deum referunt, colúntque hos ipſos homines & adorant, ſibijpſis timentes nequid tale accidat. Mihi vero hi affectus diuini quidem eſſe videntur, ſicut & reliqui omnes, neque vllum aliquem alio eſſe diuiniorem aut humaniorem, ſed diuinos omnes,verum vnus quiſque eorum ſuam propriam habet naturam, neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat, vt mihi videre videor, narrabo. Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt dolores: nimirum propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus. Deinde claudi fiunt, contrahuntúrque vertebræ cum inualuerit morbus. Medicantur autem ſibijpſis hoc modo, A principio morbi vtranque venam retro aures incidunt, quo facto ſanguine multo promanante, ſomnus eos corripit præ imbecillitate,ſicque obdormiſcunt:quorum quidem aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui vero minime. Atque mihi ſanè videntur ea medicatione ſeipſos perdere. Venæ enim retro aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferũt his quibus ſecantur: quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Quando igitur poſtea vxores adeunt,impotentéſq; ſe factos vident cum illis coire, primum quidem nihil moleſtius cogitantes quieſcunt, cum autem bis aut ter,aut amplius fruſtra opus tentarunt,neque quicquam proficiunt,mox putant ſe deum offendiſſe,in quem culpam reijciunt. Induúntque ſe veſte muliebri, palàm ſe euiratos eſſe confitentes, ad mulierúmque contubernia tranſeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditiſſimi Scytharum afficiuntur, minime vero infimi. Immo qui maxime & genere & potentia præualent, ex nulla alia quàm continuæ equitationis cauſa, hoc perpetiuntur. Pauperes vero minus, cum non multum equitent. Vnde ſi hæc affectio alijs diuinior cenſenda eſſet,non nobiliſſimis, non ditiſſimis Scytharum ferè ſolis accideret: ſed eſſet omnibus æqualiter peculiaris. Immo magis inuaderet pauperes circa cultum deorum negligentiores,ſi ſaltem gaudent dij in hominum admiratione conſtitui,& pro hoc beneficia hominibus retribuunt.Diuites enim ſæpius dijs ſacra faciunt, victimas offerunt,colúntque,cum pecunijs abundent:pauperes autem minus id faciunt,cum non habeant. Quinetiam aliquando deos deteſtantur, qui eis opes non ſuppeditent,vt veriſimilius eſſet, pauperes ac parum abundantes hoc malo propter crimina ſua puniri, quàm diuites & qui opibus abundant. Verum ſicut & prius dixi, diuinus quidem hic affectus eſt, ſecundúmque naturam accidit ſimiliter vt alij omnes, neque alia eius cauſa quàm ea quam dixi, Scythis exiſtit. Simili autem modo & reliquis hominibus euenit. Vbi enim frequenter & continue homines equitant: ibi plurimi à diuturnis doloribus vertebrarum maxime & pedum corripiuntur,ad coitúmque fiunt impotentes,quæ omnia mala Scytharum genti adſunt. Atque propterea Scythæ omnium hominum minime ſunt ad coitum valentes. Et quòd humoris detractiones ex peruſtione cauteriorum ſemper habent, & plurimum temporis in equis deſides degunt,vt neque manu tractare pudenda liceat,atque præ frigore & dolore,voluptatis ac iucunditatis coeundi obliuiſcantur,neque prius aliud ſibi faciendum putent,quàm vt euirati fiant. Hactenus ergo de Scytharum gente recenſui. Reliquum autem in Europa hominum genus valde inter ſe diſſimile eſt & diuerſum, tum quod ad magnitudinem attinet,tum quod ad formam, atque id propter temporum mutationes contingit apud eos

magnas & frequentes. Sunt enim eis calores vehementes, & hyemes fortes, pluuiæ multæ, rurſúmque ſiccitas diutina, & venti plurimi, ex quibus multæ & omnimodæ fiunt tranſmutationes. Neq; à vero diſcrepat circa generationem has ipſas mutationes ſentiri, ínq; ſeminis genitalis coactione aliam, neque ex eodem etiam eandem, æſtatis pariter vt hyemis, pluuioſo vt ſicco tempore, progigni. Eáque cauſa eſt, cut putem Europæos magis quàm Aſianos ſecundũ corporum formas inter ſe diſcrepare, & magnitudines diuerſiſſimas in ſingulis adeo vrbibus prouenire. Plures enim corruptiones contingunt in ſeminis coactione, cum tempora frequenter variant, quàm ſi eadem ſunt & ſimilia. Eadem autem morum ratio in vtriſque exiſtit. Feritas, integritas, & audacia à natura Europæis innaſcitur. Frequentes enim mentis perpulſiones feritatem inducunt, manſuetudinem contra & benignitatem extirpant. Quare etiam magnanimos magis eos qui Europam incolunt Aſianis iudico. Siquidem ſimilitudo & æqualitas ſegnitiem parit. Mutatio autem & animum & corpus ad exercitationem excitat. Augetur itaq; à deſidia & ocio timiditas. Ab exercitio vero & laboribus creſcit virilitas. Vnde bellicoſiores quoque Europæi extant, non ob hanc ſolum cauſam, ſed & propter leges. Non enim regibus obediunt quemadmodum Aſiani. Vbi enim ſub regibus viuitur, ibi neceſſe eſt homines timidiſſimos eſſe, quemadmodum & ſupra oſtendi. Seruitute nanq; animi eorum preſſi non libenter, neq; volentes temere pro alijs ſe periculis exponunt. Europæi autem ſuo iure viuentes, cum pro ſeipſis pericula belli ſubeant, magna cupiditate feruntur, volentéſque ac alacres difficultates omnes adgrediuntur, ipſíq; ſibi ex re bene geſta præmia reportant, vt certum ſit leges plurimum ad magnanimitatem conferre. Tota itaque & vniuerſa res de Europa & Aſia ſic, vt retuli, habet. Cæterum Europa ipſa adhuc habet gentes inuicem differentes, non magnitudine & forma ſolum, ſed & magnanimitate. Quæ vero in eis hanc diuerſitatem faciant, in præcedentibus dixi, dicámq; amplius, magis manifeſte. Quicunq; regionem montanam, aſperam, nudam, & aquoſam incolunt, his mutationes temporum contingunt magnæ & diuerſæ, vnde & hominum formas magnas progigni conuenir, qui & ad laborem & ad viriliter agẽdum à natura præſtent, quibúſque feritas & immanitas non mediocriter à natura ſint congenita. Qui vero loca concaua, pratenſia, & æſtuoſa habitant, ventóſque calidos plus ſentiunt quàm frigidos, & aquis vtuntur calidis, hi magni quiqem eſſe non poſſunt, neq; bene compoſiti & longi, ſed in amplitudinem à natura producti carnoſi ſunt, & capillis nigris. Imò & ipſi toti nigri magis quàm albi, & qui minus de pituita habeant quàm de bile. Virilitas autem & tolerantia laboris non æque ipſis à natura ineſt, niſi conſuetudo accedat, & hæc in eis efficiat. Quòd ſi flumina extent in ea regione, quæ ſtagnantes & pluuias aquas euehant, homines ipſi incolumes ac ſplendidi viuent. Si vero flumina deſint, aquáſque puteorum ſtagnantes & olentes bibant, neceſſe eſt ab illis ipſis aquis & ventrem lædi & ſplenẽ. Quicunque autem altam habitant regionem, planam, ventis expoſitam, & aquoſam, eorum formæ magnæ, ac inuicem ſimiles, & erectæ. Animi quoque eorum exiſtunt manſuetiores. Qui vero macra, aquis carentia, & nuda loca tenent, & quæ temporum mutationibus non ſunt permiſta, horum conſtitutiones neceſſe eſt eſſe aſperas, & intentas, flauas magis quàm nigras, mores etiam eorum rigidi ſunt, pertinaces, & contumaces. Vbi enim mutationes temporum contingunt

frequentes,& plurimum inter ſe diuerſæ,ibi & formas,& mores,& naturas reperias plurimum differentes. Temporum itaque varietates potiſſimæ ſunt quæ naturam ipſam permutant. Deinde etiam regio in qua multæ variationes fiunt. Poſtremum autem aquæ. Inuenias enim ferè ſemper & formas hominum & mores regionis naturæ compares. Nam vbi terra craſſa eſt, & mollis, & aquoſa, aquæ autem valde ſublimes,ita vt æſtate calidæ ſint, & hyeme frigidæ,& temporum ratio aliàs probe conueniat, Ibi & homines carnoſi, articulis non adparentibus,humidi,laboris intolerantes,& vt plurimum maligni naſcuntur. Segnitiéſq; & ſomnolentia eis ineſt multa. Súntque ad artes tractandas craſſi, non acres aut ſubtiles. Vbi autem regio eſt nuda, natura munita,& aſpera, quæque & à frigore hyberno prematur, & à ſole æſtiuo exuratur, ibi duros, & graciles, & articulis probe diſtinctis, intentóſque, & hirſutos reperias homines, & in quibus à natura laboris tolerantia, & vigilantia inſit. Quíſque mores habeant pertinaces, ad iram procliues, & contumaces, magíſque feritate participantes quàm manſuetudine. Inſuper ad artes etiam acutiores & plus ſolertes, & ad res bellicas gerendas aptiores. Quin & omnia quæ è terra proueniunt, terræ ipſius naturam reſipiunt & ſequuntur. Atque hactenus quidem maxime cõtrarias corporum naturas & formas diximus,è quibus coniectura facta, ſi quoq; reliqua conſideraueris, nunquam à vero aberrabis.

Hippocratis de aëre, aquis & locis libelli finis, Iano Cornario interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE CIBIS BONI ET MALI SVCCI LIBER,

Ferdinando Balamio Siculo interprete.



Nnonæ caritas aſſidua, quæ non paucos abhinc annos multas nationes Romano Imperio ſubditas afflixit: ijs qui non omnino rudes imperitiq; ſunt, planè ſignificauit, quantã vitioſi corporis ſucci (Græci cacochymian dicunt) ad gignendos morbos vim habeant. Nam qui intra vrbes degebant (ſicuti moris eſt) dum ſibi æſtate pararent, quæ in proximum annum victui ſuffectura eſſent, vniuerſo ex agris frumento hordeóq;, fabis lentibúſq; aſportatis, cereales reliquos fructus quos legumina & chedropa appellant, eorũ etiam parte in vrbes aduecta, agricolis relinquebant. Quæ cũ illi per hyemem conſumpſiſſent: mali ſucci alimẽtis toto vere veſci coacti ſunt. Teneris nanq; fruticibus, arborúmq; germinibus, & extremis ramulis, tũ bulbis, & mali ſucci plantarũ radicibus alebantur. Agreſtia quoq; olera, & quicquid ſors illis vberius obtulerat, vtpote herbas ferè omnes virẽtes decoctas, quas nemo vnquam prius deguſtauerat, ad ſatietatem ſemper edebant. Ea propter cernere erat nõnullos vltimo vere, ſed ferè omnes ineunte æſtate, multimodis variíſq; per cutim vlceribus laborãtes. Ex his nanq; alia eryſipelatωde, alia erant phlegmonωde, alia ad herpetis ſimilitudinẽ ſerpentia, nõnulla impetiginẽ, vel ſcabiẽ quaſi, & lepram referre videbantur. Sed ex his quæ ſeſe mitiſſime per cutim extulerunt, vitioſos humores ex viſceribus, & imis corporis partibus extraxerunt. Cúmq; nõnullis inſtar carbunculi, aut phagedænæ cum febre acciderent: multos quidem longo tempore ſuſtulerunt: víxq; pauciſſimi ita affecti mortis periculũ euaſerunt. Quinetiam febres permultæ abſque cutis vlceribus fiebant, quæ alui deiectiones grauiter olentes, mordacéſq;, ac poſtremo inteſtinorũ tormina, aut inanẽ egerendi voluntatem, (quæ tineſmos græce dicitur) afferebant. Vrinæ etiam cũ acritudine & graueolentia veſicam in nõnullis vlcerabant. In alijs quoq;, vel olido febres ſudore, vel abſceſſibus putredinem contrahentibus iudicabantur. At quibus ex his quæ ante diximus, nihil accidit, omnes vel aliqua ex extis euidẽti phlegmone correpti, vel ex vehementi prauáq; febre interiere. Cum autem morbi initio medici nonnulli perpaucis venam incidere auderent, (neq; enim abs re ab eius generis remedio abſtinebant, quandoquidem prius ægrorũ vires reſoluebantur) miſſus quidem ſanguis, non adeo probatæ bonitatis ſpectabatur, qualis ex ſalubri corpore mitti ſolet: ſed vel igneus magis, vel atrior, vel ſeroſior erat, vel acer, & eam ipſam diſſectam venam dum flueret pungens, vt ęgre inde ad cicatricẽ coiret. Nonnullis præterea, præcipuéq; morituris ea cum febribus acciderunt, quæ menti vel vigilijs officerent, vel ſopore, Græci cataphoran vocant. Sed nec mirum fuiſſe contrarios morbos ſymptomatáq;, quibus tunc illi corriperentur, cũ non modo natura aut ætate inter ſe inuicémq; differrent ſed victus quoq; ratione: quo varie & contrarias vires habente, ſuperiore victus inopia vſi ſunt. His enim rebus quarũ cuique copia erat, veſcebantur, quæ cum diſſimiles variæq; eſſent: eas nonnulli ſumebant,

quæ vel acido,vel acri,vel amaro,ſalſóve ſucco forent:alij quę auſtero,aut tenaci, aut adſtringendi,vel refrigerandi, vel egregie quidem humectandi vim obtinēte, aut quæ veneni participes extitiſſent.Ipſe enim nonnullos inſpexi ab eſu fungorū protinus interiiſſe:alios ab eſu cicutæ,aut ferulæ:ex hiſq; ægre perpaucos mortis periculo liberatos.Cunctis ergo hominibus conſiderate & cū ratione viuentibus, illud erat perſpicuū,qua ſcilicet ratione exteriores vlcerationes multifariā ſe habent, (multiplices quidē diuerſæq; ſunt tumorū ſpecies:alius nanq; phlegmonωdes : alius eryſipelatωdes:alius præ duritie ſcirrhωdes: alius œdematωdes efficitur) eadē ratione eiuſdē generis affectiones nonnullis in profundis partibus quas principales dicimus,fieri etiā poſſe. Sed illi duntaxat perperā ſentiunt,errántq; qui ab Hippocratis doctrina quę de humoribus habetur,diſcrepant. Audent enim cuilibet rei potius q̄ ipſis humoribus cauſas aſſignare. Veruntamen horū nōnulli mihi clàm retulerūt,ſe quidē apertiſſime agnoſcere,quòd cōtentioſe & altercādi ſtudio Hippocrati aduerſantur,cenſētq; humores ad ſecundam vel aduerſam valetudinem neq; boni neque mali quicquam afferre. Sed eos pudet ætate iam confectos, quinquaginta poſt annos, in Hippocratis ſententiam deſcendere,eámq; approbare & ſequi. Nanq; hoc pacto (vt aiunt) nō ijs tantū qui ab illis eruditi inſtructíq; ſunt:ſed ijs quoq; qui illorum conſuetudine operáq; vſi ſunt,obfuiſſe viderentur. Adde quòd à pleriſque ceu vera dogmata profeſſi,honore afficiuntur:quæ ſi prauitatis plena,& non recta eſſe faterentur, longe alijs imperitiores haberentur,nemóq; in poſterum,vt antea,illorū operam ſtudiúmq; requireret.his ergo,vt ratio poſtulat, ignoſcendum à nobis eſt:neq; horū propoſitū damnandum,ſed vnà ipſi etiam infelicitatem eiuſmodi doleamus,cū prius quàm de ijs quæ didiciſſent ferre iudicium poſſint,in peſſimos præceptores inciderint : verū illi odio digni,qui primum honoris & gloriæ cupiditate impulſi ſectas dogmatum inſtituerunt.neque enim inuiti errant,ſed ſponte hominibus imponere ſtudent,qui cum illis familiarius verſantur:cum nemo eò dementiæ deuenerit,vt neſciat quàm malum ſit humores corporis in venenoſas qualitates conuerti.Nanq; illi quorū cauſa hæc ſcribimus,difficile, vel omnino fieri non poſſe arbitrantur, vt hauſtu letalium venenorum pereuntes,ſecerni dignoſcíq; ab ijs poſſint,qui ab aliqua corporis affectione periere. Neq; enim (quod planè perſpicimus) inficias ierit quiſpiam,ob humorem ſcilicet quem venenata animantia in ictam particulam infligunt,vel illam celeriter vita priuari,vel in putredinē labi,vel doloribus vehemētiſſimis,aut phegmone vrgeri, nec non ſcorpionem ieiuni hominis ſputo bis térve aſperſum protinus interire. Nam ſicuti naturæ quædam cum alijs quoq; naturis conueniunt, ſic altera quoque alteri aduerſatur, eámq; corrumpit. Ab ijs ergo alimur quæ naturæ noſtræ accommoda ſunt: quæ illi aduerſantur, nos quidem ad perniciem ducunt.Sed de his copioſius in libris De naturalibus facultatibus,déq; ſimplicibus medicamentis diximus.cæterum ad præſentis operis cognitionem,ea tantum referre ſit ſatis quæ ipſe ſterilitate annonæ obſeruaui. Quòd ſi mihi fidem adhibere volueris,nulla quidem cauſa ad mentiendum impulſo,ſed ægre admodum ferenti,quòd plerique falſiſſima ſcribant, quæ longo ſunt experimento ad hunc vſque vitæ diem à me cognita,deos quoq; ad hæc teſtes implorans,recēſebo. Pater meus geometriæ,architectoniæ, aſtronomiæ, arithmeticæ, logiſtices ſtudijs plurimum valuit:maximéq;, omnibus quibus erat notus,ob ipſius iuſtitiam,modeſtiam,bo-

nitatem vt quiuis ex philosophis, admirationi fuit. Is cum puer ipse adhuc essem, eam mihi victus rationem instituit, vt nullis per id tempus obnoxius morbis vixerim. Vbi vero adolescentiam sum ingressus, ille in agrum, rei rusticæ studiosus concessit, ego vero doctrinæ studijs ardentius quàm cæteri condiscipuli die noctúq; operam dabam. Sed cum per totum id tempus, quod opωran vocant, hωræis, hoc est temporarijs vel fugacibus fructibus vnà cũ æqualibus meis vberius vsus essem, adueniente autumno, acuto morbo correptus sum, venámq; incidere opus fuit. Cúmq; ergo in vrbem Pater reuerteretur, ad me obiurgandum se conuertit, eiúsq; generis victus admonuit, quo eodem suadente, vsus antea fueram, vtq; ab illo in posterum minime discederem, vitarémq; sodalium incontinentium consuetudinem præcepit: Tum sequenti etiam anno operam curámq; adhibuit vt sobrie viuerem, atque hωræos fructus cum moderatione gustarem. Atque ita in eo anno qui erat ætatis meæ duodeuicesimus, incolumis vixi. Sed cũ altero deinde anno Pater excessisset è vita, ipséque vnà cum eiusdem ætatis amicis opωræ fructus ad satietatem sumerem, in ægritudinem superiori consimilem incidi, vt tunc quoque sanguinis missione opus esset. Deinde vero vel singulis annis, vel alternis nõnunq̃, ad octauum vsque & vicesimum annum morbo aliquo laborabam. Cúmq; tunc temporis periculum esset, ne ea pars mihi, qua iecur septo transuerso annexum est, abscessu corriperetur, ab esu horæorum omnium mihi penitus abstinendum proposui, exceptis ficubus vuísq; omnino maturis, quas neque intemperanter vt antea, sed cum moderatione sumebam. Quam sanè victus rationem, cum quidam ex sodalibus natu me duobus annis maior cõprobaret. curam ambo adhibuimus, vt exerceremur, cruditatésque omnino vitaremus, ob ídq; ad hãc vsque diẽ multos iam annos incolumes viximus. Reliqui vero ex amicis, qui me hortante exercitatione vsi sunt, moderatéque cibum sumpserunt, recte omnes semper valent, sed alij quidem à quinto iam & vicesimo, alij ab aliquanto paucioribus annis, vt cuique scilicet persuasum est, hωræos fructus, cibósq; alios mali succi vitari oportere. De quibus in hoc opere à nobis agendum est. Siquis ergo poterit ante cibũ exerceri, haud sanè exquisitis admodum cibis vtatur. Cui vero negocia & occupationes impedimento sunt, non modo huic probato innoxióque victu, sed salubribus quoque medicamentis opus est. Pleriq; enim in eo vitæ genere constituti sunt, vt cum neque ante cibum probe exerceri, atque aptis temporibus cibum sumere, neque efficere idoneam concoctionem valeant, quin morbo aliquo afficiantur, fieri non possit, nisi per quædam temporum interualla alui deiectiones præparent. Egent quoque interdũ validiori vacuatione, opportunáq; sanguinis missione. Quædam præterea salubria medicamina accõmodatis temporibus sumenda sunt. His ergo in primis hanc victus rationem, ex qua probatissimus sanguis gigni possit, describimus, qui quiete vitam agunt, neque ad fores potentissimorũ ciuium ante lucem accedere, aut necessarijs occupationibus adstricti, vbi nimium sudarint inalgere, itémque nonnullis dum lauantur assistere, eosdémque domum reuertẽtes deducere, atque etiam celerrime, vbi ipsi lauacris vsi sunt, ad cœnã sese recipere coguntur. Post hæc enitendum à nobis est, vt quædam his etiam præcepta tradantur, qui inquietam, ac negocijs deditam vitam agunt. Qua in re meminisse opus est, quæ tribus commentarijs De alimentorũ facultate scripsimus. Cibi itaque probati succi sunt, ex frumentaceorum genere, Panes mundissimi, probéq;

confecti,adhibita prius maceratione,debitáque fermẽtatione,addito etiã sale, & in clibano decocti, mox furnacei. Alica verò,sicuti & suilla caro, si exactè in ventriculo cõcoquantur,tum in sanguinem à iocinore cõuertantur, probatissimos humores gignũt,sed glutinosi aliquid in se habẽt,ob idque in iis iecur obstruũt, & renes,quibus hæc à natura adstrictos meatus habent. Horũ quoque vsus vberior in supradictis particulis,vel grauitatẽ,vel dolorẽ nõnũquã facit. Adde quòd iocinoris obstructiones cõcoctũ cibũ in diuersas corporis partes reddi prohibent (id anadosin Græci vocant.)Quinetiam in venis quæ per cauas ipsius partes,vel per mesaræon sitæ sunt,redundans humor periculũ affert,ne vel putredinẽ contrahat,vel eæ ipsæ particulæ in quibus congeritur,phlegmone lædantur. Necesse est enim crudos crassósque humores,vel cõcoqui vertique in sanguinem,vel in putredinem labi,nõ secus ac quæ calidis in locis diutius manserint. Quamobrẽ inuenta à medicis medicamenta sunt quæ salubria appellantur, tenuãdi scilicet vim habẽtia. Ea nanque adstrictos meatus obstructionibus liberant,ac siquid lẽti humoris infixũ vasis hærẽnsque fuerit,abstergũt, crassásque humiditates attenuãt ac dissecãt. Quòd si iis quispiã vberius vtatur,ea vel serosum,vel biliosum, vel melancholicũ procedẽte tẽpore efficiũt sanguinẽ. Nãque eius generis medicamẽta vt propè dixerim omnia,nõ modo tenuãdi incidendíque facultatẽ habẽt, sed immodice etiã calefaciẽdi:ob idque & solida exiccãt mẽbra, crassũmque humorẽ reddũt,quo in renibus asso calculi gignũtur. Optima itaque corporis cõstitutio quæ tẽperatissima est,meatus per quos humor fertur,patentiores habet. ac fieri quidẽ potest,vt corpus eiusmodi bene semper se habeat,dũmodo quantũ sit satis,ante cibum exerceatur,præcipuéque vbi crassi succi cibos liberalius assumpsit,qualis alica(vt diximus)habetur,& suilla caro,panísque furnaceus,aut in clibano minus probè decoctus,neque ea cura & diligentia confectus,quã paulo antè recensuimus. Tragus ex frumẽtacei generis alimentis eiusdẽ cum alica naturæ est,verũ ægrius in ventriculi concoctione,quàm alica ipsa conficitur. Ad hæc quoque propè accedunt ouorũ vires, naturáque,de quibus non secus ac de lacte multa distinctè dicẽda sunt,quæ accurate nobis in operis progressu paulo post referentur. Sed quẽadmodũ prius formulã quasi quandam alimentorũ descripsimus, quæ boni malíque & glutinosi succi sunt:sic eorum quoque à nobis mẽtio facienda est,quæ quodã quasi examinato modo se habẽt, mediáque naturaliter inter crassæ ac tenuis materiæ cibaria sunt. Quæ alibi etiam in libro de extenuante victu diximus. Sed plura ex his quæ tenuis materiæ sunt,medicamina potius, quàm alimẽta à nonnullis appellãtur:at quæ glutinosos crassósque humores gignunt,si probè in ventriculo cõcoquantur,bonúmque in iocinore sanguinẽ efficiant,maxima ad nutricandũ efficacia sunt. Cibi autẽ nulla omnino ex parte dãnandi,neque tenues,neque crassi sunt,sed veluti in symmetria,omnísque excessus mediocritate consistunt. Eius generis panes optimi habentur, quorũ confectionẽ libro de facultate alimentorum primo scripsimus : præterea ex gallinaceorũ genere fœminæ quidem & mares: ex auibus phasiani,perdices, attagenes,colũbæ,merulæ,turdi,turtures,passerculi omnes: pisces itẽ saxatiles,pelagici,littorales,gobii, murenæ,buglossi, aselli,& simpliciter pisces omnes, qui neque insuaue,neque mali odoris,neque glutinosum quicquam gustu repræsentent. Sed ad horũ naturã explicandam multa quidẽ distinctè dicenda essent,quæ vbi de mali

succi cibis mētio à nobis fiet, enarrabimus. Sed quædā prius addēda quæ desunt. Quisquis enim exercitatione multa vti, somnóque ad satietatem potest, eámque sibi vitæ rationē delegit, quæ publicis negotiis forésque labore minime impeditur, is sanè crassi lētique succi cibis vesci potest, ac tū præcipuè, cū horum vsus frequētior parti hypocōdriorū dexteræ nihil vel grauitatis vel tensionis afferat: cui autē ætas, aut cōsuetudo obstat, quin exerceri ante cibū possit, eius generis victu quē diximus, omnino abstineat, qui inertē penitus & otiosam vitā agit, eius modi etiā cibos vitet, sed vel suspensus agitetur, vel deambulatione validioris exercitationis loco vtatur. Ad sanitatē enim tuendā, si corpora moderate exercentur, mirū in modū prodest: at cōtrà quies & otium diuturnū maximo illis nocumento est. Neque enim morbo quisquā corriperetur, si accurate obseruaret, ne in cruditates incideret, aut vehementer post cibū exerceretur. Nā sicuti bonæ valitudini ante cibū exercitatio maximū affert commodū, sic qualiscunque sumpto cibo motus noxius admodū est. Alimentū enim ex ventre ante cōcoctionē in diuersas corporis partes distribuitur: proptereáque crudi humoris copia per venas aggeritur, quæ multiplices morbos affert, nisi aut multis laboribus is humor dissoluatur, aut à iocinoris venarúmque facultate cōcoctus, versúsque in sanguinē fuerit. Quare qui tuendæ tantum sanitati, non sicuti gymnasticæ dediti bonæ habitudini student, iis tenacis malíque succi cibos vitare tutissimū est. Deinceps ergo quæ hactenus de crassi succi cibariis dicta à nobis nō sunt, recēseantur, rursúsque à pane ipso ordiamur. Is enim siquod fermēti & salis sit, satis minime in se habet, partímque maceratus, neque quā deceat in clibano cocturā adeptus fuerit, crassum quidē succum nōnihil in se tenacis habentē gignit, quē Praxagoræ ac Philotimi sectatores glutinosum dicerē soliti sunt. Caseus omnis crassi, vetus mali etiam succi est, recens verò succi prauitate caret. Crassities autem cū lentore non in omni est caseo, cum lactis ex quo gignitur, tum animaliū, tum pabuli varietate nō paruum discrimen fit. Caprini lactis vsus frequens apud nos est, apud alios bubuli. sæpe etiā & ouillo vtuntur, sed crassitiē in se habet, atque idcirco asinino est cōtrariū bubulum pingue. Caprinum inter cætera lactis genera moderate se habet, cū nōdum admodum pingue crassúmque sit, ob idque mediū quoque esse cēsetur, quod in corporibus nostris præstat. Lac enim quod serosum est ac tenue, minus nutrit, aluū magis deiicit: cōtrà crassius aluū minus deiicit, magísque nutrit. Cōstat enim lac omne ex triplici dissimilíque substantia: prima quidē serosa & tenui, altera crassa, & ad caseum faciendū accōmodata, tertia oleosa & pingui: quæ sanè nō itidem animantia omnia præstant. Nam camelinum, asininúmque serosi humoris plus habet, plus casei ouillum, plus pinguitudinis bubulum. Capellæ verò inter cætera animantium genera mediocritatē adeptæ sunt, rursúsque inter se inuicēmq; collatæ alio quàm diximus modo differre videntur. Neque enim harum parua discrimina sunt, ab ætate, à pastionibus, ab anni tēpore, ab eo ipso spatio quo à partu ædito distāt: quæ abūde tertio de facultate alimētorū libro diximus. Nūc verò id tātū referre sit satis, caprinū lac sine melle sumptū periculosum esse. Plerisq; enim qui purū illud hauserūt, coactū est in vētriculo, in speciē casei: quod quidē quū accidit, mirū est quàm aggrauet hominē, ac strāgulet. Maiori quoq; admirationi est, cū in cuiuspiā vulnus, vel in vētrē, intestinúmve aliquod sanguis in grumos cōpactus defluxerit. Nāq; is frigore exoluitur, ac penè exani-

matur,pulſúſque imminuitur,& male ſe habet.Quin & huiuſmodi ſanguis ſeſe in vulnera inſinuans facit, vt partes illi proximæ protinus putredinem contrahant. Sed cur is humor inter omnes alios corporibus noſtris accommodatiſſimus vbi frigefactus eſt,huiuſmodi pathemata inuehat,nō paruam certe inueſtigationē requirit.Ex his enim planè perſpicuum eſt, quantam vitioſi ſucci qualitates vim habeant,quas ſanè tāquam parui momēti,quidam noſtræ huius ætatis medici aſpernantur:eóſq; ſequuntur,qui ita ſentiendum eſſe primum commēti ſunt. Eam ob cauſam lac vbi ſumunt nonnulli,ne in ventriculo coaguletur,mellis,aquæ, & ſalis nōnihil admiſcent.Ad bonos autem humores gignēdos ex ijs animantibus lac probatiſſimū habetur,quæ bono corporis habitu ſunt: ídq; vbi emulctum fuerit, ſtatim hauriatur.Abundantius vero coctum ſatis craſſum ſuccum præſtat,præcipuéq; ſi vel farinā triticeam,vel milium,vel amylum cum eo decoxeris.Caſeus omnis craſſi,vetus mali etiam ſucci eſt,recens vero & modo coactus deijciēdæ alui gratia ante cibū cum melle ſumitur,ſuccíq; minus q̄ vetus craſſi eſt,nūquam autē mali.At quod ex lactis concretione defluit ſerum,aluum egregie mouet.Quæ ex lacte & caſeo placenta conficitur,craſſi ſucci alimoniam præſtat,propter eáq; iocinoris meatus obſtruit. Eadem ratione quæ ex ſimilagine & lacte vbi lagani aut rhyematis quicq̄ admiſtum ſit:tum quæ ex ſimilagine,vel omnino ex triticea farina & muſto conficiuntur, praui ſucci omnia ſunt. Quinetiam ipſa per ſe lagana rhyematáq; & bellaria omnia quæ ex tritico confecta ſunt,& fermētatione carent, ac tum potiſſimū vbi nōnihil caſei in ſe habent,ſucci ſunt craſſioris.ſed mea quidē ſentētia quæ à nobis modo lagana ac rhyemata appellantur,veteres cōmuni appellatione Itria dixere. Cochleæ craſſi ſucci cenſentur:itémq; Oua quæ vel elixa, vel toſta,penitus dēſata ſint,frixa vero mali ſucci,fumoſæq; in ſtomacho cocturæ ſunt,ſecum etiam admiſtos cibos corrumpētis.Quapropter inter deterrimas earū rerum habentur,quæ concoqui nequeunt. Mediocriter vero cocta,quæ ideo tremula appellantur,ad cōcoctionem, digeſtionem,nutritionem,boníq; ſucci generationem præſtāriora: ſicuti & quæ ſorbilia dicimus,ſi modū in coctura adhibueris,ad leniendas gutturis aſperitates idonea ſunt,cum liquidū adhuc coactum dēſatúmq; nō ſit.In Aquatilibus vero quæ mollia dicunt : videlicet Lolligines,Sepiæ,Polypi,aliáq; eius generis, craſſo tenacíq; ſucco ſunt:necnon ex piſcibus quæ cetacei generis habentur,cuiuſmodi ſunt Thynni.Sed Pelamides ex his magis ad mediocritatem tendunt.Oſtreæ itē,Buccinæ,Purpuræ craſſi admodū ſucci ſunt,ac ſimpliciter quæ Ariſtoteles Oſtracoderma, hoc eſt dura teſta intecta vocat. Chamæ,patellæ,Pectines,Pinnæ,& alia eiuſdem generis : quorū Purpuræ,& Buccinæ duriori ſunt carne, & ſucci craſſioris:ſed caro in alijs,præcipuéq; in Oſtreis & humidior,& tenacior eſt. Quarum omnium ſuccum ſcire debes , nō ſecus ac ſerum lactis,aluum deijcere:at ſolidiores ipſarum partes, ſerius ob craſſitiem concoqui, crudúmq; & craſſum & frigidum humorem gignere.Eadem quoque & Braſſicæ, & Lenti euidēs poteſtas eſt:multíſque alijs,ſed minore efficacia.His de rebus,tribus De facultate alimentorū cōmentarijs vberius ſcripſimus.Reliqua ergo ex his omnibus, quæ craſſi ſucci eſſe diximus,exceptis Purpuris Buccinıſq;, & glutinoſa & tenacia ſunt. Braſſicæ ac Lētes nō eandem cū glutinoſis antedictis ſucci naturā ſortitæ ſunt,ſed earū ſuccus nitroſus, & deijciendæ aluo efficax eſt,ſicuti Dracunculi acerrimus & amariſſimus. Vtrūq; etiam Aron præſtat, ſed minus efficaciter.

Bulbi austero amaróq; ſucco ſunt, ex iiſq; lotis, & ſæpius iterata coctura quicquid ſupereſt, craſſi ſucci habetur. ſed Fungi inter huius generis cibos frigidiſſimo, tenaciſſimo, & craſſo ſucco ſunt: à Boletis tantū neminem interijſſe memoriæ proditū eſt: ſed hæc vbi cōcoqui nequiuerint, choleram in nōnullis excitarunt. Ab eſu cæterorum fungorum alij mortui ſunt, alij proxime ad mortem acceſſerunt, ſtrangulationis periculo, vel alui fluoribus, aut cholera laborātes. Tuber leniter craſſi, nō mali ſucci eſt: huius generis Amylum haberur, nec mali, ſed ſucci craſſioris eſt. Itidem Nux pinea quam veteres Strobilon dixere, ſe habet. In his quæ craſſi ſucci cenſentur, Iecur, Renes, Teſtes annumerandi ſunt: verum Iecur mali ſucci nō eſt: Renes, Teſtéſque non boni, his tamen exceptis qui ex gallinaceis habentur, præcipuéque ex ſaginatis, itémq; ſuillo iocinore, ſi quando id animal caricis nutriatur, quod propterea Sycoton quaſi ficubus alrum vocant. Lien ex cæteris animantibus ſatis vitioſi ſucci eſt, & melancholicus, ſuillus vero minus nocet. Cordis ſubſtantia durior, ac fibris magis ſcatet quàm quæ habetur in alijs viſceribus: in his enim inter vaſcula, quædam concreti ſanguinis ſubſtantia apparet: in corde fibræ mulræ ſolidæ & longæ, nō ſecus atque in muſculis ſpectantur, in quibus carnoſa ſubſtantia circundenſatur, atque ea de cauſa nonnulli ipſum cor in muſculorum genere locandum putant, ex quorum ſubſtantia tota noſtri corporis moles conficitur, tum quicquid proprie caro appellatur, eſtúrq; ex victimis. Sed muſculorū initia quæ Capita vocant, neruoſi[illegible] quoquomodo ſunt, in eáq; capira ex oſſibus ligamenta initium ortúmque habentia diſperguntur. In fine muſculi Tendones oriuntur: eámque ob cauſam extremæ vtrinque illorum partes neruoſiores: ſicuti & mediæ carnoſæ ſunt, & vberrime nutriunt. hæ quidem partes ab omnibus Carnes appellantur, cum ipſarum fibras præ tenuitate minime intueantur, quæ ex ligamentis neruiſque in hanc ipſam carnoſam ſubſtantiam diſperſis conſtant. Sed hæc cum iam ab illis caro prænominetur, nō ſine cauſa extremas ipſius duntaxat partes Muſculum dicunt. Verum aliter res habet, nam totus muſculus proprijs quibuſdam liniamentis circunſcriptus ſeiunctuſque ab alijs cernitur, obítq; functionem vnam quæ eſt ex motibus volūtarijs. hoc enim nomine eius generis motus ab his diſtinguendos putant, qui naturales & voluntatis expertes ſunt. Partes muſculi quæ diximus diſcrimina recipiunt. In extremis animātium partibus caro ineſt pauciſſima, hæq; oſſuoſæ & neruoſæ ſunt, nō nerui illius cauſa, qui volūtario motu fungitur (Nanque is in huiuſmodi partibus exiguus eſt) ſed ligamentalis, & eius quem veteres Græci Tendonem, Aponeuroſin quaſi eneruationem, medici recenriores vocant. Hæc igitur elixa tenaci ſatis lentore & glutinoſa ſunt, eámq; ob cauſam ſimile etiam corpori alimentum præbent. Eandem quoque naturam ſortitæ ſunt pedeſtrium animantium partes, quę penes labia ſitæ ſunt. Lentū enim nō craſſum humorem gignunt, indicióq; eſt coctura, cum plurimum ibi tumoris concipiant, relaxentúrque. Cōmmode hęc concoquuntur, itémq; Alæ volatilium communi quadam cum corporibus ſe exercentibus ratione, náque hæc omnia excrementis carent: quæ vero in ocio degunt, excremētoſa ſunt. Suilla cutis præpinguis vbi probe elixa ſit, glutinoſum pinguedinémque in ſe habēre m, nō ſatis quidem craſſum ſuccum præſtat, neque veluti extremæ partes concoctionē admittit, neque bonū ſuccum ſed excremētoſiorē gignit. Cerebrum quoq; pars craſſi ſucci eſt, & quæ dorſo excipitur Medulla. Sūt quoq; Glandulæ eiuſdē naturæ, ſed me-

diocriter,nec nō iuuenum victimarum Teſtes.Illud autem in cunctis animãtibus communiter meminiſſe debes, ſcilicet ſeniorum,duras,ſiccas,& cõcoctu difficiles eſſe:at contra iuniorum, humidas, molles, atq; idcirco commodius concoquí,his tamen exceptis,quæ vbi in lucem editæ ſunt,prorinus in cibo ſumuntur. Nanque omnes eiuſmodi muccoſæ ſunt,ac præcipue quę ſuapre natura humidiori ſint carne,vt Agni,& Sues:verũ Hœdi,& Vituli,vt qui natura ſunt ſicciores,multo melius concoquuntur,nutriúntq;.Similiter ergo Glandulæ,Teſtéſque ſe habẽt:atq; etiam Lingua,cuius ferè natura glandulofa eſt.Quæ in Mammis glandulæ habẽtur, ſi lac in ſe continent, Vbera appellantur: craſſiq; ſucci edulia ſunt. Quòd ſi animal ex quo ſumuntur,boni habitus fuerit,& abunde nutriunt, & bonum ſuccum efficiunt. Quod ſanè cum cõmune quoddam ſit,ſatius id quidem ſemel audire:vt mox facile tibi in mentem redeat.Lac ergo,vt medici omnes literis tradiderunt,ſucci habetur probatiſſimi; Quapropter nõnulli pulmonis vlceribus affectos potione tantũ lactis curari putant,antea ſcilicet quàm ea ipſa vlcera amplientur,calloſáq; fiant. Sed præ cæteris lac Muliebre, tanq̃ naturæ eiuſdem,nobiſque accommodatũ,ab alijs medicis,præcipuéq; ab Heridoto & Euriphone celebratur, vbera quidem more infantium illorum iudicio ab ita affectis ſugenda ſunt. Lac enim ſimulatq; eſt emulctum, natiuæ bonitatis nonnihil amittit,ex quo cõnſtat planè inter cibaria omnia lac optimi ſucci & horum in primis,& aliorũ quoq; medicorum iudicio cenſeri. Sed quod diximus nõ in his tantum cibis, verum in alijs quoq; permulris cõmuniter obſeruari oportere, iam recenſendũ eſt:lac videlicet ex his animãtibus quæ boni habitus fuerint, boni ſucci:ex ijs vero quæ deprauato,nõ ſecus ac ſanguis qui in illis habetur,mali ſucci eſſe.Neq; enim lac bonũ ſuccum præſtabit vnq̃,cum totũ corpus vitiatos humores habuerir, proptereaq; lac ex animãtibus quæ boni ſint habitus(vt diximus)ad bonos humores gignendos probatiſſimũ eſt. Idem Glandulæ ipſæ tum lac in ſe habentes, tum aliæ quoq; ſalubrium animãtium præſtant.Itidem Iecur, Teſtéſq; ſe habent: Hæc enim ijs animantibus ſumpta,quorum deprauati humores fuerint,bonum ſuccũ efficere non queunt, vel eorum quæ iam conſenuerint: nullum enim ex ijs boni ſucci eſt.ſed quæcunq; adhuc lactantia ſunt, ſi matris lac probatum fuerit, eorum iecur boni ſucci eſt,& cæteræ etiã partes bene ſe habent.Qualem vero alia animãtium membra humorẽ gignant,paulo poſt à nobis dicetur: Nunc autem is ſermo (vt ratio poſtulat)quẽ de craſſi ſucci cibarijs prius inchoauimus, abſoluatur,quæ quidem cũ pauca ſint,à nobis recẽſeãtur, diſtinguẽtes videlicet [illegible] ſũ qui malũ,tum qui bonũ ſuccum efficiant,mox reliqua explicãda ſunt. Vſus enim præſentis operis ad id pertinet, quò ſcilicet bonos humores gignere, malos autem vitare poſſimus. Cúmq; ſicut initio huius tractationis expoſuimus, cibi qui craſſi ſucci ſunt,corporis perſpirationem difficilem reddant:in eóq; ac præcipue in iocinore & renibus nonnullas obſtructiones faciant: propterea ab eorum eſu continuo, etſi boni ſucci habeantur, meo iudicio abſtinendum. At ſiqui mali ſucci ſint, ſeu tenues, ſeu craſſos humores gignant, penitus vitandi. fieri autem poteſt, vt hi duntaxat, qui vehementer exercentur, viſceráque à natura deprauate conſtituta non habeant: craſſi glutinoſíque ſucci cibis veſcantur, iiſque minime lædantur. Eſt ergo ex craſſi ſucci cibis vtraque Balanorum ſpecies, & quernæ videlicet, & fructus etiam φοινικῶν, hoc eſt Palmarum. Græci palmas eatúmque itidem fructus

Phœnicas vocant,ex his vero,quas quercus ferunt, Castaneæ quæ & Castana appellantur,gratæ sunt homini & suaues.eas tum vrbani,tum alij quoq; per Asiam, Sardianas,& Leucenas vocant à locis ipsis in quibus vberius oriuntur.Quam igitur ob causam Sardianæ dicantur,planè patet.Sed Leucenæ à loco quodam Idæ montis,quem plurali numero vt Thebas appellant,nomen sumpserunt.Eius itaq; generis glandes vel assæ vel elixæ ab omnibus sumuntur. Sed quæ figura oblonga sunt,& similes palmulis ad sues potius quàm homines nutriendos idoneæ,nisi quispiam ingēti necessitate oppressus (vt in extrema victus inopia accidit) edere illas cogatur. Ilignæ vero Glandes (quas Græci Acylos dicunt) duræ sunt & acerbæ, & propterea insuaues, & si eæ ipsæ elixæ sumantur. Nam & ægre concoctionem admittunt,crassúmque succum reddunt, eámq; ob causam vitandæ sunt. Quòd autem adstringentis succi discrimina quędam sint secundum plus minúsve perspicuum est: in austeris enim adstringēdi qualitas remissa est:in acerbis intensa.sed quanto Acyli inter cæteras glandes valentiore adstringendi potestate sunt, tanto hac in re ab ipsis glandibus Castaneæ superantur.In his enim astringendi facultas valde imbecillis est, quamuis æque ac reliquæ glandes inter crassi succi cibos annumerentur,commodius tamen concoquuntur,ac nullatenus praui succi, & adstringendæ aluo minore efficacia sunt. Sed harum vsu vberiore abstinēdum, non ea tantum de causa, quòd sicuti multa quæ diximus, crassi succi habeantur: sed quòd ægre concoqui,aluúmq; adstringere,& inflationes excitare possint. Palmarum fructus (Græci omnes quemadmodum diximus tum palmas tum ipsarū fructus eodem vocabulo Phœnicas appellant) dulcis succi sunt, & adstringendi etiam facultatem habentis. hos medici quidam recentiores composito nomine Phœnicobalanos vocant, ídq; apud veteres Græcos in vsu non est:nanq; illi hos fructus φοινικῶν βαλάνους,hoc est palmarū balanos,nō phœnicas,seu phœnicobalanos dicunt. Nunc autem de nominibus distinctè disserere nō propositi operis est: sed ad eius generis homines pertinet,qui in ocio vitam agunt:eósque potissimum qui veterem Atticorum linguam didicerunt:sed quę ad sanitatem faciunt,ea hominibus necessaria sunt. Cum eius generis victu quem ratio bonæ valetudinis postulat,vti omnes nequeant,vel quia negocijs dediti,vel quia intemperāter viuant,vel quæ tuendæ sanitatis causa agenda essent, ignorent, illorū duntaxat studio præsens opus aggressi sumus, qui salubris victus rationem agnoscunt, ad eámq; sese accōmodare student.Inter Acylos & Quernas Glandes,Castaneásq; in ipsis particulatim arboribus, nō magnum fructus discrimen recipit,at in Palmis nō leuiter differt.Nanq; Aegyptia palmula dura,siccáq; & austera,si cum ea conferatur, quā Græci Pateton dicunt,quæq; & satis dulcedinis & imbecilles adstringēdi vires habet,natura inter se contrarias esse arbitraberis. Aliæ vero inter has mediæ censentur, vt quæ plus minúsve austeritatis aut dulcedinis habeant. Harum succus & crassitiem habet,ac facile iecur obstruit, quódq; scire ac meminisse expedit,dulces cibi crassíq; succi iocinoris ac lienis obstructiones faciunt, tum inchoantem iam in visceribus phlegmonen satis augent:inflationésq;,& scirrhosa vitia,necnon abscessuum generationes (vt liquidò patet) proritāt. Sed hæc forsitan à salubri victu cuius pars in hoc opere scribitur, remotiora sunt. Rursus ergo ad rē reuertamur, déq; ijs cibarijs agamus,quorū succus tum crassitiem,tū lentorē in se habet.Ex his enim alia crasso duntaxat succo sunt, vt Lenticulæ.lento alia,vt Maluæ. nōnulla

vtrunq; sortita sunt, vt quæ Mollia ab Aristotele & Dura testa intecta appellantur. Nostris autem corporibus alimenrum accommodatissimum est, quod ex his rebus conficitur, quæ nec crassi, nec tenacis succi sunt. Hæc enim moderatæ consistentiæ sanguinē gignunt. Quod vero tenue admodum est, virium in se habet, siquidem parum nutrit, quæque eo cibo nutriūtur corpora, & gracilia & imbecilla redduntur. Ad bonam itaque valetudinem eiusmodi cibi accommodatissimi censentur, qui mediam quandam naturam inter ea quæ diximus, habent, quiq; nō nimis tenaces glutinosiq; sunt. In his quoq; vitium inest, qui omnino friabiles habentur, vt qui paucissimum in se lentorem habeant. Panis enim ex Panico Milióve confectus, dum estur, arenidum quoddam, vel quasi cinerē sapit. Eapropter cum Etnos similiter ac Lecython, ex antedictis confeceris, pinguia, lentorémque in se habentia illis admiscenda sunt. Hæc enim agricolæ indito vel oleo, vel suillo caprinóve adipe, vel ouillo bubulóve lacte in cibo sumunt. Etnos à nobis appellatur, quod ex fresis leguminibus chedropísq; conficitur: at Lecythos, cum hæc ipsa moluntur, eorundémq; farinam adipe aliquo admisto in aqua decoxeris. Si vero cibaria per se nōnulla inspexeris anteaq̃ vel elixa, vel tosta, vel frixa, vel tantūmodo madefacta propriam præparationem adepta sint, terrestria duráque apparent: elixa vero, aut humore madida, mollia reddūtur. huiusmodi est, ex frumenraceorum genere, Hordeum, ac Triticum: ex arboreis fructibus Nux pinea. Ad id ergo mentem quoq; adhibere debes, vt nō modo cum in exteras regiones perueneris, verumetiam apud nos, siquid tibi insuetum edendum est, eius prius naturam non elixi, sed aqua duntaxat madefacti experiare, vel id tibi elixandū, assandúmve est. Nam quæ ex seminibus aut omnino ex fructibus intumescunt, veterémque protinus siccitatem duritiémq; deponunt, mollioráq; & humidiora redduntur, præstantiora: quæ vero minime tument, pristinámq; duritiem retinent, deteriora sunt. Hæc enim & terrestri substantia sunt, ægréq; concoquuntur, atq; vt, & in ventre perficiantur digerantúrque, & in iocinore ac venis in sanguinem conuertantur, valentibus corporis facultatibus opus est. Quæ sanè ambæ actiones in imbecillis corporibus haud prospere succedunt, proptereáq; succus ex cibis eius generis crudus redditur, ex quo multiplices morbi gignuntur. Sed quoniam singulæ fructuum species maxime inter se differunt, id animaduertendum est, vt siqui tibi in cibo sumendi sunt, madefaciendi prius, interdúmq; etiam præcoquendi, vt cuiusmodi naturæ fuerint, certissimum experimentum assequaris. Quamobrem Pater meus harum rerum diligens studiosúsque, cum Amygdalas hoc pacto expertus esset, Nucésque Iuglandes Auellanásq; quas Pōticas, & à tenui putamine Leptocarya appellant, idémq; in olerū genere, atq; item in Fabis, Ciceculis, Pisis, nec nō Lupinis, Ochris, Dolichísq; tentasset, hæc scilicet omnia vel madefaciens, vel præcoquens, quantum deinde tumoris conciperent, agnoscebat. De Ptisana autem quidnam recenseri à nobis debet? Iam pueris planè patet, quòd quæ celeriter turget, probatissima, quæ post multum temporis parum intumuit, vitiosa est. Nanq; illa liquatur, & in cremorē vertitur, hæc difficulter liquescit, ac duritiem retinet, cremorémque paucissimū præstat. Quin & cerealia quædā semina dū coquuntur, nequaq̃ tument: sed hæc à priscis quibusdam medicis quia percoqui nō possunt, Ateranna nuncupantur. Quamobrem Pater meus & eo quo paulo ante diximus modo, & copia etiā farinæ Triticū experiebatur. Nā quod præstātius, plus quidē:

quod deterius eſt, minus farinæ reddit. Quæ igitur dicturus ſum ne arbitreris minime ad rem pertinere, ſiquidem quod cōmuniter habetur de cunctis ſeminibus fructibúſque qui reponi poſſunt, id ab eodem Patre & à me etiam diu exploratū, longóq; experimento comprobatū eſt. Sed iam patet eos fructus commode meo iudicio aſſeruari, qui priuſquā marceſcant, exiccentur: ídq; nonnulli ſuſtinere non queunt, vt Mora, Pepones, Melopepones. Adde etiam Perſica & alia eiuſdem generis. Hæc enim putreſcunt priuſquam areſiant. Nonnulli Cucurbitas in tenues offas diſſectas areſcere ſinunt. * Fungi etiam cum ſiccari nequeant, vitium in ſe habere maxime indicant. Nempe de ſeruandis Prunis quid ſcribendū eſt? Nemo eſt enim qui neſciat, ea non modo apud Damaſcenos Iberóſque: ſed apud nos quoq; ſeruari. Quare pauciſſimos fructus deprehēdes, qui ſiccari nō poſſint, præter quos diximus Pepones, Melopepones, Armeniaca, Perſica, & quæ à Romanis Præcocia appellantur. Ficus etiam ſiccatæ durant: ac Cucumeres vt Cucurbitæ reponūtur: ſed hæc in vſum hyemis aſſeruata eadem quoque ratione exploranda ſunt. Nam quæ aquæ madorē penitus hauſerint, vel adhibita coctura, vel ſecus, inter cætera conſimilis generis pręſtātiſſima ſunt. Quibus vero accidit, vt multo tēporis ſpatio nō admodum intumeſcant, vitioſa cenſentur. Quò fit, vt cibi qui illico in tumorem creſcunt, & natura meliores habeantur, neq; aptius tantū concoqui poſſint, verū quoque ad bonos humores gignendos (cuius rei indagandæ hæc omnia ſcribimus) ſint præſtantiores. Nihil enim in cibarijs omnibus ad boni ſucci generationem tam pertinet quàm ſi probe in ventriculo concoquantur. Nanq; hæc & alteram & tertiam cōcoctionem facilius admittunt, ſed ſecunda concoctio (vt planè noſti) in iocinore & venis, tertia in ſingulis quę nutriuntur partibus perficitur, cuius quidem gratia duæ illæ priores expetuntur. Nam quæ nutrienda ſunt, nutriente ſecundū qualitatem mutato, & ad eius quod nutritur naturam aſſimilato, nutriuntur. Præparata autem præcoctáq; commodius quàm quæ concocta non fuerint, tranſmutantur: ad inuicem enim concoctiones ſuccedunt: nam quicquid ventriculus concoxit, ad iecur tranſit, ab illo ad nutriendas partes tranſmittitur. Cunctis ergo corporis partibus iecur alimentum præparat: illi ventriculus: huic os: ori quædam vel iurulenta, vel aſſa, vel frixa, vel rantummodo madefacta: ſed his omnibus gubernatrix natura fructiferas plantas præparat. Nonnulla etiam ab ea ipſa gignuntur, quæ nec elixāda, nec aſſanda, nec madefacienda, nec aliter præparanda ſunt. Sed hæc vt omnibus quæ edendo ſunt communia, in vniuerſum nouiſſe oportet. Nunc vero quæ iam omiſimus, particulatim attingamus. omiſſa autem ſunt ex animalium particulis, Ventriculi, Vuluæ, inteſtina, Aures, atque etiam Caudæ, nec non cerealium ſeminum & plantarum quas Hōræas vocant, atque olerum quoque permulta. Ventriculi ergo, Vuluæ, Inteſtina, duriori quàm caro ſubſtantia conſtant: quóque ea duriora ſunt, eò etiam concoctu difficiliora, nec adeo boni ſucci: minoréque ad nutriendum quàm caro ipſa efficacia ſunt. Sed Caudæ ſunt his quoque duriores: reliqua vero in ipſis quæ ad concoctionē & nutritionem ſpectant, duritiei proportione reſpondent, hoc tamen excepto, quòd motionis cauſa minime excrementoſæ ſunt. Cum his volatilium Colla ſimilitudinem quādam habent. Ventriculus ex pedeſtrium & volatilium genere maxime differt. Nanq; ex volatilibus craſſus durúſq; eſt, & cōcoctu difficilis, at ſi cōcoquatur vberrime nutrit. gallinæ & anſeris præſtantiſſimus eſt: Cæteræ vero anſerinæ

pattes alis exceptis,& duræ & excremẽtoſæ ſunt,nec facile concoctionem admitrunr.Ex grãdibus ſtrurhis (quos modo Srruthocamelos vocanr) membra omnia dura excrementoſa, & concoctu etiam difficilia. Aurium cartilago & ſicca eſt,& minime nurrit:Earum cutis exterior tenuis aridáque, ægre irem concoquitur,& pauciſſimi nutrimenti eſt.Oculi à paucis edũrur. Conſtant enim ex diſſimili ſubſtantia.Ex his nanq; Tunicæ aliam naturã ſortitæ ſunt,aliã Muſculi,aliam quod à cryſtalli ac vitri ſimilitudine Cryſtalloides ac Hyaloides dicirur. Inter hæc Muſculi tantũ facillime cõcoquuntur.Ex animãtibus quorũ natura ad bonos humores gignendos aptiſſima eſt,Sues mediocris iam ætatis habẽtur: qui enim ad ſummũ creuerint,hominibus vigẽtis ętatis,ſéq; exercẽtibus:qui vero adhuc inceteſcũt, ijs quorũ ætas inclinat idonei ſunr.Caro ex porcellis paruulis excrementis ſcatet. Quare ex pedeſtribus animãtibus Suilla caro probatiſſimus cibus eſt,deinde Hœdina,mox Vitulina. Agnina veto humida,tum lentorẽ muccorémq; in ſe habere cenſetur.à cæteris pedeſtris generis meo iudicio abſtineat,quiſquis boni ſucci generationi animum curánrque intendit.Quæ ſanẽ quonam pacto ſecundum ſpeciẽ differant,libro tertio De facultate alimẽtorũ docuimus. Ex ſeminibus cerealibus Ptiſana quæ probe cocta ſit,cibus optimus exiſtimatur,bonúmque ſuccũ gignit. Indicat quoque hic ſermo Hordeum itidem optimũ eſſe oportere. Nam ſi huiuſmodi non eſt,nunquã congruam cocturam admittit.eámque ob cauſam madefactum nõ admodum intumeſcit,nec in cremorem liquatur.Sed de Ptiſana copioſius à nobis dictum eſt in libris De facultatibus alimẽtorum, déq; morbis curandis,atque in ijs commẽtarijs quos ad eum librum interpretandum qui De victus ratione in acutis morbis habetur , ſcripſimus. Nunc autẽ caput hoc quo vtimur ad præſens opus,explicaſſe ſit ſatis. Ptiſanam ſcilicet probe confectam ex cibarijs omnibus omni prorſus noxa vacare , prodeſſéq; tum ad ſanitatem,tum ad bonos quoque humores gignendos. Minus hæc nutrit quàm Panis : de quo primo De facultare alimentorũ volumine diximus. Fœnũgræcum non boni ſucci eſt,ſi quis eo liberalius vtatur. Ptiſanam vero etſi quotidie ad ſatietatem ſumpſeris,non idcirco boni ſucci generationẽ impedies. Idem quoq; de fabis dicerem,niſi inflationes parerent.neq; enim mali ſucci ſunt,aut obſtructiones faciunt,quæ duo in ſalubri victu præcipua ſunt. Hæc autem ſibi ipſæ vendicant,cũ abſtergendi qualitatẽ vímq; ſicuti Hordeum obtineant.Piſum exterendi quidẽ vim non æque habet ac Faba,ſed inflatione caret.Lentes(vt ferè omnibus notũ eſt)& vitioſi ſucci, & melancholici ſunt,iiſq; in multis affectibus medicamẽti loco perſæpe vtimur,ſed hæc modo recenſenda non ſunt. Ochri præterea ac Dolichi his quæ diximus deteriores,ac cicerculis meliores habentur.Poſt hordeũ Olyra annumerãda eſt,poſt hanc Typhæ:à panico quod à priſcis nonnullis Meline etiã nominatur, penitus abſtineas.Huic Milium conſimilis generis eſt,ſed minus malum.Cicer egregie nutrit, ſed nec boni ſucci eſt,& inflat non minus q̃ faba,ſeménq; auget ac veneris deſiderium.Lupinus nõ mali,ſed craſſi ſucci eſt,proptereáq;(vt iam patet) probe nutrit. Cætera autẽ legumina ad bonos humores gignendos recenſere non attinet , neq; enim ea edunt homines , niſi fame & rerũ inopia cogantur. hactenus ergo de his. De fructibus deinceps agendũ eſt. Nanq; quos arbores ferunt, omnes ferè (vt ita dixerim)mali ſucci ſunt, his tamen exceptis Balanis, quas Caſtaneas vocant,quæ ſi in ventriculo concoquantur,efficaciter nutriunt,atq; eæ craſſi quidẽ,nunq̃ autẽ

mali ſucci ſunt. ſed inter reliquos fructus,qui à tẽpeſtiuitate præcipua hωræi appellantur,humorem vitioſum gignunt, ac ſi forte in vẽtriculo corrũpantur,ſimiles fere letalibus venenis fiunt,ſicuti in Moris contingit, quæ etſi Perſicis & Prunis ſunt moderatiora,cũ tamen corrumpuntur,nõ minus in ſe habent vitij q̃ illa. Sed Ficus Vuæq; per id tempus,quod Græci proprie opωran vocant,dictis fructibus ſunt præſtantiores. Refert quoq; non parum vtrum ad maturitatem perfectã deuenerint fructus,an ſecus. Maturæ enim Ficus ferè innoxiæ ſunt,Vuæ deinde,& eæ quidem appenſæ.ita enim quicquid inflationes facit abijciunt,& omni penitus vitio carent.De Caricis ſiquis boni eas & mali ſucci eſſe dixerit,forte inter ſe pugnantia dixiſſe videbitur,cũ tamen verũ vtrunq; eſſe poſſit.habent enim in ſe,tum quod ſalubre,tũ quod inſalubre ſit. Nam ſi eæ ipſæ per ventrẽ tranſietint,quódq; ex ijs alimentum conficitur, per renes corpúſque digeſtum fuerit, & ſalubres,& boni ſucci cenſentur:ſin autẽ retardarint, pectoris quoquo modo ſucci ſunt,& pediculorum copiam gignunt:cum Nucibus autem ſumptæ cibi probatiſſimi ſunt, atque idem cum Amygdalis, ſed cum his obſtructionis aperiendæ & abſtergendi gratia ſumuntur, neque ita bonũ ſuccum præſtant, nutriũntque,vt cum miſcentur cum nucibus,cum quibus ad omnia habentur præſtantiores.Quin & nõnulli de letalium venenorum compoſitione ſcribentes,Caricas cum Ruta Nucibúſque præſumptas, venenis eiuſmodi vniuetſis aduerſari teſtantur. Reliqui arborũ fructus mali ſucci ſunt, iiq; potiſſimum quos ſylueſtres plantæ & frutices ferunt,ſicuti de ijs vberius ſecundo De facultate alimẽtorum volumine diximus.Sed Malis,Piris,Punicíſque,& Meſpilis,nõ alimentorum,ſed medicamentorum loco vtimur,ad ſtomachi videlicet ventríſque firmitatem & robur.Inter fructus quoque Cucumeres,Pepones,Melopepones connumerantur,quorũ nullus boni ſucci eſt. Quòd ſi celeriter perfici digeríq; non poſſint, in ſuccum fere letalibus venenis ſimilem vertũtur. Cucurbita duntaxat ex huiuſmodi fructibus damnanda non eſt, ſi tamen in ventriculo corrumpatur, ipſa etiam malum ſuccum gignit. Mora itidem ſi cito perficiantur, & priuſquam corrumpantur,tranſierint,innoxia ſunt, niſi ijs quiſpiam liberalius vtatur. Atque hæc de hωræis fructibus omnibus,ſcire ac meminiſſe oportet. Ex oleraceis nihil eſt,quod bonũ ſuccum præſtat. Lactuca enim in his quæ boni malíque ſucci ſunt, mediocriter ſe habet. Poſt illam Malua habetur.Poſt hanc Portulaca, Atriplex,Blitũ,Rumex.Sed Lactuca agreſtis,Chondrilla, Scandix, Gingidium, Seris, Cichorium, aliáque ex oleraceis agreſtibus omnia vitioſiſſimi ſucci ſunt.Radices autem olerum acrimoniam in ſe habentium, vt Allij,Cæpæ,Porri,Rhaphani, & agreſtis Paſtinacæ,malum ſuccum gigunt.ſed Ari, Caríque radix, & Rapi,quod Buniada etiam, id eſt Napum appellant, in ijs quæ boni prauíque ſucci ſunt,media habetur. Præterea Aues, Piſcéſque ferè (vt ita dicam) omnes boni ſucci cenſentur,exceptis lacuſtribus,paluſtribus,& qui in immundis fluminibus ac turbidis degunt. minus enim natationibus ſe exercent, vitiatóque aëre, & prauo victus genere vtuntur, præſertim ſi in aquas illas, vrbis alicuius ampliſſimæ,latrinarum,balneorum, culinarúmq; loturæ & purgamenta defluant, aut ſi in ijs & veſtes & alia eiuſdem generis abluantur. Caro enim animantium,quæ viuunt in aquis eiuſmodi, earúmq; potiſſimum, quæ ibidem duntaxat immorantur, deterrima eſt. Quæ vero in meliores aquas ſe transferunt,ijs ſunt deteriores,quæ puro ex mari victũ capiunt.Sed ferè animãtes omnes,quæ in

ea maris parte verſantur,quæ dulci ſe aquæ nō immiſcet, innoxiæ ſunt, vt Pelagicæ,Saxatiles,quæ tum ad bonos humores gignendos, tum etiam ad guſtus ipſius voluptatem cæteris multo ſunt præſtantiores. harum itaq; frequens vſus tutiſſimus eſt.Nōnullæ præterea ſunt,quæ duplici ex humore viuunt,tum marino tum dulci,vt Lupi,Capitones,Cancri,Gobij,Murænæ,Anguillæ.Quare in ijs primum quærendum eſt,vbinam ſint captæ:deinde id olfactu & guſtu experiundum.Nam quæ deprauatis aquis nutriūtur, & mali odoris & inſuaues,muccoſæq; ſunt,cúmque longe ſint alijs pinguiores,citiſſime emarceſcunt.Sed quæ puro ex mari victū perunt,& boni odoris ſunt,guſtúq; ſuaues, pinguedinis autem vel nihil omnino, vel pauciſſimum in ſe habent,diutiúſq; à putredine illæſæ durant,pręſertim ſi niue circundatæ ſint. Ad hunc enim modum quæ duriores fuerint, præſtantiores euadunt:cum caro ipſarum reddatur friabilior,vti & caro Aſelli, & eorum quæ in ſaxis degunt. Nam quod in his naturaliter ineſt, id ea quæ duræ ſunt carnis à niue ſumpſerunt. Quamobrem Capitonum caro puro in mari degentium, ab his qui vitiatis in aquis viuunt,diuerſiſſima eſt.Similiter Gobij,Lupíque ſe habent,ídque in alijs quoque quàm in his quæ ſunt dicta, clarius patet. Muręnæ enim ex aquis eiuſmodi peſſimæ:Anguillæ nunquā boni ſucci ſunt,tametſi puro in humore verſentur,nedum in eo qui vrbium ſordes & purgamenta in ſe recipit.Secundū quoq; locorum paſtiones,piſces & meliores & deteriores fiunt:idq; odore guſtúq; facile explorabis,quemadmodum ex Mullis,ij quidem peiores ſunt qui carcinnadas paſcunt,reliqui vero duriore ſunt carne,non modo quàm ſaxatiles aſellíq;,ſed etiam quàm capitones,quàm lupi,& cæteri pelagici:proptereáq; difficilius cōcoquūtur, ſed efficacius nutriunt,malíq; ſucci nihil in ſe habent.Sed de his quę ad nutriendū pertinēt,tribus De facultate alimentorū commētarijs exactius diſſeruimus.Quos ſanè qui ſalubribus cibis perueſtigādis ſtudet,minime negligere debet,neq; etiam omnino opus illud quod ad tuendam ſanitatem ſpectat, cuius pars quædā ijdem ipſi commentarij ſunt.Scripſimus quoq; & alium librum De extenuāte victu, illi ſcilicet oppoſito,qui craſſæ materię eſt,proſperæ quidem valetudinis ſtudioſis apprime vtilem:ſed illud in primis hac in re memoria tibi tenendum cenſeo,eū ſcilicet neq; auxiliorum,neq; ſalubrium ciborum exactam notitiam conſecutum,qui materierum vires accuratiſſime nouerit,niſi corporum quoque naturas, quorum cauſa cibi expetuntur,agnoſcat.Ex his enim nonnulla denſa ſunt,& quæ perſpirare non poſſunt:laxa nōnulla,& quæ facile inaniuntur:eámq; ob cauſam humidiore illa egent alimento,hæc ſicciore.Alia itē glutinoſius,alia tenacius:parcius alia, alia vberius alimentum exigunt.Similiter quibus ſanguis eſt admodū melancholicus,humidi calidíq; cibi dandi ſunt:quibus vero bilioſior, frigidi: verum vbi pituitoſus exiſtit, cibo tunc opus eſt qui calefaciendi ſiccandíq; vires habeat: præterea qui probato multum ſanguine abundarint, parcius nutriendi, eorū in victu nullæ euidentes vires inſint,ſed mediæ materiæ exiſtat, vt neq; egregie calefaciendi,refrigerandi,humectandi,ſiccandíq; facultatem obtineat, eadem ratione neque craſſus aut tenuis,neque lentus aut aridus,vel(quod lento opponitur)friabilis ſit. Ariditas enim in duris valdéq; ſiccis rebus,id autem quod eſt friabile, in mollibus mediíſq; inter humida ſiccáque inuenitur.Commune tamen vtrique eſt vt tenaci lentore omnino careat.Is ergo qui recte alimentis vſurus eſt,ſcire in primis debet, quænam ſint in hominum cute laxitatis denſitatíſq; diſcrimina, deinde quale ſit

totius corporis,poſtea ſingularũ partium temperamentum,idq; an illæ proprium ſeruẽt.Interdũ enim caput plus iuſto calidius,ventriculus frigidior eſt:ſæpe etiam contra, hic quidem calidior, illud frigidius. Itidem quoq; accidit in alijs partibus. Quæ ſanè in libris De morbis curandis,déq; tuẽda ſanitate pariter inueſtigauimus Sed quod ad alimenta ſpectat,id ante omnia quęrendum,ac potiſſimũ conſiderandum eſt,quónam videlicet modo commodiſſime concoquantur. mox vt concoctus humor qui in diuerſas corporis partes fertur, illarum partium temperamẽto accommodatus ſit.Quamobrem vt recte quiſpiam vti alimentis poſſit, neceſſaria cognitu ſunt quæ de temperamentis ſcripſimus.Qua in re cum ſis ipſe abũde verſatus,quod reliquum adhuc eſt,ac neceſſario ad earũ rerũ notitiam expetitur,quę bonos malóſve humores gignũt,adiungam, à Vinis ſcilicet initio ſumpto. Ex his enim quę aquoſa tenuíq; ſubſtãtia ſunt,vrinam mouent, & pauciſſimi ſunt nutrimenti.Craſſa vero,vt Theræum & Scybelites,non leuiter quidem nutriunt.In ipſis quoq; diſcrimen eſt plus minúſve,craſſitudinis proportione. Huius generis vinum habetur,quod Aegę apud nos ac Perperina ferunt, quarũ hæc Pergamo,illę Myrrhinæ finitimę ſunt.Scybelites necnon Thetęum abſolutę dulcedinis eſt:Cilicium auſterum dulcéq; ſimul,quod etiam à locis in quibus naſcitur, Albates appellatur:ſed quæ Aegis ac Perperinę proueniunt,media inter hęc ſunt. neq; enim exquiſitam dulcedinem,nec notabiles adſtringendi vires,ſicuti Cilicium,in ſe habent: nigráq; hæc omnia ſunt. Nulla enim vina inuenies craſſa pariter ac dulcia quæ nigra nõ ſint. Cum itaq; muſtum ex albiſſimis vinis coxeris,& quod Siręum vocant,hoc eſt ſapam,confeceris (id apud nos hepſema appellatur) nigrum æque ac Theræum colorem referet.ita etiam Caryinum ſe habet quod dulce eſt,iremq; Therinum:ſed tamen hoc nec colore adeo nigto, & minore dulcedine eſt, quàm Caryinum. Alba vina haudquaquã dulcia ſunt,ſed alia auſtera & craſſa,alia aquoſa ac tenuia. Ex flauis autem rutiliſq;,nõnulla mediocriter dulcia ſunt,ſicuti Hippodamantium, Fauſtianum, Falernum: nonnulla omnino dulcedine carent. Sunt autem his rubra craſſiora. Et ex rubris,quæ proxima colore ipſo nigris ſunt. Nutriunt autem hæc omnia craſſitudinis proportione: eámque ob cauſam, qui indigent refectione,vt dulce vinum potent,ſuadendi ſunt,ac tum præcipue cũ horum iecur,liénq;, & renes vitio careant. Vetum cui craſſus humor per venas redundat, tenuis ſubſtantiæ vinum:cui frigidus,acre & vetuſtum:cui non frigidus, quod neque acre neq; vetuſtum ſit,accommodatũ eſt. Ad bonos autem humores gignendos,odorum præſtantius,ſed ta men caput tentat. Tenue ciendæ vrinæ magis idoneum,capiti nullam infert noxam. Vitanda quæ craſſa ſimul,malíq; odoris,guſtúque non grata & auſtera ſunt, quale eſt Bycium, grandioribus videlicet teſtis non paruis cõditum. Quod enim ſumitur ex his quæ paruæ ſunt,nec grauiter olet,nec inſuaue,nec craſſum admodum eſt,neq; item cum acerbo ſapore adſtringendi vim habet: id nec boni nec mali ſucci eſt, ſed horum medium cenſetur. Ex vinis probatiſſimi ſucci Falernum habetur,potiſſimúmq; id quod dulcius. Eiuſdem quoq; generis Tmolites exiſtimatur, rutilum ſcilicet ac dulce. Nanq; aliud ex hac ipſa ſpecie & auſterum eſt,neq; ęque atq; illud bonum ſuccum pręſtat, ſicuti & alia omnia quę egregie auſtera ſunt,quanuis laxum ſtomachum ac ventrem firment, ac tum præcipue,cum calida intemperie affecti ſunt. hac enim de cauſa,atq; etiam ad alui fluctiones ſiſtendas auſteris vtimur vinis:pręterea ad nullos alios vſus ea accõ-

modare solemus.Nã nec alimenti ipsius digestioni,nec sanguinis confectioni, nec bonis gignẽdis humoribus nec facile reddendę vrinę,nec eliciendis sudoribus,nec aluo deijciendę quicquam commodi alimentíq; afferunt. Sed non enitendũ nobis nunc est,vt bonitates omnes,vitiáq; vinorum recenseamus,quęq; potissimum pro morborum qualitate differunt. Quod ergo pręsentis nostri est operis & instituti, iterum sumamus,& per breuia quidem capira explicemus. Corporibus itaq; intẽperie vel natutali,vel quoquo modo aduentitia biliosis,nec Falernum vinum,nec Tmolites rutilum scilicet dulcéq;, nec Ariusium, nec Lesbium odorũ rutilúmq; & antedictis simile,idoneum est.Cuncta enim huius generis vina calida sunt:propter eáq; nec biliosis,nimióq; ęstu,& ardore, faméq;,aut mœrore vexatis,nec item vbi anni tempus,regio,tempestásq; calida existat,danda sunt.Contra vero vtiliter ijs dantur qui calefaciendi sunt,vtpote pituitosis frigidísq; temperamentis,crudísque humoris copia refertis , tum ijs qui frigidis in locis ociosius viuunt. Dantur quoq; in hyeme,frigidáq; & humida tempestate. His itaq; omnibus rutilum dulcéq; vinum accommodatum est. Contrarium vero ijs qui contrario modo se habent,atq; id quidem,nõ quòd vitiosos humores gignat,sed quòd eos qui refrigerandi essent,calefaciat,capitísque dolores & febres facile inferat, neruósq; nonnũquam lædat.Ex rutilis autem illud quod mediocriter dulce est, (nullum enim ex his dulcissimum,sed paulo dulcius,& nigrius inuenies) nõ ęque ac rutila ipsa calfaciendi vim habet.Non ergo ab re capiti neruísque innoxiũ est, nec more eorum quę diximus,febres excitat.Quòd autem crassa vina dulciáq; aluùm deijciant,nemini ferè ignotũ est,sicuti mustum:quod tametsi ęgre concoquatur, crassúmque succum, & inflationes faciat, aluum tamen mouet, ídque boni duntaxat in se habet,quod si interdum efficere nõ potest,mirum in modũ nocet.Inest autem communiter vinis omnibus(his tamen exceptis quæ nimis crassa dulciáque sunt,quale est Thetæum & Scybelites) vt longo temporis spatio flauo colore perfundantur, quiddámque igni simile coruscans pręseferant. E nigris vina qualia apud nos gignit Perperina,vetustate in rubrum, giluúmque prius, deinde in flauũ colorem transeunt. Albũ quoque est quale est Bithynum Aminæum, quod vbi inueterauit,Romani Cecubum vocant,cuiusmodi fuerit generis,haud planè agnoscas.habet enim amaritiem quandam qua potui minus idoneũ redditur.id tamen caupones cum recentioribus vinis admiscent , eáq; pro vetustis vendunt,atque ita nonnullos fallunt,qui in degustandis vinis non omnem notitiam habent. Vitanda ergo quæ nimis vetusta sunt, nimísve recentia.nanque illa pręter modũ, hæc nullatenus donec recentia fuerint, calefaciũt.quæ vt aliquem vsum cibis concoquẽdis afferant tantũ abest,vt ipsamet sint difficilis cõcoctionis. Præterea nec commode per aluum transeũt,nec digerũtur,nec vrinam mouent,nec sanguinis confectioni, nutritioníque idonea sunt.Sępe etiam(vt aqua)in ventre suspensa remanent,vt si paulo amplius ex ijs hauseris, facillime coacescant. Sed ex recentibus vinis genus illud dũtaxat tutò ebibirur,quod tenuis substantiæ est,sicuti ex Italicis Gauranũ, Albanum, & ex Sabinis Thuscísque nonnulla, ea enim non in vniuersum omnia eiusmodi sunt. Aminæum quoque quod in eo colle nascitur, qui Neapoli imminet,cito vt bibatur idoneũ redditur , quale est apud nos in Asia Tibinum, Arsyinum,ac præterea etiam Titacazenum.Sed hęc exempli gratia à nobis sunt posita. Nanq; ego vina huius generis apud omnes ferè nationes inueni,verũ non ita faci-

le ea nouerũt externi,duabus de cauſis, vel quòd nõ ita multum vſpiam abũdent, vel quòd lõgam nõ ferãt nauigationẽ,proptereáq; à mercatoribus in exteras vehi prouincias nõ poſſint. Huius autem generis vina facile dignoſcũtur,primũ tenuitate,deinde candore,quibus cum aqua potiſſimum quãdam ſimilitudinem habẽt. Guſtu enim aquoſum quidpiam ſapiũt.nulláſq; adſtringendi valẽtiores vires habent,neq; vberius dilui patiuntur, vnde à priſcis medicis quòd parum aquæ ferãt, dicta ſunt oligophora. & quemadmodum rutila vina, cum calida poteſtate ſint, replent protinus caput, ſic quæ diximus, non modo capiti penitus innoxia ſunt, ſed etiam leues eos dolores nonnũquam tollunt,qui ab humoribus in ventriculo collectis ſolent prouenire. Neq; enim caput tãtummodo tũc dolet, cum proprijs quibuſdam vexatur affectionibus,verum quoq; cum halitus vapórq; ex deprauatis ventriculi humoribus eò aſcendit.Huic dolori leue,& parũ aquæ ferẽs vinum, quódq; exiguam adſtringendi vim habeat, epotum ſuccurrit. Quæ vero omnino ſunt exinanita,cuiuſmodi apud nos Tibinum eſt,& ex Italicis Sabina nõnulla,tãto his deteriora ſunt,quæ leniter adſtringunt,quãto ſunt aquis præſtãtiora. Quin & aquæ potio vitiũ præcipue in ſe habentis nonnullis capitis dolores infert. Nam & ipſa corrumpitur, & naturale robur exoluit, quò fit vt vbi ventriculũ inualidũ reddidit,in cauas eius partes ex reliquo corpore ſanies quædã bilioſa defluere conſueuerit, more eorũ quos inedia premit: quibus ſanè offenſis noxíſq; dictũ vinum ſui temperamenti ratione hominem actutum liberat,ac paulo poſt vbi ventriculũ firmauerit,quæ illi noxia ſunt,ad inferiores partes defert. His ergo qui natura aut ętate calido admodum ſunt temperamento,aquæ potus lõge accommodatior vino.Quod vtique ſi neceſſariò interdum adhibendum eſt,ſit quidem tenue,& leuiter auſterum. Ea etiam ratione eſculenta poculentáq; omnia non vnicuiq; ſimpliciter ſunt idonea,ſed diſtingui ad vtentium naturas,aptaríq; debent. Vina quidem maxime inter ſe differũt,ſi diſtinctè (vt diximus) ſpecies ipſorũ à nobis cõſiderentur:reliqua vero non admodũ inter ſe differunt. Nunq̃ enim vel Lenticulam vel braſſicam humectãtis naturæ eſſe deprehẽdes,ſed minore alterã ad ſiccandũ efficacia,cũ humectandi poteſtate nullã. Ex Cæpis item,Porris,Alliíſq; nulla ſunt quæ refrigerandi vim habeant,ſed plus minúſve calefaciũt,neq; agreſtis Lactuca, Atriplex,Blitum,Portulaca,calefaciendi facultatem habent,in his tamen plus minúſve nõ magnum diſcrimen recipit. at in vinis quod vetuſtiſſimum eſt,& Cecubum, vt diximus,à Romanis appellatur,adeo ab albo ſimúlq; auſteritatem habẽte, necnon recẽte craſſóq; differt,vt illud efficaciſſime calefaciat, ſenſibilem hoc refrigerandi vim habeat. Mellis quoq; nõ parua differentia habetur. nam quod vitiatum eſt,tanquam mali odoris,guſtúque aliam qualitatem admiſtam referens,mel quidem dici nõ debet. Synceri & vitio carẽtis mellis diſcrimina hæc ſunt,plus minúſve dulcedinis & acrimoniæ in ſe habere. Dulciſſimum acerrimúmque eximiæ æſtimationis eſt:ſed cuiuſliber generis mel calefaciendi vires habet, ſumptúmq; à calidis corporibus facile in bilem conuertitur,ídque in omni melle cõmuniter ineſt: propterea pituitoſis admodum naturis,ætatéq; & ſenio cõfectis,vtiliter datur, frigidis quoque morbis accommodatum eſt. Acetum mulſum ſanitatis tuendæ gratia ætatibus naturíſque omnibus vtiliſſimum, ſiquidem obſtructiones omnes diſcutit,adſtrictóſque meatus ita aperit, vt nulla in parte craſſi glutinoſique humores deprehendantur. ea propter eius generis medicamina, quæ medici ſalubria

vocant, tenuandi omnia in se potestatem habent, tutioráque ad bonam tuendam valetudinem censentur, quàm quæ crassiores humores reddunt, sed bonam habitudinem robúrque efficere non possunt. Quin & nonnulli incertam potius & non turam sanitatem expetũt, dummodo bonam corporis habitudinem assequantur, quàm gracili semper & imbecillo corpore firmissima sanitate frui: sed ex his qui bonæ habitudinis ac roboris sanitati student, alij suismet corporibus vacant, alij eam sibi proponũt vitam, quæ vel militię, vel ciuilibus occupationibus dedita est, noctúque exurgere, totáque die necessarijs rebus inseruite cogũtur. Sed ex his qui poterit ante balnea exerceatur, quódq; gymnastę apotherapeuticon, quasi recuratorium dixeris vocant, adhibeat. Sed pleriq; negocijs impliciti hoc nequeunt: proptereáque fieri non potest, vt bene semper se habeant, etsi modeste sobriéque cibũm sumant. Qui vero quoad possunt, quę ad bonam tuẽdam valetudinem agenda sunt, non omittunt, rarò morbis corripiuntur. Ab his ergo vberius nutriens cibus crassósque humores gignens, necessario sumendus est, sed cum moderatione quadam, eo præsertim tempore, cum euidens illos necessitas cogit: at omnino in posterum mediæ materiæ cibis, nec parcius videlicet, nec copiosius nutrientibus vtantur. Vitanda penitus quæ vitiosi succi sunt, præterquam æstate, cũ languentium corporum siccitati & calori succurrendum est: his enim hoc ipso tempore Mala, Pruna, Cerasa, Moráque idonea sunt, item Cucumeres, Pepones, Melopepones, sed parcius his vti debemus. Dantur quoque Præcocia, Persica, & quæ à Romanis Melce dicitur, refrigerata tamen, nec non spuma lactis quæ à Græcis Aphrogala nominatur, atque etiam cibaria ex lacte confecta, quale est, quod Argyrotrophema appellant. Ficus itidem frigidæ & cucurbitæ ita affectis accommodatæ sunt. Sed moderatus vir ac prudens, in æstuosis quos diximus laboribus, alium adhibebit modum, ad refrigerandam humectandámque corporis siccitatẽ. Ex balneis nanque rediens, epota prius aqua, mox vino mediocriter aquoso, iisq; per vomitionem reiectis, Lactucam edat, quæ innoxia est, simúlque refrigerandi vires habet: sumat post ea suillos Pedes bene decoctos ex aceto & garo, itémque Alas gallinæ vel anseris, & eiusdem etiam Ventriculum, nec non Pisces nonnullos frixos ex his qui molli sunt carne: danda item ex oleribus quæ mali succi nõ sunt, sicuti Malua, Cucurbita: vinum postea vbi frigida aqua valde dilutum sit: potet. Ante id tamẽ aliquid, vel ex Salsamẽtis, Ouísque tremulis, vel ex Piscibus ex oleo & garo sumi potest. Sed melius (vt dictum à nobis est) calori siccitatíque corporis gelida aqua succurritur: vitandáque semper mali succi cibaria sunt. Idem quoque frigida Alica pręstat ex mulso videlicet vinóque frigida sumpta, malíque succi nihil in se habet. Sed mihi sæpius similes æstus & calores perpesso Ptisanæ cremor bene refrigeratus, satis fuit, per id scilicet tempus, quo quispiam cõmode (vt modo dixi) frigida aqua vsus est. Sed alter alteri refrigerãtis cibi potúsque sit modus. Nam nõnulli quum niue vti soliti sint, ea ipsa refrigerãtur, alij aqua fontana, quũ hac etiam vtantur, quibus niue minime opus est: sit quoque dilutum vinum præfrigeratum, (sic enim eius generis vinũ à medicis appellatur, quod vase exceptum, tum in gelidissimam aquam iniectum prius refrigeretur.) Sed hæc illis præcepta traduntur, qui in eo vitæ genere versantur, quæ assiduis occupationibus impeditur, vt qui regendis populis & administrandę reipublicæ præsunt, horúmq; potissimum satellites & ministri. Itidem quoque se habent, tum quos bellicus labor

exercet, tum quos viarum & itinetis longitudo fatigat. Qui vero huiusmodi negocijs vacui solutíque sunt, si exercitatione vti solēt, quàm rarissime frigido egent potu. Qui minime exercentur, summa æstate cum vehementi calore vrgentur, fontis aquam bibant, niuísque vsum vitent. hæc enim quamuis protinus nullam iuuenum corporibus sensibilem læsionē inferat, sensim tamen occultéq; crescente vitio cum iam ætas progressu temporis inclinarit, articulos, neruósq;, & viscera ijs morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non possunt, neque id quidem temere. nanque ea pars corporis quæ natura imbecillima est, à lædente quolibet patitur. Quòd autem vitiosi humores, morbíque gignantur, cruditas assidua maxime in causa est, siue ea ex boni siue ex mali succi oriatur cibis. Sed id euidens palámque est, eam scilicet cruditatem longe alijs deteriorem esse, quam vitiosi succi cibaria effecerunt. Quæ cum duplici modo se habeant, si tenuem quidem succum reddunt, acutos morbos cum maleficis quoque febribus inuehunt, succorúmque vitio in vnam duntaxat particulam decumbente, tunc erysipelata, herpetes, aliæque affectiones calidę oriuntur. Si vero crassum succum efficiunt, articulorum, & renum vitia (Gręci arthritidas & nephritidas vocant) podagrę, anhelationes, tum lienis iocinorísq; scirrhosi affectus gignūtur. At quibus malus corporis humor melancholicus fuerit, cancri, lepræ, scabies, quartanæ febres, nec non atrę biles, cutísque vitiatus & ater color, cum lienis itidem tumore fient. Horúmque permultis ex hoc ipso humore nigri varices, & hæmorrhoides accident. Sed ex multis humoribus mistæ affectiones proueniunt, vt herpetes, & phagedęnica vlcera, atque item malefica omnia quæ Cacoethe appellant, & eius generis acutæ febres, quæ denuo ad tempus reuertantur.

Claudij Galeni Pergameni De cibis boni & mali succi libri finis, Ferdinando Balamio Siculo interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE ATTENVANTE VICTVS RATIONE LIber vnus, Martino Gregorio interprete.



Vum victus ratio attenuans plerisq; diuturnis morbis adeo conferat, vt sola ea, sine vllo alio medicamento, sublati sæpe fuerint, operæpretium fuerit aliquid de ea distinctius perscribere. Sunt enim, quos præstiterit sola victus ratione, sine medicamentis persanare. Vidi equidem nõ paucas arthritidas, quę iam articulorũ ossa nudarant: alias quidem hac victus ratione in totum persanatas: alias, mitiores fuisse redditas. Vidi præterea & eorum plerosq;, qui spirãdi difficultate (quam δυσπνοίαν vocant) sæpe prehenduntur, adeo leuatos, vt aut prorsus reualerent, aut lõgo saltem interuallo leuiter affligerentur. Eadem etiã hæc tenuans victus ratio magnos lienis tumores, & hepatis scirrhum colliquat. Ad hæc epilepsias paruas quidem & etiamnũ incipientes penitus sanat: inueteratas vero ac consummatas iuuat nõ mediocriter. Hanc victus rationem medici tenuantem appellarunt (quemadmodum aliam ei cõtrariam, incrassantem) pro eo humore scilicet, quem in corporibus nostris gignit: nota autem longa experientia nobis est, & ratione explorata: nam olfactus ac gustus mentem nostram ad omnes eiusmodi cibos discernendos satis instruunt. Quæ enim sensus nostros pungunt, ac mordicãt, ea omnia, palàm est, acria esse, & quæ succos crassos tenuare queant: quæ etiam si largius æquo sumpta fuerint, ventriculum mordicant, ciborúmq; nauseam magnam inducunt, & halitus acres emittunt, non modo dum manduntur, sed etiam postquam è corpore fuerint egesta. Plurima autem eorum vrinas & sudores graueolẽtes & acres promouent: phymatibus præterea, ac furunculis sunt accommoda. quædã autem ex ipsis cutim diuellunt facile, atq; erodunt: alia vero pertundunt: alia ipsius partem aliquã in pus vertunt: vlceráq; magna, & quas vocant escharas, efficiunt. Hæc omnia satis probant, ea actem quandam, atq; incidentem habere facultatẽ: cui rei euidentissimo etiã sunt argumento humores in corpore nostro ab eis extenuati. Quin & experientia ipsa rationem confirmat: videmus enim corpora omnia, in quibus humores frigidi, crassi, ac lenti abundant, huiusmodi ciborũ vsu maiorem in modum alleuari. Vt in alijs, ita in his quoq; oportet medicum tempori ac mensurę vsus diligenter esse attentum: periculũ enim est, si quis non recte ijs vtatur, ne tandem prauo succo impleatur. Verum de omnibus in præsentia tradere non est institutũ, sed de edulijs duntaxat pertractare. Nemo igitur est, qui allium, cæpam, nasturtium, porrum, & sinapi propter facultatis ipsorum vehemẽtiam ignoret in genere esse tenuãtium: post illa autẽ smyrnium, pyrethrum, origanum, calaminthen, sisymbrium, pulegium, satureiam, thymum: quæ omnia viridia quidem & prius quàm exiccentur, manduntur: exiccata vero, iam non amplius sunt cibi, sed medicamenta: in summa, omne, quod siccum est, viridi est valentius: eorũ vero, quę sicca non sunt, maturiora minus maturis: & quæ in montibus ac locis siccis proueniunt, ijs, quæ in campestribus ac planis & hortis, ac paludibus crescunt, sunt for-

tiora: hęc ſanè ſunt, quę de ijs communiter ſcite cõuenit. Prędictis autem ordine proxima eſt capparis,& terebinthi fructus:his autem etuca,ſium,apium,petroſelinum,otminũ, rhaphanis, braſſicá,& beta.Malua vero,& blitũ,& atriplex,tametſi ijs ſpecie ſunt proxima,facultatibus tamen diſſident:aquea enim ſunt, minimúmque acris facultatis habent,quo modo cucurbitæ,& citrulli, melones,melopepones,& pruna:humida enim ſunt hæc omnia,ac frigida, & pituitoſa, potiſſimum,ſi cruda & non elixa mandantur.Atq; hinc adeo fit,vt quidam citrullos ac cucurbitas duriores elixent.Ex pomis præterea ac piris ea minus nocebunt,quę elixa fuerint.Ad hęc ex ijs,quę cruda mandũtur,ea prędictis minus ſunt noxia,quę ad condendum ſunt apta. Sed de his non eſt nunc dicẽdi locus. Rurſus igitur ad eos cibos,qui ſuccos craſſos in corpore tenuant,reuertamur,ab ijs,vnde ſumus digreſſi, auſpicantes:exactius enim de ipſis determinare eſt neceſſe.Omnia igitur tenera & increſcentia propter humiditatem,qua adhuc toto incrementi tempore affluunt, facultatibus(vt paulo ante diximus)ſunt moderata.Quò fit,vt pleraque medicamenta,dum oriuntur & adoleſcunt,non aliter ac cibi mandantur, vt ſilphij ac ſinapis ſtolones,pyrethri,iringij,& multorum aliorum,quæ olera ſylueſtria vocare conſueuerũt:quę haud ita multo poſt ſpinis adeo horreſcũt,vt ne pecoribus quidem ſint veſca.Hęc autem omnia,vbi commaturuerint, magnam quidem habent incidendi facultatem:tenuant vero admodũ,dum oriuntur adhuc atq; adoleſcunt. Pari modo & vrtica priuſquã exiccetur, eſt eſculenta, præterea fœniculus, ruta, coriandrum,anethum,eiuſdem cum illis ſunt ſpeciei, euidentérq; etiam calfaciũt. Aliud autem eſt olerum agreſtium genus,quæ memoratis minus incidũt, vt mediocris non ſecundæ ſint naturę,quippe quæ neq; incidant manifeſte,neq; denſent. Olera autem communi nomine huiuſmodi omnia nominantur : ſingulis tamen ſpeciebus ſingula nomina à ruſticis fuerunt impoſita,vt lactucæ,cõdrillæ,tum ijs, quę Syrij gingidia vocanr,tum alijs id genus pleriſq; apud ſingulas gentes:Athenienſes tamen omnia communi nomine appellant:veteres autem ipſorum ſpeciebus nullum nomen indiderunt. Cum igitur plures horum ſint ſpecies , & earum pleræq;,propterea quòd nõ vbiq; proueniunt,multis ſint ignotę,vbi eorum facultatem in genere didiceris,nihil erit,quòd ea oculis ſingulatim inſpicere ac dignoſcere deſideres,ſed ipſorum duntaxat enarratio tibi ſatiſfecerit.Siquid igitur olfactui,aut guſtui,aut vtriq; ſimul,acre, & mordicans, & calidum apparebit, ſcito id facultarem habere tenuãdi atq; incidendi.Ad hæc ſiquid olfactui odorem bonum inferens,aromatis ſpeciem guſtui repręſenter,id quoq; viribus calidum eſſe oportet, ſed non æque ac mordicantia , & rodentia, & inſigniter calfacientia. Incidunt pręterea & quæ ſaporem quendam habent nitroſum aut ſalſum , quorum etiam plurima aluum deijciunt:nec minus ijs amara tenuandi facultate ſunt prędita:atq; hinc adeo fit, vt plurimis huiuſmodi vulgo veſcantur:differunt tamen in eo plurimum,ſi vnà cum eis oxymel,aut acetum,aut ſal, aut oleum, aut aliud id genus ſumatur:eorum enim facultas aceto & melle intẽditur:oleo autem minuitur. Siquidem oleum ipſum pręterquam quòd ſuccos craſſos non incidit, eorũ etiam omniũ,quæ id pręſtare poſſunt,robur imminuit.Huius etiã generis ſunt cibi omnes aquei ac mucoſi, præterea olera plurima, potiſſimũ hortẽſia ptopter ſuperfluam humiditatem: quibus omnibus cum aceto veſcũtur, eis quidem,quæ cruda libenter mandunt,id nõ permiſcentes:his vero,quæ elixant,oleũ infundentes.Quidam

autem pro delitijs acetum omnibus permiſcent,ſed cum melle, vel ſinapi, vel libyſtico, vel cumino, vel apio, vel id genus aliquo commiſcentes.Natura enim ipſa ſuggerit, quid ſit faciendum, ac docet non eos modo, qui hoc apertius norunt, ſed ſæpe etiam imperitos, atque idiotas.Quin & ipſe ijs, quibus victus ratione tenuante opus erat, delitijs eiuſmodi vti iubebam, præter quàm carne dactylorum, quam multam pulmentis plurimis commiſcebāt. In ſumma autem de ijs delitijs eſt habendum, omnes eas tenuātibus eſſe accēſendas, quæ tum cū multis acribus & calidis(cuiuſmodi ſunt ea, quę nuper memorauimus)tum cum cæpis, allijs, & coriandro præparantur. Quibus vero ea parcius fuerint permiſta, ſubſtantiam incraſſantem habent copioſiorem. Quoniam autem ab initio de cibis oleraceis diſſerui(in eo enim genere plurima ſunt, quæ tenuanr) ptoximum ſanè fuerit, de aſparagis, quos vocāt, diſſerere, elijs, mixacātho, chamędaphne, vite alba, vitice, ſpina, & alijs eiuſmodi. Eodem in genere ſunt vitium germina, & rubi, & omnia denique arborum germina, quibus veſci conſueuerunt. Mixacanthus igitur, quem vocant, mediæ quodammodo eſt facultatis, ab eo autem elij & chamædaphne vtrinque non multum differunt. Stomacho autem non minus prædictis commodant, vitis albæ, & viticis, & ſpinæ aſparagi: omnium autem maxime auſteri atque adſtringentes, quales ſunt vitis, ac rubi. Spinę vero aſparagus, aluum deijcit. Sed quæ purgāt quidem, non poſſis ante experientiam cognoſcere: quæ vero ventriculum roborant, coniectura poſſis aſſequi. Omnia enim ſtomachum iuuant, facultatiſque ſunt mediocris, quo in genere eſt palmæ cerebrum. Sic enim nominatut tenerum germen, quod è ſumma ipſa planta producitur, vt elate in *oleribus. Qui autem amaroris quidpiam præferunt, quanto amariores, tanto ijs ſunt ſicciores, & incidentes magis. Quòd ſi linguam euidenter mordeant, ac calfaciant, in tenuantibus erunt numerandi. Verum de oleraceis quidem edulijs hæc ſufficiant. De ſeminibus autem deinceps tractabo. Vt autem de eis in vniuerſum dicam, facultate plantæ ſuæ ſunt ſimilia, niſi quòd illis prorſus ſunt ſicciora, eóq; magis tenuantia: non omnia tamen ſunt veſca, vt ne herbæ quidem ipſæ, quarum ſemina manduntur, omnes ſunt eſculentę. Omnia tamen ſemina, quibus veſcuntur, ſua natura ad ſiccius & calidius magis, quàm herbæ ipſæ, ſemper ſunt propēſa. Proinde & papaueris ſemen, herba ipſa eſt melius, adeo vt tanquam innoxiū panibus ipſum miſceant, & placentis. Quòd tamen & ipſum palàm refrigerat, ex eo intelliges, quòd caput grauat, & ſoporiferū eſt: nō tamē ęque ac eius ſuccus, ſed quāto is magis refrigerat, tanto ſemine eſt magis ſoporifer. Soporiferū eſt & lactucæ ſemen. Quandoquidem & olus ipſum frigidum eſt & humidū. Ab his igitur frigidis & humidis ſeminibus ei eſt cauendū, qui tenuante diæta vti volet. Nam ſiſami ſemen ſuccum craſſum ac lentum in corpore gignit: apij vero, & petroſelini, cumini, carui, aniſi, præterea libyſtici, ſinapis, ameos, dauci, ſeſeleos, & omnium deniq; odoratorum, & acrium, & euidenter calfacientium ſemen, tenuante diæta vtentibus côuenit. Quorum quædam adeo ſunt fortia, vt nihil à fortiſſimis medicamentis diſſideant: cuiuſmodi eſt rutæ ſemen, quod validum admodum eſt ac tenuās. Pari modo & lini & cannabis ſemina. Hæc enim non modo ſunt medicamentoſa, ſed caput etiam tentant. Quocirca vnicum eſt tempus, quo quis recte ijs vtatur, cum ſcilicet ſanguinem per vrinas purgare volet. Verum de medicamentis dicere nunc non eſt propoſitum, vt quorum vis & actio eſt magna, eóq; nō eſt eis inſiſtendum.

Aliter lateribus

Ad aliud seminum genus est transeundum, quæ cerealia appellăt: hæc autem appellatio in toto eorum genere Græcis est vsitatior, quàm leguminū nomen, quæ nonnulli chedropa etiam nuncupant. Omnia autem generaliter vocătur legumina: speciatim vero ea sola ex eis appellantur chedropa, quæ manu carpuntur: alia cuncta, quæ falce putantur, frumenta: quidam autem solū triticum, frumentū vocant: alij hordeum quoq; ei adiungunt. Sed vocet quisq;, quo lubeat nomine: ipse vero de eorum omniū facultatibus deinceps pertractabo. Triticū ergo firmissimi est alimenti, succúmq; crassum admodū gignit ac lĕtum. Proinde nisi quis ipsum, quo modo nūc præparatur, exhibeat pręparatū, succus ex eo succrescet vehementer crassus ac lentus. Tritico igitur simpliciter elixo non est vescendū, vt in Asia plerosq; rusticos esitare obseruaui. Nam condiunt id pauco sale, nec ipsum in farinam redactum, vt ἔτνος, id est, pulticulam, aqua vel lacte perfundentes, elixant. Cæterum quod eo modo est paratum, ad coquendū est difficile, & crassi succi: sola autem ea præparatio est probanda, quæ fermento constat, sale, & clibano: paulo deterior, quę minore furno: ex reliquis vero nulla est, de qua verba facere sit necesse. Est & in tritico nō parua speciatim differentia. quippe quod graue est ac dēsum & in profundo flauum, copiosissimi id alimenti est, crassiq; succi ac lenti: cōtra quod leue est & rarū & album, minus nutrit, succúmq; gignit crassum minus ac lentum. Similago autem & alica multum alunt, crassiq; sunt succi ac lenti. Verū similaginem quidem non conuenit eos attingere, qui extenuante victu vtuntur: Alica vero possunt vesci moderate, tum sola aquę incocta, tum vero cum mulso, aut vino, & eo quidē dulci, sed flauo ac tenui, & quod viribus falerno sit proximū. Possunt & alijs multis cibarijs permiscere, & maxime betis tritis, & iusculis accōmodatis. Quòd si quis pultem aut sorbitionem ex alica parare volet, conueniet non anethi modo, sed & porri quidpiam, vel pulegij, vel calaminthes, vel hyssopi, immittere. Piper præterea si misceatur, non solum elixationibus eiusmodi, sed alijs etiā propemodum omnibus, quæ ad tenuantem diætam conferunt, nō mediocriter iuuabit. Ptisana autem ipsa quidem per se nonnihil absterget, vt hyssopo non magnopere egeat. Siquando tamen ipsius vim inaugere velis, piperis aliquid ei permiscuisse sufficerit. Mel vero ptisanæ immiscere non est opus, nisi quis ea, quæ thorace ac pulmonibus continentur, studeat expectorare. In hepatis vero ac lienis affectibus, ipsum admiscere nō cōuenit. Nam horum viscerum tumores à sorbitionibus ipsis solis ex alica adaugentur, & multo magis, si cum melle eas paraueris: at de mellis quidē vsu omni, paulo post dicemus. Nunc autem ad hordeū redeundū. non enim in ptisana tantum eo vescimur, sed & panes hordeaceos conficimus, & eius farinam cum lacte elixamus: præterea ex eo frixo, polentā conficimus: deniq; non secus ac alicam, coctum ipsum in aqua cum vino dulci aut sapa, exhibemus. Verū quod ad panes quidem pertinet, scire oportet omnes quoquo modo parentur, exigui esse alimenti, succúmq; crassum, ac flatus minimum generare. Polentam vero omnem similiter ac panes nutrire, nisi quòd siccat magis, propterea quòd frixa est. farinam ipsam vtrisque esse humidiorem, excrementosámq; magis ac flatulĕtam, & potissimum si cum lacte coquatur. Quod vero hordeum, vt alica, ex dulcibus quibusdam sumitur, propositæ victus rationi multo minus confert. succum enim crassum ac lentum, vt alica, gignit. Sumenda igitur hæc sunt non cum sapa, neque cum vino aliquo vehementer crasso, sed cum mulso, aut vino

quopiam falerno simili. Eodem autem modo & typha vti licet & auena, sunt tamen hęc, quàm ptisana & alica, concoctu faciliora, & excremẽtosiora. Porrò horũ seminum pleraque in Asia ac Mysia proueniunt, adeo vt panes ex eis conficiant, qui vtique & ipsi ad coquendum sunt difficiles, & succi non boni. Olyra etiam, quam vocant, frequens in Asia visitur, mediúmque inter hæc & triticum, locum obtinet. Siquidem tritico tanto est deterior, quanto his melior: vtuntur autem & ipsa eodem modo, quo prædictis. Quod vero ad zeam attinet, nulla alia est inuestiganda, prętẹr olyras &, typhas, quę sunt esculentæ, &, vt ingenue fatear, non mihi constat, de vtris harum antiqui nomen zeæ enunciarint. Tertium enim præter illas genus non visitur, quod eis sit simile, sed typhas & olyras sic vocitabãt. Cum autem Mnesitheus de ijsdẽ seminibus vtrunq; nomen enunciet, typhas & olyras nominans, in eo declarat se suspicari zeam quoddã aliud esse prauũ eduliũ, ipsúmque existimo zeam appellare, quod nos typhas nominamus, aut aliquid his deterius. Cæterũ semen id, vt hordeum, & olyra, & auena, est mũdandũ, ac cortice spoliandum. Quod cũ factum fuerit, tritico, hordeo, & olyra longe est tenuius atque exilius: flauum præterea est, vt triticũ, non albũ, vt hordeum. Porrò hordeum apud quasdam gentes nudũ prouenit, vt in Capadocia, vocatúrque ita vt iamiam dixi. Quòd si aquæ incoctũ, vt alica, cũ aliquo vino dulci sumatur, nullis alijs bonitate cedet. Fabæ autẽ minus quidem, quàm hordeũ, tergent: verũ & ad coquendum sunt difficiles, & multũ flatulentæ. Proinde satius fuerit pisis vesci. Fabis enim ad omnia sunt præstantiora. Eruiliæ vero, & dolichi, & phaseoli, multò fabis sunt deteriores: Lentes autem, tametsi succũ crassum generent, non tamen omnino sunt aspernandæ, sed, quũ aliorum meliorum ciborũ copia non suppetit, eis est vtendũ. Lupini similes sunt lentibus, nisi quòd minus siccãt. Cicer autẽ cibus est flatulentus, & concoctu difficilis, atq; excrementitius: ad mouẽdas tamen vrinas, est accõmodum: terget præterea nonnihil: Eruũ vero, boum magis, quàm hominũ est alimentũ, incidẽdi tamen facultate pollet, vnde & ex eo medicamentũ paratur, quod in ijs, quæ thorace continentur, expectorandis, nulli est secundũ. βούκερας autem seu fœnumgræcum (vtroq; enim modo appellant) non incommode alui deijciendæ gratia, ante alios cibos sumitur: cum melle quoque eius succum exhibent, vt qui calfaciendi vim habeat ac detergẽdi: éstq; ad vtrunq; hoc valde accõmodus: quòd tamen caput tentet, vsus eius multus est cauendus, vt & aliorũ omnium, quæ alui subducendæ gratia, prima mensa sumuntur. Nam bona pars eorum flatulenta est, & ad coquendum difficilis, in quibus est lupinus, eruilia, & phaseolus. Pruna etiam Damascena hydromeliti incocta præmandunt ij, quibus extenuante diæta est vtendum: verum his aluum magis deijciunt, quę ex Iberia importantur. Ventrem præterea subducunt echini marini, & concharum omnium atque annosorum gallinaceorum iuscula, neque quidquam ijs officiunt, quibus tenuante victu vti est propositum. Meline vero seu panicum, & milium, praui sunt succi, & flatulenta, ac concoctu difficilia. Nam alui fluxum vehementer siccant. Lobi etiam hortenses cibo adaptantur: crassi tamen sunt succi, & pituitosi: cæterum fabis minus inflant, nec, vt hæ, detergendi facultate sunt prædití. Quid iam loquar de alijs prauis seminibus, quæ omnes etiam si non moneam, fugitant? de ipsis tantum dixisse suffecerit, solum hordeum ex cibis frumentaceis, tenuanti victui esse innoxium. Secundum hoc sunt panes clibanitæ, qui ex tritico fiunt. A reli-

quis vero est abstinendum, nisi quis forte pisum, vel lentem, aut alicam per magna interualla gustare velit. Ex piscibus saxatilibus, montanisq; auiculis multum, ac copiosum potes alimentum ad tenuantē victum accommodare. Animalia enim, quæ in stagnis, ac locis aquosis, & campestribus degunt, humidiora sunt, atq; excrementosa: quę vero in montibus viuūt, omnia temperatura sunt sicciora, ac calidiora, eorúmq; caro minimum est pituitosa, ac lenta. Ex quibus intelligi potest, animalia omnia, quæ in montibus nascuntur, multo ijs, quæ in locis planis oriuntur, esse præstantiora. Et, vt ego iudico, aues monticolæ non modo quòd aëris, sed etiam alimenti, quod nobis præstant, tenuitate antecedant, alijs auibus, quę in locis aquosis, ac campestribus degunt, sunt praeferendę. Passeres igitur, turdos, merulas, perdices, & reliquas id genus aues monticolas, mandas licet. Abstinendum autem ei, qui tenuante victu vti voler, alijs auibus, quæ in locis aquosis viuunt, vt tardis, quas ὠτίδας vocant, anseribus, & magnis auibus, quas sanè & struthocamelos nominant, & alijs id genus: nam omnia hæc carnem habent excremētitiam. Mandendæ etiam sunt aues eæ, quę tum in turribus, tum in vineis vitam agunt. Ad hęc columbæ turricolæ domesticis sunt meliores, tum etiam pari modo & apri suibus domesticis in cibo sunt anteponendi: ac, vt in summa dicam, omnia, quæ exercentur, ijs, quæ sunt ociosa: & quæ cibis siccioribus, ijs, quæ humidioribus vtuntur: denique quæ purum ac tenuem aërem inspirant, ijs, quæ contrarium, sunt præferenda. Siquidem suum domesticorum caro, omnium aliorum ciborum firmissime nutrit. multum enim in seipsa habet lentorem, tum propter vitam desidiosam, tum propter cibi humidioris affluentiam. Verum ab his prorsus abstinebit, cui propositum erir victu extenuante vti. Quod vero ad reliquas carnes attinet, nō quibusvis simpliciter vescetur, sed si multum sese exerceat, licebit ei & auribus, & rostris, & pedibus suillis vesci, ventre præterea, & matrice, si modo ea elixa belle fuerint. Qui autem vitam in maiore ocio ac quiete degunt, ijs non modo eiusmodi suum esu est temperandum, verum etiam syluestribus. Abunde enim fuerit eis auibus montanis vesci, & piscibus saxatilibus, vtputa iulide, fuca, merula, turdo, scaro, & in summa, omnibus, quæ carnem habent mollem simul ac friabilem: ab ijs vero, quæ duram habent vel lentam, omnino eis est abstinendum. Asellorum autem caro mollis quidem, sed non æque ac saxatilium est friabilis: Mullorum autem, friabilis quidem est, non tamen mollis. Hæ itaque duæ tibi sint notæ, de cuiusuis animalis carne, mollities scilicet & friabilitas: quibus attentus eam animalis carnem, cui vtrunque adest, quantum vis, mandas licet: cui autem neutrum inest, abijcias: cui alterutrum, interdum, cum alijs cares, mandas, modo ea ad saturitatem vsque non vtare. Cum igitur saxatiles desunt, asellos, mullos, & alios eiusdem generis pelagicos, possumus exhibere, & eos potissimū, qui cum sinapi manduntur, cuius generis est scorpius. Sunt & alia quidem animalium genera, quibus alrera memoratarum notarum inest: verum propter alterius exuperanriam, in cibo sunt fugienda. Nam anguillæ, & mollium pars maxima, tametsi carnem habent mollem, quòd tamen succo lento ac pituitoso abundat, ijs, qui tenuante diæta vti volunt, plurimum est noxia. idem accidit & plurimis ostreorum. Hirci autem, & boues, carnem quidem habent minimum humidam, pituitosam, ac lentam: nocent tamen admodum ob duritiem, & in alterando difficultatem. Adhæc plurima ostracoderma, & crustata, vel propter vtrunque, vel propter

carnis duritiem,sunt vitanda.Sola autem chartilagineorum torpedo & turtur laudantur, possisque nonnunquam, in saxatilium penutia, ijs vti. Satius tamen fuerit pisces eos præparari cum beta trita, aut albo iure, porrum prolixius miscendo, & piperis portiunculam. Dictis piscibus, viribus propinquum est buglossum, & * saxatiles pisces. Ex terrestribus vero animalibus, hirci, & arietes, & genus omne ouium,ac caprarum, non vndequaque laudabilis sunt alimenti. Solis autem hædis innoxie vtare: Agnorum esus propter insignem humiditatem est fugiendus:Equorum & asinorum esum hominibus asininis,vt pardorum, vrsorũ,& leonum,hominibus fetis permitto.Proximi asinis sunt cerui, eóque ab eorum esu est abstinendum.Caro autem leporum ad aliam victus rationem siccantẽ est accommoda:ad propositam vero non admodum confert: sanguinem enim vehementer crassum gignit.Ad hæc sanguis omnium animalium in cibo est vitandus, & multo adhuc magis in tenuante diæta. Pari modo & visceribus est abstinendum.sunt enim excrementitia,& ad coquendum difficilia,& crassi succi.Canum vero,& vulpium carnem,nũquam equidem gustaui,nec sane gustare vnquã fui adactus,neq; in Asia,neq; in Græcia,neq; in Italia:aiunt tamen hanc quoq; mandi: cõiectare tamen possum vim ei inesse carni leporum similem.Nam canis,& vulpes,vt summatim dicam,temperamento sunt sicco. Porrò quemadmodum partibus porcorum extremis vesci concessimus,ita & gallinarum alis vti concedimus:testes tamen,& viscera tenuanti diætę non competunt:corpotum autem gallinarum esum,si quis exerceatur,non veto, & potissimũ earum,quæ in montibus fuerunt enutritæ: qui vero non exercetur,mandendæ ei erunt modice, non modo gallinæ,sed columbæ etiam,ac turtures,tametsi turtur tẽperamento est sicca, & potissimũ,quæ in montibus degit, itaq; vesci quis poterit ijs innoxie: recens tamen non turtur modo nõ est mandenda,sed nec perdix,nec alia omnia,quæ catnem habẽt moderate siccam, sed vbi vnum diem ad minus suspenderis,ita demum mandas licet.Porrò palumbes, præterquam quòd carnem habent columbis, & perdicibus, & turturibus duriorem,difficilem etiam ad coquendum & excrementitiam habent.Perdices vero, ac turtures,neque durissimas habent carnes,neq; concoctu difficiles, neque prauo succo vitiosas,sed & ipsarum durities,si mortuæ vno die asseruentur,facile vincitur, fiúntque friabiles omnino atque inculpatæ. Alimentum enim corpori dant laudabile,sanguinémque minimum viscosum generant, & crassi ac tenuis mediũ. Proinde quibus salubris cibus curę est,eos,vt arbitror,vti his conueniet. Verum de ijs quidem dictum abunde est, ad ea,quæ restant, est transeundum. Olerum omnium radices (vt generatim dicam) excrementitiæ sunt,& concoctu difficiles. Solius autem dauci,ac pastinacę radix ptopositæ diætę vt nihil incõmodat,ita nihil confert. Aduersissimæ autem sunt rapæ. His paulo minus aduersi sunt bulbi. Omnium autem pessimi sunt fungi. Itaque eorum omnium, quæ gustu nullum morsum,nec acrimoniam,nec calorem referunt,radices suspectas habere oportet, vnde & bliti radix vitanda,tametsi olus hoc minimũ sit pituitosum.Quid iã olera memorem,quorum non solum radices,sed germina etiam & stipites ac folia,succum gignunt pituitosum? Vt autem paucis rem omnem finiam, omnes quidem radices tanquam ad coquendum difficiles habere suspectas oportet, solæ autem acres ac calidæ gustandæ, vt sunt allij, cæpæ, & radiculæ, eæque pro pharmacis potius quàm pto alimentis sunt habendę. Atq; de radicibus hęc dixisse sufficiat.

In antiquo est Persici, puto tamen legẽdũ esse Petrini.

tempestiuum enim iam fuerit ad fructus arborum transire, quorum plerique sunt humidi sine vlla siccitate, & potissimum, qui non reponuntur. In quibus ij minus sunt noxij, qui ventrem lubricant, cuiusmodi sunt mora, & post ea, pruna, & cerasia ac ficus. Deteriores autem sunt, qui tarde permeant, & maxime si consistentia sint duri. Ab eis enim prorsus est temperandum. Mandendi autem, qui ad reponendum sunt apti, qualia sunt pira, cydonia, & pleraque vuarum genera, in quibus molliora potius quàm duriora sunt edenda: nemo tamen vllo horum ad sanitatem vtetur, quemadmodum neque pomis, neque persicis, neque armeniacis, quę Latini præcocia appellant, & ijs multo adhuc minus sericis, quæ vocant, myrtis, & alijs eiusmodi: pari modo nec mespilis, nec sorbis, quibus tamen rectè quis ad alia vtetur: ad victū autem extenuantem non sunt accommoda, & potissimū mespila. Vt autem summatim perstringam, quæ vehementer sunt austera ac pontica, huic victus rationi sunt aduersa. Soli autē ventris fluxui, aut vētriculo, stomachóve imbecillis conferunt. Porrò inter ea, quæ in hyemem seruari possunt, caricæ, ac nuces tū ad id sunt accōmodatissimę, tum etiam nihilo minus ad propositam nobis victus rationem. Pistacia præterea, & amaræ amygdalæ, haud quaquā sunt improbanda: his duriores sunt nuces ponticæ, nullámque abstergendi ex visceribus excrementa habent facultatem. Castaneæ vero siue elixentur, siue assentur, siue denique frigantur, semper sunt prauæ, & multo magis, si crudæ mandantur. Oliuæ autem, quod ad propositam diætam attinet, medium quodammodo sunt edulium. Proinde neque eas magnopere commendare possim, neque damnare, quemadmodum nec vuas pensiles. Quæ vero in vinaceis seu βρυτίοις conduntur, ventriculi quidem imbecillitati conferunt: præsenti autem scopo, haudquaquam: & his adhuc minus, quæ in vinis conduntur. Vuæ passæ, si non sint adstringentes, lieni quidem & hepati tumentibus non conducunt: thoracis tamen ac pulmonis affectibus conducunt. noxia etiam sunt mala punica, si fuerint pontica, imbecillum tamen ventriculum iuuāt. Atque etiam de alijs arborum fructibus, si ad memoratos iam cōtuleris, licebit similiter pronunciare, siquidē duri omnes ac pontici, sunt praui: reliquis vero, moderate vti poteris. Quòd si quis existat, qui in varijs sui partibus sapores habeat diuersos, partes quidē acidę & acres sumendæ: alijs autem temperandum. Multos sanè eiusmodi reperias, vt malum medicum, quod etiam citrium nominamus, quippe cuius cortex est acris: acida autem pars intima, eius caro pituitosa ac crassi succi. Quæ in aceto & muria conduntur, ea tantum à pristinis viribus esse immutata, sunt putanda, quantum à conditura fuerint alterata. Quò fit, vt, cū acetum & muria ex eorum numero palàm sint, quæ incidunt ac tenuant, pisces aridi atque exucci, humores crassos ac lentos vehementer attenuent. Eligendi tamen sunt, qui natura carnem habent mollem: fugiendi vero cetacei, & eis adhuc magis ipsa cete. Quòd siquis penuria melioris vesci his velit, vel alioqui appetat, ἀποθέρμῳ id est, condimento aliquo acri (cuiusmodi est, quod ex sinapi vel oleo & aceto solo fit) erit vtendum. In summa autem, ciborum omnium id est commune, vt qui in memoratorum quopiam conduntur, aut parantur, extenuanti victui maxime conferant. Proinde qui hoc victu vti volet, licebit ei ijs omnibus vesci, si ex aceto aut oxymelite fuerint præparata: tum alijs etiā plurimis eorum, quę succo omni exhauriri queunt. Quin & suilla ipsa exucca tutò vesceretur, quæ vtiq; alioqui esset vitāda, vt quæ succū crassum ac lentū generet.

Cum de ijs abunde tractauerimus, reliquum eſt, vt de melle ac vino diſſeramus, & prius de melle, quod vtiq; nō modo reuera ciborū eſt dulciſſimum, ſed ſuccum etiam conſiſtentia tenuiſſimum gignit. Quod vero ad vina pertinet, quæ dulciā admodum ſunt, omnia ſanguinem craſſum gignunt: nigra nanq; hęc ſunt, & conſiſtentia craſſa, & ijs adhuc magis ſireon, quod vocāt, id eſt, ſapa: eſt autem id muſtum plurimum coctum. Sunt qui & ficuum ſiccatum decoctum ita nominent. Eſt autem decoctū id prauo melli adſimile, habétq; & ipſum incidendi vim quandam, in eo tamen à melle plurimum ſuperatur, vt parū abſit, quin tenuantiū ſpecie excludatur. Porrò ficus exacte maturæ, ex medio ciborum ſunt genere, quod genus ſuccos neq; condenſat euidenter, neque tenuat. Aliæ vero omnes hoc genere ſunt inferiores, quippe quæ nondum ſatis maturuerint, vt vinum muſteum, craſſi ſunt ſucci ac frigidæ, præterea ad concoquendum difficiles & flatulentę. Id tamen eis ineſt commodi, vt celeriter permeent, ob idq; ipſum haud multum officiant. Eiuſdem ſunt naturæ vuæ dulces, & his adhuc magis palmulæ, quarū quæ in Alexandria, Cypro, Lycia, & Cilicia, proueniunt, condi omnino nequeūt, ſed vt ſunt, manduntur, quòd propter ſuperfluam humiditatem celeriter putreſcant. Alię vero, quæ condi poſſunt, minus ſunt noxiæ, craſſum tamen & ipſæ ſuccum gignunt. Proinde ipſarum eſus in propoſita victus ſpecie eſt fugiendus. Quod vero ad vina attinet, quæ clara ſunt ac pellucida, coloréque pallida ac flaua, ea forte minimum dulcia inuenias. Præterea nullum album dulce comperies, quemadmodum nec flauum quoduis, admodum eſt dulce. Cæterum eiuſmodi omnia, ſanguinem conſiſtentia gignunt mediocrem. Quæ vero craſſa ſimul ſunt & nigra & dulcia, craſſo ſanguine venas referciunt: at alba ſimul & tenuia, humores craſſos incidūt, & ſanguinem per renes purgant. Quæ vero inter hæc conſiſtentia ſunt media, vt ſunt flaua ſimul ac dulcia & ſplendida, viribus etiam quodammodo ſunt ſimilia, vt quę neque vt craſſa, ſanguinem craſſum generent, neque vt alba, per vrinas ſecedant. Sunt autem vina apud omnes gentes plurima, celebrantur tamen in primis *Ariuſium, Leſbium, Falernum, & Tmolites, quibus ſemper intentus, media deliges, quòd omnia ſanguinem bonum & conſiſtentia mediocrem generēt. At quæ odora ſunt, & alijs vinis calidiora, ea merito caput tentant. Quocirca vitanda eiuſmodi ijs erunt, qui cephalæa, aut hemicrania, aut alia cephalalgia laborāt, vt epilepticis, & maniacis, &, vt in ſumma dicā, omnibus, quibus caput infeſtatur, ſunt fugiēda. Affectus vero omnes thoracis ac pulmonis, qui diuturni ſunt & ſine febre, à vinis eiuſmodi multū iuuātur, & potiſſimum qui humoris per ſputa expectoratione purgantur. Nō enim incidēda tantū ſunt, aut calefaciēda, quæ belle ſputis ſunt expectoranda, ſed moderate etiā humectanda, ne tādem ſiccata ſputa, ac lenta reddita, tuſſes excitent, exitúſq; violentia, vas aliquod in ruptionis diſcrimen adducatur. Quamobrē quę vina ſunt craſſa & dulcia, propterea quòd humiditatem habent craſſam, & ob id ipſum perdurantē, in thoracis ac pulmonū affectibus, ſi cū tenuantibus medicamentis adhibeantur, multū adferent commodi: verū nec acerbam, nec auſteram, nec omnino adſtringentē vim eis ineſſe, ſed ad melleam magis odore ac guſtu & viribus omnibus ſpectare ipſa conueniet. Eius generis eſt, quod in Pamphylia prouenit, tum quod Tmolitem appellāt (abūde enim fuerit eorum, quæ dicimus, velut normam & ſcopum ſubieciſſe, in quem intentus omnia ſimilia ex eo inuenias, ac dijudices.) Optimum ſanè ſuorum congenerum id eſt, cuius

* Ariuſiū lege ex libro 5. ſanit. tuēdæ: & 12. Meth.

tamen ſi copia non ſit, vti licebit Thereo, & Protropo, & Thyrino, & Carino. Nigri autem dulcis ſimul & auſteri exemplum petes ab eo vino, quod fert Cilicia, quippe quod Aegeatem nominãt, omnibus vtique thoracis affectibus, (de quibus nunc agimus,) eſt noxium, & eo etiam magis, quę vehementer ſunt acerba. Porrò non omnia dulcia, nec ea, quæ exiguam habent dulcedinem, ſunt aſpernanda, quæ tametſi multis in locis proueniunr, pleriſque tamen ſunt incognita, adeo, vt neque mercatores ipſa ſtudioſe coemant, nec apud profeſſores magno in pretio ſint. Solum autem vinum ponticum in conuiuijs, aut nuptijs, aut ſacrificijs, aut alijs celebritatibus adhibebant: multum enim implent: & tarde permeant, ambáſque excretiones morantur, tum eam, quæ fit per anum, tum quę per veſicam: hærentque in hypochondrijs diutiſſime: & facile aceſcunt: nauſeámque prouocant. Soli autem ventri fluenti conferunt, ídque ſi moderate ſumantur. Eiuſmodi vini in locis Aegiſoliæ campeſtribus magnus eſt prouentus, cui ſimile aliud eſt, quod iuxta vrbem quandam Pergamo vicinam habetur, quo vtique omnes eius regionis incolæ propter conſuetudinem citra moleſtiam vtuntur. nam debito modo ſumptũ ſitim extinguit: lædit autem omnes, qui ei non aſſueuerint: corpora tamen bibentium euidẽter nutrit: cui rei argumento ſunt incolæ iuuenes, qui in palæſtra, bonæ habitudinis comparandæ gratia ſeſe exercent: vtuntur enim hoc vino in potu non aliter, quàm ſuilla in cibo.

sic legit antiquus

Claudij Galeni Pergameni De attenuante victus ratione libri finis, Martino Gregorio interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE PTISANA LIBER, IOANNE POLITO INTERPRETE.



Oſteaquam haud pridem aliquot inueniſſem medicos, qui ptiſanæ cremorem porrexerint quidem languentibus:nō tamen declararint quibuſnam ægris hanc vſurpare expediat,obſitve:nec modum,aur exhibendi menſuram,neq; ſorbitionis aſſumēdæ accommodatum tempus aſſignarint:verum vbivbi libuerit,vſum eius ſtatim opportunum eſſe autumarint: Viſum mihi eſt,quæcūq; ab Hippocrate obſcurius de ptiſana recenſentur,hęc ipſa multorum nomine interpretari, ſimúlq; enarrare elixandi rationem,tum huius vím,actionem,occaſionē,menſuram, porrigendi modum,tum quot afferat emolumenta, ſi rite decumbentibus propinetur:quantam rurſus iiſdem noxā, ſi inopportune exhibeatur:adhæc quibuſnā corporibus hanc dare conueniat,quibúſq; minime conducat. At quoniam complicata quædam res eſt ptiſana cum eius cremore,ex hordeo nanq; probe tuſo, id eſt extenuato,atque aqua & nōnulla coctione conficitur: ergo primū huius partes per capita commemorare decreui. Ni enim quiſpiam hæc antea perpendat, apprime vtique læſerit. Deinceps itaque & reliqua omnia, nobis exacte penſi habebuntur. Quòd igitur optimam aquam, in ptiſanæ cōfectionem electum iri,neceſſum ſit,neminem ambigere arbitror. Porrò probatiſſima aqua,tum ſubſtantia,tum guſtu,rum odore, tum colore diſcernitur.E guſtu quidem atq; odoratu,vt nullam exoricam referat qualitatem: hoc eſt non exiſtat dulcis, nō ſalſa, nec acida, aut acris,non grauiter olēs,vel putris, neq; penitus vllius acquiſitæ qualitatis particeps,ſed prorſus ſimplex,ac citra omnem alienam qualitatem atque immiſtionem, quæ vel guſtu,vel olfactu deprehendatur. Oportet præterea, pellucida ſit, pura,miniméq; cœnoſa: ſed veluti exquiſire colata, fruſtillorúmq; innatantium expers. Siquidem huiuſcemodi aqua vſui accommoda eſt:natura vero haudquaquam ſic ſyncera exiſtit, perinde ac ne vllum quidem aliud ſenſilium elementorum. Cæterum ſi quo pacto dixi,aqua fuerit, illico tenuium eſt partium, facilis & concoctu & diſtributu, atque præcordia ſubito tranſit:nec ſolum nō difficilis eſt alreratu,appropinquans caliditati naturali,ſed & igni externo admota, breui calefir. Teſtis quoque huius orationis Hippocrates eſt:quippe aquam quæ celeriter caleſcat, rurſúſque euestigio refrigeretur, hanc leuiſſimam eſſe exiſtimat. Porrò non pondere leuem diiudicat,verum quæ tenuium ſir partium, nec grauatim contrariam admittar qualitatem. Huiuſcemodi ſanè aqua tum frigida eſt, tum humida, propriéq; aqua nominatur. Quæ vero vel ſubſtantia, vel qualitate,ab hac degenerant, vt ſunt bituminoſæ,ſulphureæ,aluminoſæq;,tanto ab huius diſcedunr natura,quanto alienatę ſunt. Expetis autem vel demonſtrationem,quinam ſcilicet aqua infrigider,madefaciátque:atqui id explicari non eſt præſenris ſermonis, nimirum cum de ptiſana dicere decreuerim. Verum quòd aqua frigida ſit & humida, priſci vniuerſi indicarunt:atq; ipſa experientia ſuffragatur. Ergo cum omnia in ratione iſta cōueniant,

hanc aquam aſſumito. Porrò nunc in hordei enarrationẽ deueniamus. Hordeum itaque ſanè generaliter acceptum, refrigerat atque exiccat. Habet autẽ quippiam deterſiui ac inflationis: vtriculorum nanq; furfuraceorum ratione, & aridius exiſtit, & magis abſtergit. Quod vero in eo velut carnoſum eſt, atque nutriens, tergit quidem vel id, ſed minus furfure. Ineſt etiam huic quippiam inflationis. Cæterum altera membrana tenuis, quæ à furfure plus interna eſt, hordeúmq; inuoluit, ipſa mediocris inter hæc viribus eſt: ideo abſtergit furfure minus, potius autem hordeo. At optimum hordeum ſermone noſtro ſubaudiri neceſſum eſt: quod videlicet nil adſcititiæ putredinis aut redundantis humiditatis contineat: non nimis recens, vel plus æquo vetuſtum ſit: Nam recentius fœcundum eſt ſuperfluo madore, quem ex regione contraxit: plenũ humiditate, atq; ſpiritu refertum. Vetuſtius vero diutino tempore exhauſtum, imbecilléq; fit, ac ſuis deſtituitur viribus. Indicio autem fuerit, corrugatio huic enata, magnitudiniſq; eius imminutio, & quod dum inciditur, velut friatum emittat puluerem. Præſtat igitur integrum eligere hordeum, in ptiſana conficienda: nempe quod haud plus iuſto recens vel vetus ſit, omniſq; adſcititiæ qualitatis expers. Atqui ne hoc quidem ſolum ſuffecerit, quin & experimento id explorare conueniet: quippe ſi ad nunc memorata, dum elixatur, in tumorem quoque affatim attollatur, ſumendum tibi profectò fuerit in ptiſanæ coctionem, dummodo hac ratione (quatenus liceat) conſtruere tibi certum ſit. Iam ſanè quænam optima aqua, quóq; pacto hanc diſcernas, tum quod probatiſſimum hordeum, & quibus id agnoſcas indicijs, ſummatim recenſuimus. Reliquum dicendo tertium eſt, vtiq; coctio. Conſtruunt ſed enim nonnulli ptiſanam, mortario prius hordeum in exiguas infringentes partes, dein ſubito coquẽtes adijciunt * elixationem * alij vero amylum, ſunt qui cyminum & mel. Sed vitioſa id genus confectio eſt. Verum præſtantiſſima, quámq; merito concinnes, huiuſcemodi fuerit: Primùm hordeum crudum in aqua macerato, deinde manibus adeo terito, vt tenuis membrana conſpiciatur: poſt hæc iterum manibus eatenus ſcilicet valenter conterito, vt quódq; glumoſum excutiatur. Atqui ſicui eſt animo, hanc plus abſterſiuam efficere, ſatius fuerit eam ſimul cum membrana decoquere. Fit autẽ elixatio hoc modo, vt ſcilicet hordeum primo diu coquatur: mox ad mollem quoque ignem, donec multum ſucculentum reddatur. Sic ſanè elixata, quicquid inerat flatuum deponit, atque cuncta nanciſcitur cõmoda, quæ atteſtatus eſt Hippocrates. Siquidem viſcidum eius (inquit) lene, continuum, & blandum eſt, lubricum, modicéq; cum humore flaccidum: ſitim obrepere nõ ſinit: & (dummodo eo vſus ſit) facile infernis elabitur: neque adſtringit, aut moleſte vellicat: nec dum in ventre eſt, in tumorem eleuatur: nimirum cum tam in elixatione tumuerit, quatenus vel maxime tumeſcere natum erat. Quòd vero ptiſana nil contineat glutinoſi, aut obſtructioni aptum, (veluti vniuerſa cætera quæ lenta ſunt) perſpicuum eſt. Detergit nanque non ſordem corporis ſolum, ſed & exhibita pituitoſum quoque in ventre humorem expurgat. Porrò abundans decoctio, exactáq; miſtorum vnio, hunc apparentem efficit lentorem. Atqui nec euidens eius viſcidum, vllam ſanè habet aſperitatem: verum lene penitus, atq; æquale eſt: quinimmo & continuum: ſiquidem nullius adſtrictionis, aut acredinis (è quibus aſperitas naſcitur) particeps exiſtit. Lene autẽ neceſſario continet, nõ modo tactu, ſed & ipſa potẽtia: quippe alia lenta (quẽadmodũ ſunt oleum, mel, atque reliqua)

ἕψημα, id eſt ſapa

tangenti tibi lenta videbuntur, & æqualia, nihilq; ineſſe inæqualitatis, vt ſcilicet aliquod tenue,aliud craſſum,aut diuulſum,ſeu diuiſum ſit:atque ex hoc cernuntur lenitatem tactu poſſidere, in alia autẽ quapiam actione facultateq; haudquaquam.Sed enim illa admota,neq; vniuerſas corporis particulas iuxta & continue humectant,verum diſſident in hoc ab inuicem omnium viſcidorum partes,præter ptiſanam. Hæc nanq; à tactu lenis exiſtit, continua,diuulſioniſq; expers:atq; talis ipſa conſiſtit potẽtia.Illa vtiq; guſtu nullam referunt ſuauitatem:Hæc vero inter alia & ſaporis quoq; quiddam dulcis, blandiq; exhibet,ac potiſſimum ægrotantibus.Iam tametſi panis reliquis præſtet virtute,atqui & is iniucunditatem multam habet,& ſi maceretur aqua(vt ſanè indiget manſum.)Rurſus vel hac parte ptiſana longe ſuperior fuerit,cum ne vllam quidem dum mãditur,inferat inſuauitatẽ, habeátq; quoddam lubricum,idq; maxime huius ſuccus: nec opplendo quippiam in tranſitu relinquat,veluti cuncta tenacia (hac dempta) facere ſolent. Siquidem hæc,quòd ei detergendi vis inſit,facile in partes ſecũdum thoracem commeat:ſic & ad excretionem,digeſtionémq; idonea eſt, atq; maxime his, cũ quæ aſſumunt, grauiter iecoris partes tranſeunt.Cæterũ flaccida moderate exiſtit,id eſt madida,ac ſitim abigens.Madidũ vtiq; ex aqua nanciſcitur,verũtamen idipſum quoq; cõfractum,ob hordei videlicet naturam modice ſiccantem.Nam quod ex diſſidentibus cõplicatum eſt facultatibus,aſcititiam quandam naturã ſortitur,atq; ab extremis alienũ eſt.Sitim autem reprimit,ceu humidum, atq; eandẽ (quantumuis humiditate inferior ſit)plus aqua cõpeſcit.Porrò quòd citius digeratur,quòd ob eius lentorem firmã quandam habeat humiditatẽ,quódq; præterea frigida ſit,horũ inquã nomine,febribus ardẽtibus accõmodatiſſima eſt.Nimirum his omni ex parte opponitur,refrigerans ſcilicet & humectans,ac ſuccos putridos detergens,atque nõ parum alimenti corpori conferens: ſemiputres vero ſuccos concoquens,& incõmodum humorem tranſmutans.Hæc autem vniuerſa adipiſcitur,cũ interim nullius adſtrictionis,aut ventriculi euerſionis particeps ſit. *

Lenis autem eſt,non ſolum dum tangitur, verum etiam ſua ipſius tum actione, tum facultate. Eſt vero blandi ſaporis, hoc eſt nullam habens inſuauitatem,humida,atq; ob præſentem lentorem ſitim arcet. Quòd autem lenis,madida,iucundáq; ſit,adſtrictionis,aut alterius validæ qualitatis expers eſt.Et inter cætera omnia,quòd cõmodùm elixata ſit,ſitim obrepere vetat. Ergo cum ſic ſe habeat,acutis febribus admodum conueniens fuerit. Nec ea tantum gratia, quòd his vndequaque repugnet:ſed quòd è maxime concoctilibus ſit, ac in nulla non qualitate imbecillima,digeſtúq; facilis,atque ob deterſiuam vim,putridos ſuccos luſtret,ſemiputres autem cõcoquat. Verum haud nude,in morbis hãc porrigere expedit: ſed circunſcriptionibus multis opus eſt. Neque enim periculi diſcrimine laborantibus eam dare conuenit:nec his qui indigeant venæ ſectione,aut purgatione,aut quopiam clyſteri: nec quorum venter excrementis redundat, aut ingenti quodã cruciatu turbatis:minime tamen his,qui medicinalibus fomẽtis,vel ſanguinis imminutione,vel purgatione indigeant. Contemplandæ porrò ſunt,tum occaſio,tũ exhibendi menſura. * Sanè itaq; ſi quiſpiam ſemel veſci aſſueuerat,& huic vnicam exhibebis potionẽ: ſin vero bis in die nutriebatur, duplam efficies portionem. Adcrementum autem ſorbitioniſque adiectio,nequaquam in acidioribus morbis admittenda eſt:ſiquidem hi va-

lidiores ptiſana potiones expetunt, quæ ſcilicet vberius madefaciant. Sunt vero morbi ſicci, πλευρῖτις, id eſt lateris dolor: περιπνευμονία, id eſt pulmonia: ac in vniuetſum, qui in pectore conſiſtunt: cum videlicet nullum ſputum reddatur. Hi etiam qui in iecinore, ventre, & inteſtinis ſunt, nimirum dum aur nihil excernetur, aut durum, nec vt neceſſum erat, aut dignum memoratu. At quæ in arterijs & venis contingunt ariditates, hæ tum lingua, tum externo colore perſpicuæ fiunt. Sic & qui in capite ſunt affectus, patent, dum nihil vel palato, vel naribus expurgatur. Pari modo ſiccæ phlegmonæ, atque hulcera exiſtunt, cum haud quicquam ſecernant ſaniei. In huiuſcemodi igitur ægritudinibus ptiſanam conficere minime conuenit: nam has humectare nequit: proinde cum non nimis madida ſit, atque idcirco his morbis parum conferat vtilitatis (vtpote multam validámque expoſcentibus humectatricem facultatem) hinc è replerionis quoque offenſa, corpora tentaret. Cum vero corpus humidius extiterit, ac ex pulmone quippiam ſputi procedat, augenda atque adijcienda ptiſanæ exhibitio fuerit: hæc nãque madefaciens, iuxtáq; incidens largam in corpore humiditatem, afferendo ſcilicet huius particulis, ob ſyncerum alimentum, robur, breui animal ab turbante malo ſucco explicat: quippe cum ambo conueniant, vitioſa excremenra facile expurgantur. Sed ne vllum quidem alterum datur inuentu, quod ſiue vt medicamentum, ſeu tanquam nutrimentum exhibeatur, horum amborum compos ſit: ſiquidem aut modice attenuando, humens præbebit alimentum, veluti ſunr panis, alica, oua, & piſces: aut ſi inciſiuæ fuerit facultatis, & madefacere & nutrire neutiquam poterit: ſicut eſt acetum mulſum, & ſiquod id genus aliud. Verum hos vſus omnes ptiſana complectitur. Atqui hæc ipſa nil ſanè emolumenti conciliarit, ſi citra circunſcriptionem adhibeatur: quin potius ſi porrigatur, vel exitij cauſa conſtituitur: nempe cum excrementorum purgationis nomine, clyſteri indigeat æger: vel venæ ſectione, ſanguinis redundanriæ ergo: cum ſcilicet dolet ex repletione naſcitur, ſi tum ptiſana afferatur, vtique cauſa interitus fuerit: forſan duplam quoque efficiens repletionem. Eapropter haud expedit hanc febre affligente, propinare, ſiue hæc cum cruciatu ſir, ſiue eo careat. Sed neque ſi paulo ab nutrimento (antea quàm inferius excernat) febri homo corripiendus eſt. Huiuſcemodi autem circunſcriptiones, non ad ſuccum ſolum, ſed ad ipſam etiam ptiſanam attinent. Quibus iraque emolumento fuerit, his non conueniet hanc illico porrigere: at primum duntaxat ſuccum, vel ſucci quiddam vberius: ptiſanæ autem parcius: mox vtrunque ex æquo: tandem eam ſolam: pro comperto habens, ptiſanam in robur, corporiſque alimentum, maximopere conferre. Cremorem vero facilium eſſe tum operationis, tum concoctionis, digeſtioniſque. Hæc habui, quæ de ptiſana ſummatim referrem: quò agnoſcas & moderatum eius vſum, & neceſſarias circunſcriptiones.

Claudij Galeni Pergameni De Ptiſana libri finis,
Ioanne Polito interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE PARVAE PILAE EXERCITIO LIBER,

Valerio Centannio Vicentino interprete.



Vàm quidem ad bonam valetudinem conferant exercitia ò Epigenes,quámque ipsa opus sit cibaria antecedere,ab antiquis præstantissimis,tum philosophis,tum medicis sufficienter traditum est: quàm vero illa, quæ ex parua pila habetur exercitatio alias omnes excellat, hoc nondum satis priorũ quispiam explicauit.æquum igitur est,vt quod hac in re sentimus,id nos in medium afferamus.tu autem dictorum eris iudex,quippe qui omnium optime eius artem exercueris. at vero ijs sanè vtilia dicta esse videbuntur,quibus vel tu commentariolum hunc fueris impertitus.ea nanq; (vt arbitror) omnium conducentissima est exercitatio,quæ non modo corpus fatigare,verum etiam animam oblectare possit.& profecto qui leporũ, ceruorum,aprorum,cæterorúmq; id genus insectationem,nec non aliam quamlibet venationis formam adinuenerunt,voluptate,oblectamento,& cupiditate laudis,horum laborem temperantes,illi sapientes, & humanæ naturæ peritissimi extitere.tantum enim in ipsa potest motio animæ, vt & multi præ sola lætitia morbos euaserint, multi etiam præ mœrore ægrotauerint. neque vlla est tam vehemens corporis passio, vt affectiones animæ vincat.non igitur paruipendere oportet huius motiones: quales nã sint:immo vero longe magis quàm corporis motus obseruare:tùm alijs de causis,tum quòd corpore dignior sit anima.hoc igitur omnium,quæ ex hilaritate constant,exercitationum commune. alia vero earum sunt propria,quas nobis ex parua pila comparamus:quæ nos nunc exponemus.

Principio quidem adest facilitas.si igitur consideraueris quanto egeant apparatu, & ocio, tum cætera omnia venandi exercitia, tum quæ lepores, ceruos,apros, atque id genus alia, canibus insectando fiunt, tibi manifeste constabit,neq; ciuilibus addictos negocijs,neq; artifices ipsos ad huiuscemodi exercitia accedere posse: multa enim hæc,atque admodum liberum hominem exposcunt.hoc autem solũ adeo familiare est,vt ne quidem infimus eius indigeat apparatu:non enim retibus, non armis,non equis, non venatorijs canibus, sed pila sola,& quidem parua,opus est.adeo vero actionum aliarum rationem habet, vt earum nullam sua causa nos deserere cogat.quid vero vnquam commodius esse possit, quàm quod & humanã fortunam omnem, atque actionem admittat? vti nanque venandi exercitijs nobis non adest facilitas:diuitias enim instrumentorũ apparatum suppeditantes,ociúmque liberum opportuniratem attendens exigunt:paruæ autem pilæ exercitationis instrumentorum apparatus vel infimis (vt dictum est) facilis existit: atq; vtendi occasio vel plurimum negocijs addictos expectat.cõmodum igirur,quod in huiuscemodi exercitationis facilitate consistit, tale est. eam vero aliarum omnium quàm integerrimam esse, hinc potissimum cognoueris: siquidem ipsarum vniuscuiusque vim, & naturam intueberis:alias enim singulas inuenies, vel vehementes,vel mites,vel corporis inferiora magis,vel superiora, vel præter cæteras partẽ


aliquam, vt ilia, caput, manus, aut thoracem mouentes: quæ autem omnes corporis partes æqualiter moueat, poſſitque & in ſummam vehementiam tolli, & in minimam motionem deprimi, aliarum nullam inuenies, illa excepta, quæ ex parua pila habetur exercitatio: hæc inquam concitatiſſima viciſſim, & tardiſſima, & ad placitum, vtq; corpus tolerate viſum fuerit, vehementiſſima, & remiſſiſſima fieri conſueuit. ſic vero & ſimul omnes corporis partes, cum hoc præſtare viſum ſit, & quaſdam præter cæteras, cum hoc itidem videatur, mouere licet: cum enim inuicem congredientes, ſéque, ne conſtitutus in medio pilam excipiat, mutuo vetantes laborauerint, maximum id, vehementiſſimúmque eſt, multis vtpote colli obuerſionibus, multíſque palæſtricis occurſibus cõmiſtum: adeo vt & caput, & ceruix, colli obuerſionibus, latera vero, thoráxque, & venter, faciei elationibus, ac depreſſionibus, expulſioníbúſq;, ac obnixibus, aliíſque palæſtricis ritibus fatigentur. eodem autem exercitationis genere, iliáque vehementer, ac inceſſus fundamenta crura tenduntur. Progreſſus vero, & in obliquum ſaltitatio nõ paruum eſt crurum exercitium: immo reuera id ſolum eſt, quod omnes eorum particulas ſumma cum iuſtitia moueat. dum enim procedimus, aut recedimus, aut nos in obliquum tranſferimus, alij atque alij nerui, ac muſculi plus fatigantur. quicunq; etiã vno motionis genere crura mouet, quemadmodum qui ſine ratione curſitant, ſic quoque non ſecus, quàm qui crebro ſeſe in obliquum tranſfetunt, partes inæqualiter exercet. verum quemadmodum cruribus, ſic & brachijs, exercitatio hæc ſumma cum iuſtitia proprium partitur opus: ſiquidem in omni figura pilam excipere conſueuerunt. hic enim neceſſe eſt, figurarũ varietatem alios atq; alios muſculos vehemẽtius tendere: adeo vt omnes viciſſim laborãtes, intermiſſionẽ his habeant æqualem, qui dum alij operantur, quieſcunt: atq; ita viciſſim omnes operantes, & quieſcentes, neq; ſegnes omnino relinquantur, neq; ſoli laborãtes laſſitudine corripiantur. quòd autem & oculos exercere oporteat, hinc videre licet: ſi animaduerterimus quòd niſi quis, quò vergat pila, diligenter præuiderit, quo minus eam attingat, ipſum aberrare neceſſe eſt. In hoc autẽ & conſilium æquale ſolicitudini paret opus eſt. tum illam ne humi incaſſum deijciat, tum vt verſantem in medio eandem aſſequi prohibeat, vel ipſe tranſmiſſam rurſus excipiat. atqui ſolicitudo corpus ſola quidem extenuat, cuipiam vero exercitio, ac laudis deſiderio commiſſa, vtpote in lætitiam deſinens, ad bonã corporis valetudinem, atque prudentiam plurimum confert. illud autem exercitium non modicum præſtiterit vſum, quod ambo corpus videlicet, atque animum, pro ſua vtriuſque virtute iuuare poſſit. quòd autem maximis ambo exercitijs afficere poſſit, ad quæ militum imperatores potiſſimum accedere ciuitatis reges legibus iubent, videre non eſt difficile. hoſtem etenim opportune inuadere, atq; inuadendo latere, nauitérq; prouinciam ſuſcipere, aduerſariorúmque res, vel vi, vel extemporario aggreſſu ſibi ſuas facere, ac parta tueri, optimi eſt imperatoris: atque, vt ſimpliciter dicam, exercitus imperator, & cuſtos, & fur egregius eſſe debet. artis enim illius vniuerſæ hæc eſt ſumma. Nunquid igitur aliud quidpiam exercitium æque idoneum ſit, hominem vt inſtituat, aut parta defendere, aut præcipitantia reſtituere, aut propoſitum aduerſarij præuidere? mirum profecto, ſiquis dixerit aliud quidpiam inueniri: multa nanq; ipſorum contrarium efficiunt: ignauos ſiquidem, & ſomnolentos, ac ſenſu hebetes reddunt. etenim quicũque in palæſtra labotant, ad craſſitudinem potius quàm

ad virtutis ſtudium excitantur: multi ſiquidem craſſitiem adeo contraxerunt, vt vix reſpirare poſſint. huiuſmodi ſanè homines, nec militiæ, nec regijs negocijs, aut ciuilibus vtiliter præfici poſſent. ſuibus potius, quàm illis, rem quamlibet mandare quis poſſit. Forſitan autem exiſtimaueris me curſum, & quæcunque corpus extenuant, exercitia probare: verum hoc ſecus habet: ego enim quod immodicum eſt, vbique damno, attémq; omnem modice tractandam cenſeo: quòd ſiquid menſura catuerit, pulchtum illud haudquaquam fatebor. Curſus igitur minime laudauerim: quippe qui corporis habitum extenuent, hominémq; ad fortitudinem nullatenus aſſuefaciant. non enim celeriter fugientibus victoria debetur, ſed ijs, qui cominus valeant obdurare. neque quòd celerrime currerent Lacedæmonij plurimum potuerunt: ſed quòd hoſtes perſiſtendo trucidarent. quòd ſi curſus quàm bonæ proſit valetudini quæſieris, quatenus corporis partes inæqualiter exercet, eatenus ſalubris non eſt cenſendus. Neceſſe eſt enim in hoc alia quidem nimis fatigari, alia vero penitus torpere, quorum neutrum conducit: immo vero ambo morborum gignunt ſemina, vireſque imbecillas reddunt. Exercitium igitur id potiſſimum commendauerim, quod bonam corporis valetudinem, ac partium concinnitatem, vnáq; animi virtutē præſtare poſſit: quale illud eſt, quod in patua pila conſiſtit: animum etenim vndique iuuare poteſt, omnéſq; corporis partes pati modo maxime exercet, id quod & ad bonam valetudinem plurimum confert, & corporei habitus commenſurationem efficit: vtpote quod craſſitiem nullam immodicam, aut gracilitatem afferat: quin & potius actionibus robore, aut celeritate indigentibus ſufficiens ſit, atque idoneum. Quantum igitur ad vehementiam attinet, nullo omnium eſt inferius. Mollitiem autem deinceps videamus: hac enim aliquando indigemus: aut propter ætatem, quæ maximos labores, vel iunior nondum ferre, vel antiquior iam facta non etiam ſuſtinere valeat: aut quòd laſſitudini conſulere velimus: aut quòd à morbo conualeſcamus. in ea quoque (vt mihi quidem videtur) reliqua cuncta excellit: nullum eſt enim adeo lene, modo leniter ipſum tractaueris. oportet autem ipſo medium te locum obtinentem, nulláque ex parte ab eo, quod modicum ſit, declinantem, nunc quidem ſenſim procedendo, nunc vero loco ſtando, ac denique membra non admodum agitando vti. mollibus poſtea ex oleo frictionibus, calidíſque balneis vteris. Hoc quidem omnium eſt remiſiſſimum: adeo vt & quiete indigentibus vtiliſſimum, atque ad imbecillas vires reuocandas valentiſſimum, ſeníque, ac puero ſit conducentiſſimum. Quæ vero hoc quidem laborioſiùs, mitiùs vero quàm quod vehementiſſimum ſit, in paruæ pilæ exercitio fieri ſolent, ea quoque cognoſcat opus eſt, quicunq; ipſa recte ſemper tractare voluerit. Etenim ſi quando ob neceſſaria negocia, quibus perſæpe detinemur, aut ſupernas partes omnes, aut infetnas, aut manus duntaxat, aut pedes immodice fatigaueris, tibi licet exercitatione huiuſcemodi partim quidem ſiſtere, quæ prius laborarunt, partim vero quæ antea penitus torpuerunt, ad parem illis motionem ducere. Siquis enim è multo interuallo crurum opus, aut nihil, aut omnino parum admittens, magno cum conatu proijciat, inferna quidem ſiſtit, ſuperna vero vehementius mouet. quòd ſi plerunque, ac celeriter curſitans, è multo interuallo perraro pilā ptoiecerit, inferna magis fatigabit. feſtinatio inſuper, ac celeritas in ea reperta abſque graui conatu, anhelitum magis exercet. alterum vero, receptio videlicet, ac tranſmiſſio, exceptióque

absq; celeritate,corpus magis intendit,ac robórat.at si vehemens conatus,vnáque festinatio fuerit,hoc & corpus,& anhelitum magnopere fatigabit,erítq; omnium exercitiorum vehementissimum. Quousq; autem pro singulo quoq; vsu intédenda,aut remittenda sit exercitatio, scribere quidem impossibile:neq; enim fieri potest vt vniuscuiusq; quantitas explicetur, in opere tamen ipso adinuenire, atque ostẽdere possumus:in qua sanè vis tota maxime consistit.nihil enim prodest qualitas,vbi quantitate labefactetur.hoc igitur sit curæ pædotribæ, qui exercitationi sit præfuturus. Reliquum autem sermonis nostri absoluatur. animo est enim præter bona quæ mihi dicta sunt, huic exercitio non nihil etiam addere: neque vllo pacto,quòd citra pericula sit,quibus aliorum plurima sunt obnoxia, missum facere.cursus enim celeres rupto vase præcipuo multos iamdudum perdidere.itidem & voces magnæ pariter,ac vehemẽtes, vno tempore affatim emissæ maxima detrimenta non paucis attulere. violenti quinetiam equitatus circa renes, sæpe quoq; circa thoracem aliquid fregere: nonnunquam etiam seminarijs meatibus noxam intulere.taceo equorum delicta: quibus sæpe à sella delapsi equites illico sunt pernecati. eodem pacto & saltus, & discus,& quæ per flexiones fiunt, exercitia sese habent. Quid autem de ijs dicendum qui in palæstra versantur? qui omni ex parte, non minus quàm qui apud Homerum læsi sint.Quemadmodum enim ille inquit poëta claudas,rugosas,atq; oculos distortas esse preces:sic eos, qui in palæstra versantur, vel claudos,vel distortos, vel fractos, vel omnino mutilos videris.Cum igitur præter bona quæ dixi,id quoq; accedat paruæ pilæ exercitio, vt scilicet neq; periculo sit obnoxium, aliorum omnium ad vsum optime patebit.

Claudij Galeni Pergameni De Paruæ pilæ exercitio libri finis, Valerio Centannio Vicentino interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBELLVS DE COGNOSCENDIS CVRANDISQVE ANIMI MORBIS QVAS PERTVRBATIONES latini appellant, Bernardo Donato Veronenſi interprete.



Oſtquam etiam in cõmentarium redacta tibi habere vis ea, quæ olim tibi reſpondi, cum interrogaſſes nos de libello, quẽ Antonius Epicureus ſcripſit De ſubſidio aduerſus proprios affectus, hinc iam hoc ipſum agã, hincq; initium ſumam. Optimum quidem factu fuiſſet, ſi ipſe Antonius aperte explicaſſet, quid tandem ſubſidij nomine vellet ſignificari. vt vero ex ijs coniecturam facere licet, quæ in ipſo libro memorat, videtur mihi eo verbo, aut obſeruationem, aut diiudicationem intelligere, aut etiam correctionem. Siquidem ille, vt noſti, pleraq; eorum, quæ dixit, ita obſcure elocutus eſt, vt conijcere longe facilius ſit, quid dicat, quàm planè percipere. modò enim nos hortari videbitur, vt cogitemus, nos quoq; ipſos ſimiliter ac cæteros peccare, modò autem, quo pacto ſingula, quæ ab vnoquoque peccentur, vnuſquiſque diiudicet, ac dignoſcat. modò qua ratione quis ſeipſum à peccatis abducat. quod quidem mihi eiuſmodi orationis vniuerſæ caput eſſe videtur. cætera vero omnia inutilia planè ac ſuperuacanea ſint, niſi ad hoc ipſum referãtur. oportet autem in ijs maxime infortunijs, quæ propter peccata eueniunt, ſeipſum corrigere. nam illius interdum quaſi de ſolis affectibus oratio eſt: plerunq; tanquam de peccatis: nonnũquam de vtriſque tibi diſputare videbitur. ego vero hoc ipſum primum, vt noſti, iam pridem diſtinxi, cum peccata quidẽ ex falſa opinione committi affirmaui: affectum vero ſeu perturbationem ex quadam experte rationis vi fieri, quæ ipſi rationi minime obtemperans ſit. communi autem vocabulo (quod quidem ad ſignificatum ampliorem pertineat, qui genus ipſum magis attingit) vtraque peccata appellari. dico autem illum peccare, qui, exempli gratia, aut immodeſtius, aut animo concitatiore aliquid agat, aut calumniæ credat. ſcripſere igitur & alij ex philoſophis plerique, & Chryſippus præterea, quæ ad remedia pertinerent animi perturbationum. tractauit etiam Ariſtoteles eãdem materiam, & eiuſdem philoſophi ſectatores. ante hos vero etiam Plato. & ſatius forſitan fuiſſet ita ab illis viris hæc diſcere, quemadmodum ipſe quoque didici. verum tamen hoc priore libro, capita tibi omnia, quoniam ita iubes, breuiter exponam, eo planè ordine, quo me reſpondentem audiuiſti, cum de Antonij libello interrogaſti. Quòd igitur peccare nos probabile ſit, tametſi nihil prorſus ipſi noſmet aberrare exiſtimemus, ex ijs, quæ dicam, argumentari facile fuerit. Cernimus cunctos homines exiſtimare ſeipſos aut eſſe omnino ſine omni peccato, aut in paucis exiguiſque rebus rectam rationem offendere: hócque ipſum illis maxime accidere ſolere, quos alij plurimum peccare arbitrantur. quam ſanè rem ego, ſiquam aliam præterea, plurimis notam habeo experimentis. ergo quicunque alijs permiſerunt, vt de ſeipſis ferrent ſententiam ac iudicarent, quales nam ſint, hos in pauciſſimis aberrare ſolitos animaduerti. at quicunque ſeipſos eſſe

optimos exiſtimarunt,nec alijs iudicium ſui ipſorũ facere permiſerunt, hos contra,& in maximis rebus & in plurimis offendẽtes inſpexi.quocirca,quod ipſe quõdam adhuc puer temere laudari putabam,(id autem erat Pythium illud,quo iubetur vnuſquiſq; ſeipſum cognoſcere) propterea quòd magnũ nõ eſſet præceptũ, hoc poſtea deprehendi, merito admodum commendari ſolere. nam is ſolus,qui ſapientiſſimus eſt,perfecte ſe ipſum cognoſcit. reliquorum autem omnium, perfecte quidem nullus: alius autem alio & magis & minus. quod enim in vita vniuerſa & in artibus omnibus videmus,vt magnas quidem atque inſignes rerum eminentias differentiáſque quiuis vnus è multis facile poſſit diſcernere, exiguas autem ac tenues,ij duntaxat,qui & prudentes ſint & ipſarum artium periti:idem in peccatis quoq; atque affectibus vſu ſolet venire.ſiquis enim,exempli gratia,minima de cauſa vehementer iratus mordeat, ac vexet ſeruos domeſticos, tum is tibi planè videbitur malo quodã affectu teneri. item ſiquis ebrius inter ſcorta & laſciuos cœtus diuerſetur, ac mediocriter animo cõmoueri ob magnam amiſſam pecuniam aut ob repulſam atq; ignominiam, quamuis in genere affectuum contineatur,non tamen æque,vt illud ſuperius perſpicuum eſt:ſicut ne placentam quidem exedere auidius.verum tamen hæc quoque emendationis indigere,ei,qui animum ſuum exercuerit,& à cunctis affectibus vindicauerit,haud dubiũ eſt:quamuis eadem euitare, propterea quòd parua ſunt, magis arduum ſit.quiſquis igitur volet ſe & honeſtum & probum fieri, is neceſſe eſt,cogitabit, prima à ſe peccata ſua ignorari: quæ vt cuncta deprehendat, cum poſſim ego dicere,quo pacto ipſe deprehenderim:nondum tamen id dico,propterea quòd fieri poteſt,vt hic libellus etiam in aliorum manus aliquando perueniat: quos ipſos quoque exerceri volo, quoad rationem qua peccata ſua agnoſcant. quemadmodum olim, cum eadem de re loqueremur,te itidem mihi dicere poſtulaui,& quam diu illa ipſa tibi videri ſignificaſti,conticui.quare etiam nunc eodẽ modo agam: & exhortabor eum,qui hoc ſcriptum noſtrum legerit, vt quod ipſi permiſſum ſit ac relictum, id quærat, quomodo videlicet vnuſquiſq; poſſit ſeipſum peccantem agnoſcere. duplicem enim, vt Aeſopus aiebat, manticam è collo ſuſpenſam gerimus, alteram quidem ante pectus alienorum,alterã vero à tergo noſtrorum.ex quo fit,vt aliena ſpectemus ſemper,propria autem nunquam inrueri poſſimus.quam quidem narrationẽ cũ omnes probent,vt veram, Plato etiam cauſam,cur id fiat,nobis exponit.quidquid enim amat, inquit, cæcum eſt erga eam rem,quam amat. itaque ſi noſtrum quiuis ſeipſum maxime omnium diligit,vnuſquiſque noſtrum ad ſe ipſum maxime cæcus ſit,neceſſe eſt. quomodo igitur propria mala inſpiciet? aut quomodo ſe peccantem intelliget? mulro enim magis etiam nunc, quàm res ipſa fert,tam Aeſopi apologus,quàm Platonis oratio videtur nobis noſtrorum peccatorum inuentionem deſperabilem conſtituere: ſiquidem neque quis facere poteſt,quin ſe ipſum amet, & quod amat, erga eam rem,quam amat, cæcum ſit,neceſſe eſt.nec vero ipſe poſtulaſſem,vt qui hunc librum legere inſtituerit,curet per ſe,vt ſibi viã inueniat,qua peccatorũ ſuorum cognitionẽ accipiat, niſi res ipſa difficilis admodũ foret,quamuis quis vel quàmplurimũ eam rem apud ſe ipſum tractauerit.proinde ego hic meam enucleo ſentenriam,vr ſi quam aliam quiſque præterea rationẽ per ſe ipſum inuenerit,mea quoq; ſibi aſſumpta,liberalius adiuuetur, quippe qui duas ſaluris vias pro vna ſit nactus: ſin minus, at hac noſtra ſaltem vti poſſit, donec

aliam meliorẽ offenderit.ſed iam videtur eſſe tempus,vt quænã hęc ſit mea,in medium proferam, hinc ſumpto initio. Quoniam peccara ob falſam opinionẽ committi ſolent,affectus autem ſeu perturbationes ob experrem rationis appetitũ,placuit mihi prius meipſum liberare ab affectibus. par enim eſt nos ab his detentos falſa opinari.ſunt autẽ animi vel affectus vel perturbationes,quę omnes nouimus, impetus,ira,timor, mœror,inuidia, vehemens cupiditas:mea vero ſentẽria etiam nimio alicuius rei,qualiſcunq; ea ſit,vel amore vel odio occupari, in genere affectuum eſt habẽdum.ptobe enim dictum eſſe videtur,menſuram eſſe optimã,tanq̃ nihil bene egregiéve fieri poſſit ſine mẽſura.quo modo igitur quis iſta vnquã eijciet,niſi prius ea ſe habere cognouerit?at vero,vt quis cognoſcat,fieri non poteſt, quemadmodum iam dictũ eſt,quandoquidẽ nos ipſos amamus vehementer. Cæterum & ſi ratio hæc tibi non permittit; vt de re ipſo iudices, at ſaltẽ,vt de alio, quem neq; ames,neq; oderis,iudicium feras,tibi non adimit poteſtatẽ.cum igitur audieris in vrbe quẽpiam ex ijs,quos tibi neq; amore vllo,neq; odio proſequẽdos intelligis,laudari à multis,quòd nullis hominibus aduletur, tum tu vbi ad illum propius acceſſeris,quò de illo poſſis ferre iudicium,num ſit talis,qualis eſſe perhibetur,huiuſmodi periculum fac.Primum ſi videas ab homine & diuitũ & apprime potentum,aut etiam principum ac tyrannorũ ædes frequẽtari,pro cõperto habe, te fruſtra audiuiſſe hominẽ omnia vera dicere ſolere.(obſequiũ quippe iſtiuſmodi mendacium ſequi conſueuit.)deinde ſiue id genus hominũ ſalutantem,ſiue illis ſe ipſum comitem exhibentẽ,conuiuiíſve illorum ac cœnis inſerentem,conſpicias. quiſquis enim huiuſce generis vitã ſibi ipſi ſequendam propoſuit,non ſolum non verax eſſe conſueuit,ſed etiam omnẽ malitiam habere neceſſario,quippe qui aut pecuniarum, aut principatus,aut gloriæ, aut honorũ ſit cupidus, & vel aliquibus horum ſeorſum,vel omnibus ſimul inſidietur.quẽ vero neq; ſalutare,neq; comitari id genus hominũ,neq; cum valde potentibus ac diuitibus cœnitare, ſed frugi ac tẽperato victu vti ſolitum cõpereris, ſperaueríſq; veridicũ,conare hunc quoq; profundius altiúſq; cognoſcere,vt ſcias,cuiuſmodi tandẽ ſit vita.talem porro cognitionem ſingulorũ ex longiore cum ſingulis conſuetudine comparare ſolemus. quòd ſi talem offenderis,qualem ſperaſti,ſeuoca aliquando hominem,& cum ſolo ſermonem confer,rogáq;,vt ſiquem tibi ex illis animi affectibus turbulentis inhærere notauerit,eum continuo indicare ne grauetur, téq; illi maximam habiturum gratiam pollicere,exiſtimaturúmq; te ab ipſo magis ſeruatum,quàm ſi corpore ægrotantem ſanaſſet. quòd ſi ille recipiat ſe facturum, cum primum te aliquo tali vitio laborantem inſpexerit, deinde longo dierum interuallo interiecto nihil dixerit,interim videlicet tecum aſſidue verſans, accuſa hominem, rogáque iterum aliquanto blandius,quàm prius, vt quicquid talium perturbationum in te reſidere animaduerterit, illico tibi ſignificet. qui ſi tibi reſpondeat, propterea ſe nihil tibi dixiſſe,quòd tali tempore nihil in te iſtiuſmodi deprehenderit,ne continuo illi fidẽ adhibeas,néve exiſtimes, te repente omnino inculpabilem euaſiſſe: ſed duorum alterum in cauſa eſſe: aut propter negligentiam inconſideratiorem amicum fuiſſe,nec animaduertiſſe: aut redarguẽdi verecundia impeditum tacere: aut etiam nolle tibi in odium venire, cum haud ignarus ſit omnibus, vt ita dicam, hominibus hunc morem eſſe, vt eos oderint, qui vera loquantur: aut ſi nihil horum eſt, ſcito hominem proptetea tacere, quòd nolit ipſe tibi prodeſſe:

aut etiam propter aliud quidpiam,quod à nobis neutiq̃ probatur.nam si mihi hoc credideris nunc,fortasse fieri nō posse, vt tu nihil peccaueris,laudabis post,vbi videris omnes homines singulis diebus innumerabilia peccata cōmittere, & affectibus ductos agere, quæ agant, neq; tamen agnoscere seipsos tales. quare neque tu quidem arbitrare te ipsum aliud potius esse,quàm hominē.id porrò arbitraberis, si persuasum habeas,perpulchre à te acta omnia,quæcūq; nō vno tantū mense,sed etiam vno die egeris. Verum forsitan dices,si quidē litigiosus propterea es,quòd vel ex animi proposito,vel ex prauo quodam more talis euaseris,vel etiam rixarū amator sis natura,quantum ex ijs verbis,quibus ego nuper vsus sum,conijcere licet,viros sapientes aliud esse,potius quàm homines.at tu isti rationi, quæ vna est, nostram,quæ est duplex, opponito : vnam quidem,quòd omnino sine peccato sit sapiens:alteram vero,(quod ad eum,qui illam priorem cōcesserit,spectet,) si quidem sine peccato sit sapiens,eum ne hominē quidē esse : quod vero ad ea pertinet, quæ de hac ipsa re & propter hoc ipsum dicta ab antiquissimis philosophis audisti,sanè Deo similem esse sapientem: at te tamen Deo similem repente fieri nunq̃ potuisse.quando enim,qui totam vitam exercuerunt,vt se ab affectibus liberatēt, non credunt id se perfecte atq; omni ex parte consecutos,nimirū tu id multo minus,qui nunquā exercuisti.ne credito igitur illi,qui dicit,nihil à se animaduersum, quod à te ex perturbatione sit gestum:verū aut quòd tibi nolit prodesse,idcirco sic locutū existima:aut quòd non sibi obseruanda putauerit,quæ à te perperam agantur:aut quòd odium tuum timuerit,ac vitauerit.fortasse etiam vidit te aliquando ægre tulisse eum, qui tua peccata tuósq; affectus malos reprehēderit : quamobrē sibi tum tacēdum putauerit.aut nō credit,cū dicis te velle singula peccata tua inspicere,te id ipsum agere re vera.quòd si tu,cum primum aliquid cōmiseris,silētio abeas,haud ita multo post inuenies nō paucos,qui te non simulate,sed vere corrigant:longéq; etiam magis si ei,qui te reprehēderit,egeris gratias,quando hac ratione geri potest,vt à te tuum malum recedat.post aurē,si diligēter cōsideraueris, verène te ille an falsò increpauerit,ex ea re senties te magnam percipere vtilitatē, si vero idē assidue egeris, propositúmq; tibi sit,te in virū euadere honestū & probum,facile talis fies.nam in priore quidē tēpore,ne si omnē quidem considerandi diligētiam adhibeas,poteris deprehēdere,re per calumniam & mēdacium iudicare,tibíq; ipsi per imperitiam persuadere,nihil à te esse omnino peccatum.cæterum hoc ipsum potius tibi sit studium,hæc exercitatio,vt calumnias & conuicia æquo animo feras.quod vbi feceris,& satis moratus satísq; sedatus fueris, iámq; tuas ipsius perturbationes animo perspectas habueris, tum aggreditor respōdere calumniantibus:sed neq; acerbe vnquam id facias, neq; redarguendi conuincendíve aut etiam altercandi studio, nec vero te illum alterum velle deijcere ac prosternere significes,sed omne id tuæ ipsius vtilitatis causa moliri.vt si ille quoq;, dum contradicit, probabile quidpiam obijciat, credas illum melius nosse, si modo illum vbi satis longa inquisitione exploraueris, extra culpam criménque reperias. hac ratione volebat Zeno omnia nos agere, itáque tutos nos dicebat fore, si ageremus tanquam paulo post pædagogis rationem reddituri. sic enim ille vir appellabat istos,quotum non paruus est numerus : qui licet à nemine vsquam inuitentur , ad increpandos tamen amicos & propinquos suos promptissimi sunt. oportet autem eum,qui talia ab amico sit auditurus, neque diuitem esse, neque

cultu & reuerentia quadam apud ciues ſuos conſpicuum. nam ſi iſtiuſmodi reuerentia inſignis fuerit, nemo planè illi volet vera dicere ob timorem, quemadmodũ ne locupletibus quidem ſolent adulatores lucri gratia. quin etiam ſiquẽ iſtis veridicum aliquis caſus obtulerit, ad ſe hunc illico ſuóſq; mores diſtrahere conſueuerunt. ſiquis igitur ſit vel apprime potens, vel opulẽtus, qui velit in virum egregium ac frugi euadere, ab hoc deponi ſe ipſum neceſſe erit, atq; his præſertim tẽporibus, in quibus nullus ſit inueniẽdus Diogenes, qui vel opulentiſſimo ac monarchæ cuipiam ſit dicturus veritatem. illi igitur quid ſibi facto opus ſit, viderint: tu vero, qui neq; ex potentibus ciuitatis, neq; ex opulẽtis es vnus, permitte omnibus, vt quicquid dánant in te, libère aduerſum te dicant. neque ipſe aduerſus quempiã indignare: ſic vero tibi ſint omnes, vt Zeno dicebat, pædagogi videlicet. neque tamen par eſſe arbitrare, omnes æque atque indifferenter attendere, quid dicant, ſed eos tantũ, quos & optime vitam egiſſe, & prouectiore iam ætate eſſe perſpexeris. qui autem ſint, qui optime viuant, paulo ante à nobis dictum eſt. progreſſu vero temporis ipſe per te facile aſſequeris, atque intelliges quanta & qualia eſſent, quæ à te peccabantur: tibíque tunc ſcilicet ego maxime videbor veridicus, qui nego quempiam ſine affectibus aut ſine peccatis inueniri, etiam ſi optima quis natura ſit præditus, aut etiam ſi apud gẽtes vixerit, quæ optimis educationibus vtantur: omnino autem neceſſe eſt vnumquenq; labi & errare in aliquibus, eóq; etiam magis, quo quiſpiam iunior fuerit. exercitationis enim vnuſquiſq; noſtrum per totã fermè indiget vitam, vt in virum perfectum euadat: neq; tamen deterreri quempiam oportet, ne ſe ipſum conetur meliorẽ efficere, etiam ſi iam factus quinquagenarius ſentiat ſibi animum vitio & inſanabili & irreparabili deformatum. nam ne corpore quidẽ male quiſpiam habens, malæ itẽ habitudini ſe vt victum dediderit, etiã ſi quinquagenarius ſit: quin potius omni ratione conabitur ipſum corpus in melius reſtituere, quamuis cõpertum habeat ſe nunq̃ Herculeam valetudinem conſecuturũ. ne igitur nos quoque deterreamur, ne meliores nos ipſos animo reddamus, quamuis cõpertum nobis ſit, animum nos poſſe conſequi ſapientis: verũ maxime quidem etiam illum ſperemus nos habituros, ſi à teneris vſque ipſum hunc noſtrum curare cœperimus: ſin minus hoc obtinere poſſumus, at ſaltem ne totum omnino deformem illum geramus, vt Therſites corpus, ſolicite curemus. etenim ſi anteq̃ exiſteremus, fuiſſet in noſtra poteſtate, conuenire illum, qui prouidebat, vt naſceremur, & primo quidẽ orãtibus nobis, vt corpus ſtrenuiſſimũ generoſiſſimúmq; ab illo liceret accipere, ille denegaſſet, tum profecto precati eſſemus, vt ſecundo ſaltem gradu, aut tertio, aut etiam quarto proximũ primo bonæ habitudinis corpus nobis concederet: itaq; ſi Herculis nõ potuiſſemus, at Achillis accipere præclarũ quiddã nobis viſum eſſet: quòd ſi nõ huius, at Aiacis, at Diomedis, at Agamẽnonis, at Patrocli. ſin ne horũ quidẽ, at ſaltẽ aliorũ quorumpiam heroum præſtantium. eadem, vt arbitror, ratione, ſi quis ſupremã nequeat animi excellentiam obtinere, at ſaltem poſt ſupremos illos ſapientes in ſecundis, aut tertijs, aut etiam quartis ſeſe haberi nõ recuſet. hoc autem, quod dico, non eiuſmodi eſt, vt fieri nõ poſſit, ſi modo quis exercere ſe ipſum velit, & lõgiori tẽpore aſſidua exercitatione periculum facere. ego autẽ cũ adhuc puer hæc audiuiſſem, & quodã tempore hominem vidiſſem, cui nimia feſtinatione conanti aperire hoſtium, res ex ſententia non ſucceſſerat, & ob eam rem iratus clauem mordebat, calcibúſque

fores percutiebat,atq; in deos conuicia iactabat, oculis instar eorum efferatis,qui in furias euaserunt, ac propemodum ex ore spumã emittebat, vt apri solent:tum eiusmodi odium aduersus iracundiam concepi, vt nũquam postea quisquã me ob talem affectum tristiorẽ viderit. & sanè hoc ipsum primo quoq; tẽpore erit satis,si neq; in Deos maledicta iactabis,neq; calcibus feries,aut dentibus aggredieris lapides ac ligna,neq; efferato vultu intueberis,sed intra te ipsum cõtinebis atq; cõculcabis iracundiam.nã ab ira prorsus liberari simul ac quis velit,non continuo quis potest.cõptimere autem illius perturbationis intemperantiam atque insolentiam potest.quod remedium si sæpius vsurpauerit, agnoscet tandẽ aliquando ipse seipsum minus nunc propensum ad irã, quàm ante, vsq; adeo, vt neq; ob paruas neque ob magnas causas in furotem se agi animaduertat, sed magnis tantũmodo irasci sceleribus.quin etiam ne hoc ipsum quidẽ,quod dico,irasci magnis sceleribus.post eidẽ vltra eueniet,si id obseruabit, quod ego,cũ mihi ipsi adhuc puer imperassem, in omni reliqua vita obseruaui.id porro est, nunq̃ à me seruum mea manu verberatum fuisse : quod ipsum patri quoq; meo vsurpatũ memini. qui etiam cõplutes amicos increpare solitus erat, quos, in percutiendo, famulis dentes confringere deprehendebat,eos dignos esse affirmans,quibus serui illi in ipsa vulneris inflammatione,conuulsione tentarentur,ac sic interirent.quidni enim ? quando eis licitum fuerat paulo post & ferula & loris quotquot libuisset verbera infligere,& consilio, quod ad illos negocium pertinebat, absoluere ? porro alij sunt,qui non pugnis solum, sed etiam calcibus feriant, & oculos effodiant,& stylo vulnerent, si quando stylum manu teneant.vidi etiam quendã qui ira percitus,calamũ,quo scribimus, in oculum serui inflixerit. Adrianus quidem imperator, vt aiunt,cum stylo serui cuiusdam sui oculum vulnerasset atque eruisset, ac post illum vidisset ex eo vulnere factum vnoculum , ad se vocauit, fecítque ei potestatem,vt pro illa calamitate munus à se peteret. cum autem ille miser taceret, rursus hortatus est Adrianus, vt quicquid vellet,peteret. At ille negauit se aliud quicquam petere, optare vero se oculum, quem amisisset. enimuero quod tandem munus inueniri possit, quo oculus amissus rependatur? Cæterum quæ mihi quoque olim acciderint, hic tibi narrare volo , quamuis eadem de re me sæpius tibi dixisse meminerim. Romã redeunti mihi factus est itineris comes amicus quidam patria Gortinensis ex Creta, vir cæteris quidem rebus non contemnendus, quippe qui & simplex moribus, & in amicitiam propensus , & frugi,& in ijs, quæ ad quotidianos sumptus pertinent,liberalis esset,sed vsque adeo iracundus, vt suis ipsius manibus aduersus seruos vteretur,interdúmq; etiam cruribus, loro autem, ac ligno,quodcũq; irascenti occurrisset,multo libẽtius.cum ergo iam essemus Corinthi, omnia quę secum vehebat, supellectilia,vna cũ ipsis seruis,naui tradidit vehenda à Cenchreis Athenas vsq;, ipse mercede conducto vehiculo terrestre iter Megaris facere instituit. itaq; cũ iam Eleusinẽ præterijssemus , ac Thriasium attingeremus, seruos, quos secum habebat,interrogauit de quadam supellectili , at illi casu quid responderent,non habuerunt.furore ergo percitus,vbi nihil aliud habuit,quo adolescentulos percuteret,gladium,qui intra vaginã conditus erat, vnà cũ ipsa vagina arreptum in caput infligit,non illũ quidẽ,qua latior planiórq; est inferens (sic enim nihil grauius accidisset,) sed qua secandi vim gladius habet.vagina igitur illico dissecta est,atq; ingens vulnus in capite vtriusq; effectum est duplex.bis enim vtrũq; percussit.vbi

vero plurimũ ſanguinis effluere de vulneribus animaduertit,nobis eo in loco relictis,ipſe Athenas illico pedibus iter ingreſſus eſt , ne ipſo adhuc præſente aliquis ſeruorũ interiret.nos tamen poſtea ſeruatos illos Athenas perduximus.amicus autem ille Cretenſis,cum ipſum facti pœnituiſſet , me manu arreptum Megara introducit in domũ quãdam: deinde lorum porrigens,vbi ſe ipſum exuit,iubet verberare pro ijs,quæ furore nefario coactus patrauerat.ſic enim ipſe vocabat.cũ autem ego,vt par eſt,in riſum prorumperem,ille ad genua procumbens inſtabat obſecrabátq;,vt ne aliter facerem. hic porrò haud obſcurũ eſt, me tanto maiori riſu cõmotum fuiſſe, quanto illum diutius in eo perſeuerãtem viderim,vt cæderetur. Cæterum poſtquam ſatis diu in hoc ipſo perſtitimus , recepi me illi facturũ,quod petebat,hoc eſt,verbera illaturũ, ſi ipſe quoq; valde exiguum quiddam,quod ego peterem,mihi viciſſim præſtaret.qui vbi recepit,tum ego rogaui hominem,vt mihi ſermonem quẽdam recenſenti aures accõmodaret.hocq; eſſe illud ipſum,quod ego peterem.quod ille cum ſe facturum recepiſſet,longiori ſermone illum docui, quemadmodum id,quod in nobis eſt,iracũdiæ ac furoris coercere erudiréq; oporteat,ratione videlicet.quod enim non verberibus, ſed alio quodam modo ſit corrigendum,illi latius expoſui. at ille cũ ad ſeipſum redijſſet,ſibíq; prouidiſſet,longe poſthac ſe ipſo melior effectus eſt. tu vero quamuis non multo fias melior,at ſatis fuerit anno vno in melius ſaltẽ paululo eſſe prouectum. nam ſi perges conſtanter reſiſtere affectui,iracundiámq; mitigare,tum altero anno te multo euidẽtius profeciſſe animaduertes.quòd ſi in eo diutius perſeueraueris, vt tibi ipſi prouideas,longe propius tertio,& poſt hunc quarto,atque item quinto ad honeſtius grauiúſque vitæ genus acceſſiſſe te ſenties.turpe enim eſt, quempiã multos annos continẽter laborare atq; exerceri,vt vel medicus, vel grãmaticus, vel rhetor fiat, vel geometra:vt autem in virum bonũ euadat,in tanto ſpatio temporis nunq̃ ſibi quicq̃ laboris aſſumere . quodnã igitur ſit huiuſce exercitationis initiũ rurſus repetamus.pro rebus enim maximi momenti nihil incõmodi fuerit bis terq; eadem cõmemorare.nunq̃ igitur quempiam ſeruorũ tuorũ peccãtem tuis ipſius manibus corriges:ſed quemadmodum ego,quod olim Platonẽ audiuiſſem aduerſus quendam ſeruum maluiſſe agere,id in tota vita vſurpaui, pulchrũ eſſe genus officij ratus:ita tu quoq; tibi ipſi præcipito,neq; te tuis ipſius manibus ſeruum cædere,neq; quãdiu iratus ſis,alij imperare,ſed in poſterũ differre.poſtq̃ enim furor abierit,prudentius temperatiúſq; diſpicies,quot verbera infligere ei,qui puniendus ſit, oporteat.nec tamen illud dixerim melius eſſe initio ſtatim conceſſa venia rẽ tranſigere, & vbi lorum tibi afferri iuſſeris, tum verbis duntaxat corrigere ac minitari,te nõ amplius idem conceſſurum , ſi iterum ille idem peccatum cõmiſerit. multo enim præſtat,te facere ea,quæ facis,ſed poſtq̃ impetus ille animi deferbuerit,túq; iam furorem illum omni rationi inimicũ depoſueris : quo tẽpore videlicet iam ratione opitulante inuẽturus ſis , cuiuſmodi ille pugno ſit feriendus. nam quòd impetus iraſcentis nihil ab inſania & furore differat,ex ijs,quæ faciunt,qui eo genere affectus perciti ſunt,facile intelligere licet.pulſantes enim & ferientes calcibus,& veſtimenta ſcindentes . & toruum quiddam intuentes, omnia peragunt, vſqueadeo, vt,quemadmodũ dictum eſt,& foribus,& ſaxis,& clauibus iraſcantur:& alia quidem lacerent,alia mordeant,alia calcibus petant.ſed forſitan dicturi ſunt,hæc fieri ſolere ab ijs duntaxat qui re vera inſaniunt , quæ autem tu facis,etiam à pru-

dentibus.ego vero quòd minus peccent,qui suis ipsorum manibus seruos cædunt, quàm ij,qui lapides,& ianuas,& claues morsu petunt,calcibúsq; feriunt,planè fateor:sed illud itē persuasum habeo,aduersus hominē,simulátq; aliquid deliquerit, sæuire,exigui cuiusdā furoris indicium efficaciámq; esse, aut animalis ratione carentis atq; agrestis.quid enim? an non solus homo hanc habet excellētiam præter cætera animalia,vt ratione vtatur? quòd si illa furorē iracundiámq; abiecerint,vt vitā condonent,nónne hominis ritu id facient?noli igitur existimare hominē illū prudentem esse,qui vnū hoc dūtaxat cauerit,ne calcibus feriat,ne mordeat,ne stimulis configat proximos.qui enim iam talis euasit,nō est ille quidē amplius fera, nō tamen protinus etiam homo prudens: sed inter vtranq; naturā medius,hominis videlicet prudentis ac feræ.nunquid igitur meditaberis te desinere feram esse, si curabis, vt in virum & honestum & probum euadas?an satius fuerit,vt nō amplius inter feras,sic ne inter imprudentes quidē aut rationis expertes manere? eris vero talis,si nunq̃ animo inseruiens,sed semper rationi obtemperans,omnia ages. nam si cuncta nulla cū perturbatione aut affectu animi consideraueris, profectò cuncta,tibi optima videbuntur.quî igitur hoc tandem fiet?nempe si tu ipse te ipsum maximi pretij hominē declaraueris : quo videlicet pretio nullū aliud ne cogitatione quidem fieri potest,vt quis assequatur maius.nam dum omnes omnino homines iræ obnoxij sunt,te interim omnis iræ expertē esse,quid aliud tandē est, quam se ipsum omnibus hominibus præstantiorē ostendere? quòd si forte tu ipse teipsum existimes,quid aliud,quàm teipsum ostendis velle quidē haberi præstantiorem,esse autem præstantiorem nolle? nō secus ac siquis cupiat putari se quidē corpore valentem esse,re autē vera ægrotet? an nō putas animi esse vel ægritudinem vel morbum excandescentiam,quæ & furor dici potest?an temere arbitraris veteribus hasce animi perturbationes quinq; appellari solitas ? mœrorem , iram, excandescentiam,cupiditatem,metum? enimuero longe mihi melius videtur esse primum quidem in longius spatium perturbationes eiusmodi cohibere , ac dum surgis de lectulo,singillatim quęcunque acturus sis,inspicere, considerātem,num præstet eiusmodi affectibus inseruiendo viuere , an ratione & consilio vti in omnibus,quæ agas : deinde vnicuiq; volenti se virum fieri egregium ac frugi, aduocandum esse aliquem , qui sibi ea,quæ non rectè à se agantur,singula indicet.tum singulis diebus singulísq; horis habere hanc opinionem in promptu: quòd præstet quidem,se ipsum dignum exhibere,qui egregius ac frugi appelletur,hoc autem fieri nō posse,vt nobis contingat,nisi eum,qui singula errata nostra nobis indicet,habuerimus . quin etiam illum ipsum nostrorum peccatorū indicem,& seruatorem nostrum,& amicum maximū putare.deinde, quamuis tibi ille visus fuerit falsa crimina obijcere,te tamen iratum videri minime oportere, primum quidem idcirco,quòd facile fieri potest, vt ille ita melius,quàm tu singula peccata tua perspiciat,quemadmodum vicissim tu quoque eorum,quæ ab illo peccātur, non nihil. deinde quòd licet falsum quandoque tibi crimen obiecerit, at in eo tamen tibi vtilis fuit, quòd te ad eorum,quæ agis, diligentiorem inspectionem excitauit.quod autem in hoc ipso maximū est,id præter cætera custodi semper,vt q̃ dignus sis,quantíq; faciēdus,à teipso nō ab alio accipias.id porrò ipsum est,promptū semper habere in memoria , quanta sit eorum qui irascuntur animi deformitas, quantúsque rursus eorum,qui sine ira viuunt decor,quanta gratia.quemadmodū

enim qui longiore temporis ſpatio peccare conſueuit, cum magna difficultate affectuum ſuorum clauem obtinet,ira conuenit te multo tempore vnumquodque eorum præceptorum exercere,quibus ſi pareas,vir egregius ac frugi efficiaris.nam eius rei facile obliuiſcimur, dum animus noſter decidit, propterea quòd antehac totus ſit impletus affectibus.cõſequens ergo illud fuerit,vt quicunque ſeruari velit,nullam omnino horã ceſſet : omnibúſq; accuſandi ſeipſum faciat poteſtatem, omnéſq; æquo animo audiat accuſantes: gratiámque non adulantibus habeat,ſed obiurgantibus: pateant ſemper domicilij tui fores: liceat notis ac familiaribus omni tempore ingredi,ſi quando teipſum ita comparaueris.itaque etiam confidere oportet vſqueadeo,vt ab ingredientibus deprehẽdaris nulli maiori peccato vehementer obnoxius.porrò quemadmodum omnia prorſus excidere atq; euellere inuito difficile eſt,ita volenti,quæ maiora ſunt,facile.ſi tuæ ergo ſemper fores,vt dixi,patebunt,licebit ſanè familiaribus omni tẽpore ingredi.vtq; alij omnes ſiquando in publicum proceſſere,omnia conãtur facere,vt decet,ſic tu domi tuæ omnia facies.atq; illi quidem cum reliquos omnes vereantur,ne ſe in aliquo peccãtes deprehendant,vnos ipſos non verentur:tu vero teipſum in primis verere,atq; illi auſculta,qui dixit: omnium autem maxime tui ipſius te pudeat. quod quidem ſi feceris,poteris quandoq; expertem illam rationis vim,qua excandeſcimus,quaſi feram quandam mitigare ac manſuefacere. alioqui abſurdum admodum ſit, viros equitandi peritos,vbi equos accepetint,breui eos ad parendum idoneos reddere:te autem,qui non aliquod extrinſecus animal acceperis, ſed rationis illam expertem vim,quę in tuo ipſius animo eſt,& cum qua ſemper meditans ratio ſimul habitat, non poſſe itidem mitiorem reddere, & quamuis non ita continuo,at longiori ſaltem ſpatio. latius autem de iiſdem rebus diſſeritur in ijs commentarijs, in quibus mores tractantur,quo pacto videlicet eam vim quis optimam ſibi & commodiſſimam reddat: item quemadmodum vires ac robur illius nõ oportet proſternere, ſicut ne equorum quidẽ,aut canum, quibus vtimur, ſed illud ipſum potius robur exercere ſicut & in illis,ad obedientiam. tibi vero in iiſdem commẽtarijs maxime oſtẽſum eſt,quo pacto rurſus ea ipſa iraſcendi excãdeſcẽdiq; vi opitulatrice vtaris aduerſus alterã,quã libidinis nomine philoſophi veteres appellarũt,quę temere & ſeorſum à ratione fertur ad corporis voluptates.vt igitur turpe eſt, hominem iracundia percitum,intemperanter aliquid agere, ſic item ob amorem,ventrem,vini appetentiam,edacitatem: quæ omnia concupiſcendi illa vis, de qua dictum eſt, & facit ſimul & patitur. ob quæ homo non iam equo aut cani ſimilis ſit, veluti ob illa priora,ſed vel petulanti apro,vel hirco,vel cuipiam agreſti belluæ, quæ manſuefieri non poſſit. quocirca huius quidem nulla talis inuenitur correctio, qualis alterius,ea,quam obedientiam diximus.ſed quod veteres caſtigare dicebant, huic ipſi quadam proportione reſpõdet.fit autem hęc ipſa libidinis caſtigatio, dum rebus potiri ac frui prohibetur,quarum appetens eſt.nam ſi potiatur,creſcit,maiórque ac vehementior fit.ſin caſtigetur,tenuis fit atq; imbecilla, vt hoc pacto imbecillitate coacta ſequatur rationem,non autem quòd obſequẽs ſiue obediens facta ſit, ſanè quemadmodum in ipſis quoq; hominibus videmus contingere. nam in ijs plerunque ij, qui deteriores ſunt, ſequuntur eos, qui ſunt præſtantiores vel inuiti & coacti, vt pueri ac mancipia, vel volentes & perſuaſi, vt ij,qui ſuapte natura boni ſunt.etenim ſiquis erat apud antiquos, quem obiurgationes ac verba

castigare non possent, de eo ita loqui consueuerant: quàm incastigatus nescio quis iste homo est? in quo videlicet libidinem ratio non castigauerat, hoc est, non sibi obtemperantē reddiderat. duplex enim in nobis est animi vis rationis expers: vna,
1. cuius & cito excandescere & irasci ijs, qui aduersum nos peccare visi sint, officium est: cuius ipsius etiā est, in longius ampliúsq; implacabilem se præstare: quod quidem tanto est amplius excandescētis animi vitium, quanto magis diuturnum: al-
2. tera est, quæ ad id, quod ipsi iucundum suauéq; visum sit, pręceps fertur antequam vtile ne sit atq; honestum, an noxium & turpe cognouerit. hanc igitur, quæ vehementissima est, cohibere prius oportet, quàm vbi incrementum acceperit, viribus inuictam inexpugnabilémq; se præbeat. tunc enim etiā si volueris, eam vlrra compescere, non poteris. Ac tum demum id dices, quod olim quendā amātem audiui dicere: velle te quidem desinere, sed non posse: frustráq; nos aduocabis, (quemadmodum & ille quondam,) vt tibi supplicanti opem feram, vitiúmque eiusmodi exscindam. nam corporis etiam nonnulla vitia propter magnitudinem insanabilia sunt: quod ipsum fortasse tu ne cogitasti quidem vnquam antehac. multo autem satius fuerit, te nunc saltem id cogitare, atq; inspicere, vtrū ego veridicus sim, cum dico, vim animæ illā, cuius est munus, temere cōcupiscere, siquid placeat, plerunq; in amorem euadere insanabilē, nō corporū modo, quæ formosa sint, siue rerū, quæ ad venerem pertineant, sed etiam edacitatis, explēdiq; ventris, ac vinolētię, itémq; obscœnitatū, quę pręter naturā patrantur: an & hæc & alia multa ex his, quæ hactenus à me dicta sunt, mentiar. etenim quæ adhuc de ira atq; excandescentia dixi, eadem puta & de alijs affectibus me dixisse. primum quidem alij cuipiam permittēdum esse, vt de ijs cognoscat & iudicet, non autē nobis ipsis. deinde nō quoslibet eidem rei esse præficiendos, sed seniores quospiam, quos vniuersi planè egregios ac frugi esse fateantur. qui etiam propterea quòd ab affectibus liberi sint, & interpretandi iuris & iudicandi munus ante nos ipsos diutius, illis videlicet temporibus, quibus ipsi nondum eramus, obtinuerint. deinde nō oportere nos aduersus eiusmodi homines, quoties aliquod nostrum peccatum protulerinr, indignationis quidquam præ nobis ferre, sed contra, agere potius gratias. postremo singulis diebus ea, quę superius dicta sunt, tibi ipsi reuocare in memoriam: atq; hoc quidem præstabit te sæpius facere: quod si non possis tam sæpe, at saltē marutinis horis semper antequam quidquam eorum, quæ acturus sis, aggrediaris, & vespertinis antequam cubitum eas. Ego sanè olim monita hæc, quæ quasi Pythagora authore circunferebantur, consueui primum quidem legere bis singulis diebus, post vero etiam ore enunciare. neq; enim satis est ab vna ira duntaxat liberum se præstare, nisi etiam sine omni edacitare & nequitia & vinolenria & curiositate & inuidia purum te conseruaueris. alius igitur erat, qui nostri periculum faceret ac percontaretur, nuncubi, vt canes solenr, visi essemus immoderatissime impleri cibis, vel more eorum, qui perpetuum febris ardorem patiūtur, frigidam potionē insatiabili auiditate exhaurire: an vero quemadmodum viros & graues & cultu ac reuerētia dignos deceat. nam neq; propter famem decet vehementer insatiabilitérq; impleri, neq; propter sitim instar sorbentium exhaurire totum calicem, multóq; minus ob edaciratem in cōspectu omnium auidius vel placēram vel aliud quidpiam ex delicatioribus obsonijs deuorare, sed in omnibus ijs itē alij sunt aduocandi, qui opem ferant & quicquid peccamus, obseruēt atq; indicent. deinde vero etiam sine

pædagogis ipſi nos ſeruemus,demúſq; operam,vt omnibus vna cœnantibus obſonij minus adſumamus, & à cibis gulam nimium irritantibus abſtineamus, moderate interim veſcentes ijs,quæ ſalubria ſunt. progreſſu vero temporis ne reſpicete quidem te ad conuiuantes velim.magnum quippe fuerit, credo,ſi nullus eorum moderatior in cibo & potu ſumendo ſit viſus.quòd ſi te ipſum hoc honore afficere decreuiſti, proſpice & cura,vt aliquanto continentius hodie viuas,quàm heri. hoc enim ſi feceris,ſenties te in dies ab ijs,quæ dixi,facilius abſtinere,ſenties etiam magnas animi tui lætitias,ſiquando re vera amator modeſtiæ temperantiæq; extiteris.ſic enim gaudet,quicunq; in ea re proficit,cuius eſt amator. ex quo fit,vt eos, qui compotationibus delectantur,tum ingenti voluptate affici videamus, cum ſuos bibendo ſuperant compotores: & eos,qui ventri ſtudēt,multitudine ferculorum gaudere : quicunq; autem edaces ſunt, ac palatum explere cupiunt, hos placentis, & edulijs,tum quæ ad ſartaginem,tum quæ ad ollas pertinent,aliiſq; item condimentis ſuauioribus lætari.noui etiā,qui rei venereæ copia exultarent, ſuperbiúſq; ſe extollerent.vt ergo illi & exercent,& ſectantur id,quod in ijs rebus ſummum eſt,quibus ſtudēt,ſic nos item id ſtudere oportet,quod in modeſtia ſit ſummum.porrò autem ſi hoc faciemus, non incaſtigatos quoſpiam ac diſſolutos nobis conferemus:nec ſatis eſſe putabimus,ſi plus quàm illi & continentiæ & modeſtiæ adepti ſumus:ſed primum quidem eos,qui iiſdem rebus ſtudeant,ſuperare conabimur,(pulcherrima enim hęc eſt cōcertatio atq; ęmulatio,)poſt vero etiā nos ipſos:vt videlicet ex diuturna cōſuetudine ad hæc ipſa,quæ & ſaluberrima ſunt,& adiectu facillima cum voluptate feramur, memores ſemper pulcherrimorum dictorum,quorum vel hoc eſt in primis vnum: Delige optimum vitæ genus:id iucundum efficiet conſuetudo.quemadmodum ergo cū te aduerſus iracundiam exerceri iubebam,tum argumento vti poteras te profeciſſe, quòd nō amplius te excandeſcentem cerneres:ita in ijs,quæ ad modeſtiam pertinēt, hoc indicio intellige, quantum profeceris, quòd ne cupiditate quidem amplius rerum ſuauiſſimarum tangaris.ad modeſtiam autem vna eſt via per continentiam. hoc enim modeſtus ſuperat continentem,quòd ille ne cupit quidem amplius titillātes palatum cibos, ſiue ob longam conſuetudinem,ſiue ob continentiam:velut ipſum quoq; rei nomen indicat.quod deductum eſſe videtur à continendis in ſe ipſo nec permittēdis longius abire cupiditatibus.laborioſa autē ab initio via hæc eſt atq; aſpera, quēadmodū cęteræ item omnes honeſtorū ſtudiorū exercitationes.itaq; ſiue pro malitia virtutē vis habere,ſiue pro titillationibus corporis animi tranquillitatē, hac ratione teipſum exercere oportebit,vt per cōtinentiā ad modeſtiā cōtēdas.ſin autē vel virtutem deſpicere,vel titillari vis toto corpore,ratio tibi erit deferenda: quæ quāuis ad virtutē nō hortetur,eſt tamen dux itineris ijs,qui aliqua exhortatione cōmoti,ire ad illā cœperint,quo videlicet itinere quis cōſequi illam poſſit.cū autē ratio hæc noſtra ſit duplex,vna,qua ſe ipſum quiſq; poſſit cognoſcere, altera qua peccata,quę cognouerimus,corrigamus,nobis,vt de hac poſteriore diceremus,minime ab initio propoſitum eſt,ſed de priore, qua poſſimus noſtra peccata cognoſcere.quoniam vero,qui illam ingrediuntur,ipſi dignoſcere non poſſunt,incipientibus quidem alios adhibemus inſpectores.eos vero ipſos,qui hanc rationem exerceant, quamuis iam poſſint cognoſcere,à quibus & vitijs & affectibus liberati ſint, ignorate tamen non oportet procul adhuc ab extremo illo ac fine,quem pe-

tunt,abeſſe. ſiquidem quod in vniuerſo dicere conſueui, etiam hic dicam: cognitionem videlicet ſui ipſius vno quidem modo eſſe omnium rerum difficillimam, altero autem facillimam. nam ſiquis intus velit cognoſcere, difficillimum id ſanè eſt,at ſi foris,nō item.Cæterum ego omnia hæc,& quæcunq; hactenus dicta ſunt, & quæcunq; poſthac dicēda,volentibus non grauatim impertio.& cum alia quædam fortaſſe ſit via,qua quis inſiſtēs & honeſtus & probus euadere queat, ego tamen,vbi nam illa ſit ignorans,hac ipſa,ex quō & viuo & ſapio ſum vſus,eandémque alijs abunde indicare non deſtiti, hortaríq;,vt contra ipſi quoq; aliquid afferrent ac reponerent,viciſſimq; ſiquam aliam honeſtatis probitatíſq; viam noſſent, docerent:nos autem,dum aliam illam deſideramus per hanc ipſam inceſſuros,quæ communis cunctis affectibus eſt,& ad cognoſcendum & ad medendum.etenim & cōtentionis,& gloriæ,& principatus appetio,animi planè eſt affectus illis quidem minor,attamen ipſe quoq; affectus.de inuidia autem quid attinet dicere , cum omnium vitiorum ſit fœdiſſimum? Dico autem inuidiam,cum quis ex alienis bonis triſtitia afficitur.& eſt omnis quidem triſtitia affectus,peſſima autem omnium, inuidia,ſiue ea ſit inter affectus numeranda,ſiue triſtitiæ ſpecies ſuo generi proxima. commune autem omnium remedium fuerit id,quod dictum eſt. quòd enim & mala ſint & fugienda perſpicere operæpretium eſt in ijs hominibus,qui vehementer ab illis detinentur.in talibus enim turpitudo ipſa admodum perſpicua eſt. cur autem ipſi in nobis ipſis nihil tale prorſus cernamus , cauſam putare oportet eam cęcitatē,qua afficimur, vel ad id,quod nos amat, vel ad id,quod ipſi amamus: non nulla etiam eſſe,quæ nos fugiāt propterea quòd exigua ſint, & à nobis negligantur,quæ tamen propter magnitudinem in alijs negligi nō poſſint.inuenire ergo oportebit ſenem quempiam,qui illa poſſit inſpicere,rogaréque hunc vt omnia nobis ſumma cum libertate indicet.deinde,vbi ille nobis aliquid dixerit,tum continuo illi magnas agere gratias.vbi vero ab illo abierimus, tum diſpicere & conſiderare diligenter,quid ſit,nóſq; ipſos tum,cum ſoli ſumus,increpare,conaríq; affectum euellere,non vſq; adeo ſolum,vt ab alijs duntaxat videamur,ſed vt ne radicem quidem illius vllam in noſtro animo prorſus relinquamus.nam ex ijs,quę ſic relinquuntur,ſolet aliquid rurſus pullulare,dum id ipſum ab ipſa nequitia & prauitate irrigatur.idcirco in nobis ipſis omnes ſingillatim affectus diligenter attendere ſcrutaríq; oportet,quoſcunque in amicis neceſſariíſq; noſtris cernimus,num aliquid tale in noſtro item animo deprehendi queat.excidendum quippe eſt, dum adhuc pullulat,nec expectādum,dum creſcat, & fiat inſanabile.nam cæteros quidem omnes animi affectus pleriq; deſpiciunt, tametſi cum alios vident ab ijſdem teneri,cōtemnunt:triſtitia vero ac mœror omnibus planè eſſe malum videtur, veluti labor in corpore . cæterum olim quidam ex ijs adoleſcentibus,qui mihi familiariſſimi erant,cum ſe in paruis commoueri negaſſet, póſtq; tamen id ſibi accidere animaduertiſſet,ſummo mane ad me venit, dicēs,ſe ſuper ea re totam illam noctem inſomnem duxiſſe, interímq; ſibi veniſſe in mentem, ſe antea ne in maximis quidem rebus vnquā ęque turbatum fuiſſe ac tum in paruis eſſet.itaq; voluiſſe diſcere,quo id ſibi pacto eueniſſet, vtrum ne ab aliquarum diſciplinarū vſu, an vero ab ipſa natura talis extitiſſet.cui ego id reſpondi,quod verum eſt ſcilicet:naturam quidem ipſam in puerili ætate ad vitam perficiendam in cunctis plurimum poſſe, ſecundo autem loco ſtudia exercitationéſq; diſciplinarum. nam quòd naturæ no-

ſtræ ſiue ingenia plurimum inter ſe differant, ex paſſim luſitantibus pueris facile intueri licet.nam eorũ alios ſemper hilares,alios ſemper triſtes inſpicimus:& alios quidem omnibus de rebus ad ridendum promptiſſimos,alios vero ex qualibet vel leuiſſima occaſione plorantes.ſunt item,quibus æqua omnia & cõmunia placeãt, ſunt quos contra,rapere ac prædari delectet.alij etiam minimis quibuſq; de cauſis vehementiſſime excandeſcũt,vt & mordeant,& calcibus feriant tũ lapides,tum ligna,ſicq; proximos ſe vlciſci putent,ſiquando ab illis iniuriã accepiſſe arbitrentur.alij ad ignoſcendum faciles ac mites, neq; iraſcentes neque plorantes niſi poſt magnam aliquam acceptam iniuriam. hac de cauſa Eupolis Ariſtidem illum,qui dictus eſt iuſtus,Niciæ interroganti,quónam modo iuſtus euaſiſſet, probe grauitérq; reſpondentem inducit, naturæ quidem primum maximúmq; munus fuiſſe, deinde vero ſe quoq; prompto animo naturam ſuam adiuuiſſe. non ſolum igitur ad mœrorem atq; triſtitiam qualibet de cauſa propenſæ ſunt adoleſcentium naturæ, ſed etiam ad excandeſcẽtiam atq; ad ſuauiſſimorũ ciborum appetentiam. de quo quidẽ vitij genere,quod ad illos pertineat, ad hunc vſq; locum, maxime ſum locutus.Cæterum,prȩter illa,quæ iam dicta ſunt,licet aliquos puerorũ impudentes intueri,aliquos autem verecundos: item alios memori natura præditos, alios immemores,alios præterea obliuioſos.nec nõ alij ſunt,qui prompte ac libẽter diſcendi cauſa laborẽ ferãt:alij negligẽtes atq; ignaui.porrò ex illis ipſis,qui labores facile tolerant,alij ſunt,qui cito efferantur lætitia,ſiquando laudẽtur: alij,qui afficiantur pudore,ſimulátq; à præceptore contemni ſe videant:alij vero,qui terreantur verberibus.idem autem,ſed contraria ratione,de ignauis intellige.itaque ex ijs, quæ pueris vident accidere homines vniuerſi,alios ex illis ſolent appellare pudentes,alios impudentes:& eadem ratione alios ambitioſos & probos,alios improbos & honoris negligentes,alios timidos & verberum contemptores:aliáſq; item illis appellationes,quæ naturis ipſorum conueniant,imponunt. ſic etiã ex iiſdem pueris alios intuemur natura mendaces, alios veritatis amatores: multíſque præterea morum differentijs inter ſe diſtinctos:de quibus nunc dicendi locus non eſt,quod huic duntaxat inſtituto noſtro conueniat. nam eorum alij quidem bonam facillime diſciplinam recipiunt,in alijs ea nullius momenti eſſe ſolet.neque tamen ob hanc cauſam negligendi ſunt pueri, ſed in optimis moribus nutriendi. nam ſi natura illorum curationis ac diligentiæ bonitatem recipiet,in viros bonos opera noſtra euaſerint:ſin autem contra, noſtræ ſedulitatis vtilitatem nullam perceperint, quod tamen ad nos attinet,culpa in hoc noſtra nulla fuerit. nam puerorum educatio ſimilis quodam modo eſt curæ ac ſedulitati,qua in plantis arboribúſq; alendis vtimur.ſiquidem quamuis bonus arborum ac plantarum ſator & cultor, nunquam tamen efficiet, vt rubus vuam ferat. neq; enim natura illius talem à principio ſuo perfectionem capere poteſt.rurſus vites,quæ, quod ad ipſas attinet,fructũ ferre paratæ ſunt,ſi neglexeris,ſolíq; naturæ curandas reliqueris, aut multo deteriorem,aut planè nullum edere fructum animaduertes.idem in animalibus vſu ſolet venire.equum quippe ſi erudieris, ad multas res vtilem habebis. vrſum vero quamuis olim manſuefeceris,non tamen perpetuo habitu talem poſſidebis.vipera autem & ſcorpius,ne eò quidem vſq; progredientur,vt manſueſcere videãtur. ego igitur cuiuſmodi ſim natura,non facile dixerim.nam ſe ipſum cognoſcere vel ętatis maturæ viris difficile eſt, nedum pueris. Mihi vero quadam ingenti felicitate

contigit, vt patrem ab omni iracundia alienum, iuſtiſſimum, frugaliſſimũ, humaniſſimum haberem: at matrem vſq; adeo iracundam, vt etiam morderet interdum ancillas, ſemper autem & vociferaretur & contenderet cum patre, & longe quidem odioſius, quàm Xanthippe illa cum Socrate. mihi itaque intuenti bonitatem honeſtatémque paternorum officiorum, quæ vitioſitatem maternorũ affectuum in proximo collocatã quaſi è regione reſpiceret, venit in mentẽ, cũ illam amplecti & amare, tum vero hanc alterã fugere odióq; proſequi. vt autem in his ipſis maximam cernebam parentum meorũ diſſimilitudinẽ, ſic item in hoc agnoſcebã, patrẽ meũ quidem ex nullo damno dolorẽ concipere, matrem vero etiam ob res minimas oppido quàm mœſtã euadere. porrò noſti tu quoq; pueros, quæ vehementer attenderint, ea imitari ſolitos: quæ autem iniucunde & cum moleſtia inſpexerint, ab his longe fugere conſueuiſſe. diſciplina igitur, quæ mihi ſub patre contigit, huiuſmodi fuit ferè. vbi vero ætatis meæ annum quartum decimum compleui, tum philoſophos audire cœpi ciues noſtros. è quibus Philopatoris Stoici diſcipulum quendã ſatis diu. Caium autẽ, qui diſciplinam Platonicã complexus fuerat, cum is ocio à ſuis ciuibus priuaretur, à quibus ad negocia ciuitatis trahebatur, per exiguũ quoddam tempus. vnus enim is putabatur in ciuitate & iuſtus, & qui nullis pecunijs vinceretur: præterea omnibus & aditu facilis & manſuetus. eodem vero tempore alius quidam è ciuibus noſtris poſt longam peregrinationem domum redijt, Aſpaſij peripatetici diſcipulus: & poſt hunc alius ab Athenis Epicureus. quorum omnium mea cauſa & vitam & diſciplinas explorabat pater, vnà mecum ad illos aſſidue ventitans. porrò autem quòd is plurimum ſe ipſum exercuerat in Geometria, & Arithmetica, & Architectura, & Aſtronomia, volebátque doctorem ſimiliter linearibus illis vti demonſtrationibus, & per eas quicquid doceret, oſtendere, idcirco inquit, oportet in tuis iſtis honeſtatis ſapientiæque præceptis ne minimam quidem diſcrepantiam inueniri, qua ipſa à ſeipſis diſcordent, quemadmodum veteres quoque omnes in hiſce artibus ſeruauere, quarũ Geometria Arithmeticáq; principem obtinent locum. vt igitur non procacem aut præcipitem eſſe oportet, vt te ipſum ab aliqua ſecta denomines, ſed longiſſimi temporis ſpatio & diſcere illas & de illis ferre iudicium, ſic omnes homines comprobant, confitentúrque etiam philoſophi, magno ſtudio quærẽda eſſe hæc: quare nunc iam tibi ea ſunt petenda æmulatione quadam, & diſcenda, & digna, quæ à te augeantur, exiſtimanda, vt & iuſtitiam, & modeſtiam, & animi magnitudinem, & prudentiam ex illis conſequare. laudant enim has virtutes cuncti, tametſi ſibi ipſis conſcij ſunt, nullam ſe earum habere: dant etiam operam pro viribus, vt alijs videãtur & fortes, & modeſti, & iuſti, & prudentes. vnum illud eſt, quod & ſi alijs nõ videantur, tamen reuera eſſe ipſi magno ſtudio contendunt, vt mœrotis videlicet omnis ac triſtitię expertes ſint. quare huic à te rei in primis ſtudendum eſt, cui omnes vtiq; homines ſtudent, præq; omnibus alijs virtutibus vnum hoc quærendum. Hæc igitur ego, quæ à patre documenta accepi, in hunc vſque diem ſeruaui, neq; me ipſum ab vlla ſecta denominare adhuc volui. quæ ſanè cum omni ſtudio omníque diligentia explorata habeam, imperterritus atque immotus ad ea omnia, quæ quotidie in vita accidunt, maneo, quemadmodum patrem quoque manere tum intuebar. ita neq; iactura neque interitus rei cuiuſpiam, perturbatione me vlla afficiet. niſi forte id eueniat, vt omnia, quæcunque poſſideo, amittam. hoc enim nõdum expertus ſum.

aſſueſecit porrò me pater etiam gloriam atque honorem cõtemnere,vt vnam nudámque veritatem haberem in pretio maximíq; facerem. video autem quoſdam, cum ſe ab aliquo ſperni arbitrantur, aut cum pecunias aliquas amiſerunt, magno ſolere confici dolore. qua ſanè de cauſa, inquibat ille, nullo ru me vnquam mœrore affectum vidiſti. porrò nondum mihi talis pecuniarum amiſſio euenir, vt ex eo,quod relictum foret, corpotis bonam valetudinem curare non poſſem, neque ignominia aut contemptio,vt quiſpiam viderit me de loco,qui mihi in meo ſenatu attributus eſt,deturbatũ.ſin vero alios,qui vituperent,alios rurſus,qui laudent, mihi contingit vt audiam,his obijcere ſoleo, me putare ita vnumquenque cupere,omnes homines habere,qui laudent,vt etiam velle omnia quæcũque ſunt,poſſidere.itaque videor, inquibat,mihi ipſi,fortéque tibi item videbor, nihil ad hunc vſque diem eſſe perpeſſus,quod magni æſtimandum ſit, atque ad hoc extremum ſine omni mœrore ac triſtitia perueniſſe.nam nec omnibus vnquam ſpoliatus ſum fortunis,nec vlla ignominia ſum notatus.quòd ſi aut bos, aut equus, aut mancipium interijt,non tanti ſunt hæc,vt ad me perturbandum idonea ſint,vtpote cum egregie ſim memor eorum,quę me pater monere ſolitus erat:qui videlicet ſuadebat,ne ob vllam pecuniæ amiſſionem mœrore afficerer, quandiu quæ reliqua eſſent,ad corpus curandum ſuppeterent. hunc enim primum finem illis, quæ poſſiderentur,ſtatuebat,non eſurire,non algere,non ſitim pati.quòd ſi cui plura quàm horum vſus poſtulat, fuerint, ijs ſanè vtatur ad eas res agendas,quæ honeſtæ ſint. mihi igitur adhuc tantus pecuniarum fuit vſus,vt eæ etiam ad eiuſmodi actiones ſuppetant.Porrò haud me latet, inquibat ille,tè fortunarum plus duplo quàm me poſſidere,& in noſtra ciuitate non mediocri honore præditum,vſque adeo,vt quęnam mœroris tibi cauſa futura ſit, nullam videam præter cupiditatem inexplebilem. ad hoc igitur vnum exercitationis genus ſpectabã, id ipſum in memoria habens,ſempérque meditans & conſiderans, donec ita mihi perſuaſum eſt, quemadmodum ex duplicato binario confici quaternarium.etenim conſideremus,inquit, per ocium cuiuſmodi vitium ſit inſatiabilitas.huiuſce autem conſiderationis initium præbeat ea,quæ in cibis ſumendis verſatur . ipſum ergo hoc,quod eſt vltra quàm ſatis ſit progredi veſcendo, inſatiabilitatem appellari aiunt. id autem,quod ſit ſatis, ipſa cibi indigentia metiuntur. cibo autem nulla alia de cauſa indigemus, niſi vt alamus corpus.nutriet vero corpus ſi bene concoctus fuerit.bene autẽ concoquetur,ſi modicus. nam eum,qui nimius ſit,crudum manere, haud ignoramus. quòd ipſum ſi vel ſemel eueniat, vſum eius corrumpi neceſſe eſt. nam ſi ciborum cruditate aluus cita vniuerſum excreuerit, profuſio vocari id genus vitij ſolet.ex quo ſanè ipſius cibi vſus corrumpitur.nõ ita illum ſumimus,vt per inteſtina deferatur,ſed vt ad omnes corporis partes applicetur.ſin autẽ eius diſtributio fiat, nec tamen ſit bene concoctus,malum intra venas humorem creare ſolet.quando igitur in corpore noſtro didiciſti, cuiuſmodi res ſit inſatiabilitas, iam hoc relicto, ad animum ipſum te confer, ibíque illius naturam inſpice diligenter, atque in vno quoq; rerum genere contemplate,ſumpto ab ijs,quæ poſſidentur,initio.in his igitur multa ſunt,quæ non recte tanto cum ſtudio apperũtur,cuiuſmodi ſunt Vniones,& Sardonyches,itémq; lapides alij omnes: cuiuſmodi item eſt ornatus, quem fœminæ vt magnum quiddam geſtant,ijs ancillis,quæ ab ipſis, dum incedunt,pendent. huius generis ſunt veſtimenta aut ex auro contexta , aut ſupetuacuum ali-

quod opus habentia, aut quæ,vt confici poſſint, materia indigent ex longinquis regionibus importata,qualia ſunt,quæ Serica vocantur. portò alia ſunt ex ijs,quæ poſſidentur, quæ ad ſeruandam bonam corporis valetudinem maxime conducũt. & hæc quidem ſatis decenter appetere parareque poſſumus.horum prima ſunt ea, quibus & alimur, & veſtimur, & calceamur.quibus adde illud,in quo habitamus. in eodem genere habentur, quæ ægrotantibus vtilia ſunt. verum nonnulla etiam vtriſque conducunt, & bene videlicet valentibus, & ægrotantibus,cuiuſmodi eſt oleum.horúmq; alia ſunt eiuſmodi,vt maiorem, alia vt minorem corporibus hominum afferant vtilitatem.itaque iam nunc & multitudinis & poſſeſſionis eorum finem ſeu modum te planiſſime inſpexiſſe arbitror. nam quemadmodũ vnius cubiti calceamentum,quatenus ad ipſum finem ſpectat, inutile eſt,ita & plura duobus habere calceamenta,vt quinq; aut decem,alienum ab vſu.alia enim illa omnino ſuperſunt:vſu autem duorum contenti eſſe debemus.ſic duplicem quoque veſtem habere ſit ſatis:& mancipia: & ſupellectilem.apud nos autem, inquibat ille, non ſolum veſtis eſt amplior, quàm duplex,ſed & famuli, & vaſa:& omnia omnino,quæ poſſidemus,ampliora duplicibus.prouentum enim ex rebus noſtris multo maiorẽ capimus, quàm vt vni corporis valetudini inſeruiatur. at enim ex iſtis qui voluptariũ vitę genus,quod ſequerentur,elegerunt,nonnullos video non duplo modo aut triplo quàm nos amplius impendentes, ſed & quinque & decem & triginta partibus ampliorem ſumptum facientes. eſt porrò alius quidã, quem tali victũ vtentem intueor,quali ego vtor,rurſúſque mœrentem ac dolẽtem, vt ego: cui tamen nõ ſingulis annis ſimiliter res familiaris augetur. nam quod ad nos attinet,decima fortaſſe prouentuum noſtrorum pars impenditur:reliquæ vero partes nouem ſubſtantiæ ipſi adijciuntur:attamen video te ne in res quidem egregias inſumere quidquam audere,non in coemptionem comparationémque librorum, non in eos,qui ſcribant,exercendos,ſiue notis & ſignis id faciant,vt citius,ſiue exquiſitis figuris, vt pulchrius, ſicut ne in eos quidem,qui emendate rectéq; legant. ac ne impertientem quidem alijs quidquam te video,vti tu me videre potes:nunc ſeruis in veſtimenta, nunc alijs quibuſpiam ad alimoniam aut ad valetudinis curationem. ſunt etiam,qui me viderint quorundam æs alienum diſſoluere. ego igitur quencunq; mihi pater prouentum reliquit, eum tibi omnem relinquo: qui ex eo neq; quidquam,quod ſuperuacuum viſum ſit,repoſui, neq; theſaurũ vllum congeſſi, neq; multis partibus amplius,quàm impenderim,quidquam recondidi: tamen remittentem me ac relaxantem curas ſæpius haud negaueris, ſicut ipſe fateris nunquam me tibi viſum mœrore vllo affectum. nunquid igitur potes triſtitiæ tuæ cauſam inſpicere,an & illius nomen audire à me cupis? iam ne iſtud quoque tibi fieri vis? ſcito igitur omnis triſtitiæ ac mœroris vnam eſſe cauſam eã, quã modò inſatiabilitatem noſtri,modo auiditatem inexplebilem vocant, ex eo quòd cupiditates habeant homines,quæ neque ſatiari neq; expleri poſſint. ſemper enim concupiſcunt ij,qui rerum præſentium inexplebiles ſunt. proinde ſi duplum quidpiam habent, triplum illico ſtudent acquirere: ſin triplum habeant, quadruplum appetere incipiunt. atq; hoc pacto nunquam ad eos ſpectant, qui pauciora poſſident, ſemper autem ad eos,qui plura, & hos ipſos ſuperare conantur, hiſque ipſis plura habere cupiũt.tu igitur,inquibat ille, ſi hoc modo ciues omnes noſtros cõſideraueris,non multos te ipſo ditiores inuenies.quare facile cæteris,qui ſuperſunt

omnibus eris opulentior. enimuero quod seruis ipsis haud dubium est: porrò his adde tã multas, mulieres. si igitur hi ciues nobis sint numero quadraginta millia, atque ita tu additis illorum mulieribus & seruis, summam feceris, inuenies teipsum, haud inficiantem, centum & viginti millibus hominem ditiorem, attamen hos quoq; omnino omnes volentem superare, studentémq; in ipsis diuitijs fieri omni ratione ditissimum. atqui multo satius est, ciuem in eo cæteris antecellere, quòd ijs, quę nunc habeat, sit contentus: quæ quidem res in te est. diuitijs vero pręstare non virtutis sed fortunæ est munus: quæ & seruos & libertos facit plerunq; nobis, qui generosi & nobiles appellamur, ditiores, at vero tu, etiam si quantum optas, assequare, hoc est, vt plus vniuersis ciuibus possideas, non tamen satis sis habiturus. sed illico circunspicies, num quis in alia ciuitate sit ditior. quòd si etiam in hoc fortunam tibi propitiam obsequentémque habueris, tum tu ad alias progredieris nationes, & ijs, quos apud illas opulentos offenderis, fieri studebis opulẽtior. quare nunquam tu sanè omnibus ditior, sed propter immensas cupiditates semper futurus es pauper. quòd si ipso vsu rerum metieris, id quod mensuræ modulóque tuo respondeat, iam teipsum vnum ex diuitibus numeraueris, aut saltem ex ijs, qui eo, quod opus est, abundent. ego igitur in numero horum meipsum colloco, licet quàm tu pauciora possideam. quocirca si tibi ipsi ad hũc modum persuaseris, nulla te vnquam tristitia afficiet, si quid ex tuis rebus perierit: erísque, quatenus ad rationem pecuniariam spectat, beatus, vtpote quum ob pecunias tristior futurus non sis. quòd si etiã illam, quæ ad honores appetẽdos pertinet, insatiabilitatem eieceris, hac quoque in parte iucunde ac sine molestia vitã deges. sin autẽ tibi nõ satis fuerit honorari ab ijs, qui tua consuetudine vtãtur, sed velis ab omnibus omnino, qui sunt in ciuitate laudari, etiam ab ijs scilicet, à quibus ignoraris prorsus, fortasse primum quidem ab ijs ipsis cognosci voles, tum autem, vbi cognitus fueris, honorari: at hoc quidem velle cognosci ab omnibus, ab immensa quadam gloriæ cupiditate proficiscitur, illud autem, quod est velle honorari, ab inani plane stultáque ambitione. quocirca tibi necesse erit, vt nunc pecunijs quærendis inuigilanti, ita tunc ad glorię honorísque studium cupidinem intendenti: ob illos, qui quum plures sint, te neque cognoscent: neque honorabunt, maiore quàm nunc affici tristitia. si igitur hæc comperta habebimus, & in his nos ipsos assidue exercebimus, sine omni molestia viuemus. at quo pacto exercebimus? nempe si cognitum habuerimus, vtrùm recte sit dictum, insatiabilitatem vitium esse animi pessimum. fundamentum enim quoddam hoc est omnium cupiditatum, pecuniæ, gloriæ, honorum, principatus, contentionis. primum igitur semper in promptu habere oportet præceptum illud atque institutum, quo iubemur, eo, quod adest, contenti esse, annexum ei videlicet atq; adhærens, quod de insatiabilitate dictũ est. quicunq; enim odio prosequetur animũ insatiabilem, is eũ protinus diliget atque amplexabitur, qui sit paruo contentus. si igitur hoc solo constat ipsum omni mœrore ac tristitia carere, iámq; hoc ipsum vniuersum penes nos ipsos habetur, illud consequens fuerit, vt penes nos sit viuere sine mœrore, si modo in promptu habeamus, quod de animo tum insatiabili tum frugi præceptum est, ac per hoc ipsum pręceptum singulis diebus in singulis huiusce operis partibus nos ipsos exerceamus: quod quidem quum cæteris ex puerili disciplina contingat, alijs illis, quibus in hoc fortuna non fauerit, sero tandem ea ratione, quam exposui, continget. quis enim est, qui

nolit omnem ætatem ducere sine tristitia? aut quis non hoc omnibus diuitijs præposuerit, quæ & facile auferri possunt, & sceleribus nonnunquam redundant? ille igitur & hæc & alia multa tum mihi tum alijs deinceps recensebat: quibus omnibus illico etiam persuadebat. vtilitatem tamen eam, quæ ex posterioribus capitur, sero capientes paucissimos quosdam vidi. plerique enim vsque adeo animi sui affectus auxerunt, vt iam inde insanabiles existant. at si quis modicis adhuc perturbationibus inseruit, potéstque aliquid eorũ, quæ prius dicta sunt, intelligere, vbi sibi inspectorem quendam ac pædagogum apposuerit, qui se, vt antea dixi, in singulis rebus alias moneat, alias obiurget, alias etiam adhortetur & compellat ad ea, quæ præclariora sunt, capessenda, ac seipsum eorum, quæ & dicit & monet, præbeat exemplum, is sanè poterit & liberum & egregium sibi animum ratione comparare. etenim turpe est libertatem eam, quæ humanis legibus accepta refertur, maximi facere, eam autem, quæ & verè & natura ipsa est libertas, non omni studio petere, sed inhonestis atque impuris ac tyrannicis dominis seruire, lucris videlicet, ac minutissimis quibúsq; pecuniarijs rationibus & cupiditatibus, tum principatus, tum gloriæ tum honoris. quorum sanè omnium matrem ego haud dubitauerim dicere, insatiabilitatem habendi. quis igitur talem in animo pestem habens possit vnquam aut honestus aut probus euadere? aut cur nõ mille mortibus sit dignus, qui non toto animo oderit talem turpitudinem? porrò autem hanc ipsam multo magis & odisse & fugere debent adolescentes, qui se saluos esse velint: qui si forte initio assueuerint pecuniam insatiabiliter cupere, fieri iam vltra nõ poterit, vt quum ad annum quadragesimum peruenerint, seipsos recuperent: sed pone, si magis placet, quinquagesimum: ne quis nos vt inhumanos redarguat, sicuti quendam audiui dicere: homines quidem non paucos vinci solere gula, venere, gloria: honore, se vero, qui diues esset, vna re tantum, quòd nullius sui voti compos fieret. nam is quum satis diu me singulis diebus lætum hilarémq; vidisset, ipse interim male animo affectus, rogauit, vt docerem, quid sibi esset faciendum, ne tangeretur tristitia. cui cum ego respondissem, longiore annorum spatio esse opus ad eorum vitiorum correctionem, quæ ipse in animo suo ad hunc vsque diem aluisset, vociferans, nihil te, inquit, vnquam vidi inhumanius: quasi ego videlicet, qui possem, si modo eniti vellem, ipsum quàm citissime ab omni tristitia liberare, hoc sic illi beneficium inuiderem. quum tamen huic vni ex omnibus disciplinis nemo ex ijs, ad quos ipsa pertineat, inuidere possit. nobis quippe expedit, omnes homines, quibus cum consuescimus, omni animi perturbatione vacare, neque aut gloriæ, aut si qua alia res est gloriæ similis, eius cupiditate animum gerere deformatum, quanto enim hi meliores fuerint, tanto nobis amici vtiliores existent. rursus igitur ad eum reuersus, qui se in verum studeat virum euadere, viam quandam communem ad omnia animi nostri bona monstrabo. oportet enim eum, qui alteri præsit ad corrigendum, initio quidem intento esse animo ad singula, quæ ab illo geruntur, cui sit indicaturus, quid ab ipso negligatur. est enim interdum definitu difficile in ipsis actionibus, id quod in re familiari ex minutissima quadam ratione geritur. quare hoc ipsum nullo modo præfiniri potest ei, qui nunc primum incipiat auaritiæ morbum excidere. porrò quemadmodũ in hoc virtus vitio proxima est, ita dum ambitionem excidere volumus, virtuti illico finitimũ vitiũ offendimus. cæterum quorũ animi suapte natura ad honestatem probitatémque feruntur, hi

neutiquam pudore affici solent, si cum ipsi iuuenes sint, seruarique possint, alios habeant, qui sua ipsorum peccata inspiciant, atque obseruent, ætate scilicet prouectos homines, qui in omni vita sua clarissimum liberæ mentis specimen dederint: quibus quidem increpantibus neque resistere, neque infensos esse par est, sed habere gratiam. quin etiam eosdem rogare oportet semper, vt vera dicant. quod ipsum vbi cognitum habuerint, tum conari si non ingentes illas portiones, at saltem minutas atque exiguas de grandi illa summa affectuum ac vitiorum excidere: tametsi initio perquàm arduum hoc, & cum magno labore magnáque infelicitate fieri videbitur. scire enim eos oportet progressu temporis nō similiter idem habituros difficile. quo enim maius rationalis nostri animi pars in huiuscemodi exercitationibus ac studijs incrementum accipiet, (quatenus videlicet superabuntur minuentúrq; vitia) eo facilius obsequium ac perfectiorem obedientiam obtinebit. nam cum ea, quæ maxima sunt, ratio nondum exercitata superauerit, haud dubium est, quin vbi duplicem excellentiam spatio temporis adepta sit, facilius sit superatura. etenim ex ijs, in quibus ipsa se exercuerit, multo existet generosior, quàm prius, sicque etiam illis, quæ minora aliquanto euaserint, abunde sufficiet. porrò ad futuri temporis spem vel alterum horum duntaxat satis esse poterat. quocirca ipsius exercitationis initio terreri non oportebat eum, qui in ipsa affectuum curatione parum se proficere sentiret. progrediente enim tempore magis proficiet, si modo æquo animo pergat audire eum, à quo vere ametur, dicentem sibi, quæ sint ea, in quibus peccet, velítque non videri tantùm, sed etiam re ipsa existere & egregius & frugi. Hactenus igitur de ratione & cognoscendorum & curandorum animi affectuum dictum sit: deinceps autem sequitur, vt de peccatis ipsis dicatur.

Claudij Galeni Pergameni De cognoscendis curandísque animi morbis quas perturbationes latini appellant, libelli finis: Bernardo Donato Veronensi interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE CVIVSQVE ANIMI PECCATORVM NOtitia atq; medela libellus, Iunio Paulo Crasso Patauino interprete.



CViusq; animi perturbationum cognitio ac medicina secundum traditam superiori cõmentario rationem comprehensa est: deinceps de peccatis sermo instituendus est. igitur optimum & in præsentia initium sumam, quod omnes, & si operibus non cõfirmant, ore tamen confitentur, ac illud quidnam sit, quod peccatum vocant, vt nobis procedenti oratione ambiguitas nulla relinquatur, explanabo, docebóq; vocabulum hoc ἁμάρτημα, quod Latinis peccatum significat, ab omnibus Græcis ita accipi, vt modo ea, quæ haud recto iudicio committãtur, declaret, atque ita ad solam rationabilem animæ partem pertineat, modo communius latiúsque ea etiam, quæ ad irrationabilem facultatem spectent, complectatur.

Multa desunt in codice græco

quidnam sit peccati consensus, omnibus in aperto est: quid imbecillus consensus, non item: siquidem nonnullis titubantem hũc assensum inter virtutem vitiúmq; medium ponere satius esse visum est: titubantem vero siue imbecillũ esse consensum prædicant, quando nobis ipsis nondum ita veram esse opinionem aliquã persuaserimus, sicut illa est, exempli causa, in vtraque manu quinos esse digitos, aut * bis duo quatuor constituere: forsan vtiq; senem quempiam offenderis, qui in omni vita veris peccatis operam dederit, alicui scientificam ostensionem habẽti infirme assentiri: scientia porrò geometræ de his, quæ per Euclidis elementa ostensa sunt, talis est, qualis & hæc, bis duo quatuor esse: eandem quoque scientiam & deinceps * traditorum de globis preceptorum habebit, quemadmodum & omnium secundũ hæc resolutorum de linearũ figuris atq; gnomonicis. Quamobrẽ si vel parũ quis ambigat, neq; propriũ ipsis cõsensum præbeat, quem cõprehensionẽ nonnulli appellant, hoc esse vitium, vt hominis videlicet geometræ quispiã iure cõcesserit. at * eius, qui in vita peccet, in bonis malísq; cognoscendis, possidẽdis, aut euitandis improbæ opiniones falsęq; consistũnt, assensus item aut procliuis, aut titubans & incertus. Hic iam igitur discrimen impendet, ne paruum iuxta & maximum peccatum committatur, si falsę de bonis ac malis opinioni assentiamur. secundum Academicos planè ac Pyronæos vocatos philosophos eorum, quæ à nobis inquiruntur, scientificam ostensionem haberi negantes, omnes, qui nunc habẽtur, de re aliqua consensus necessariò inconsiderati sunt ac temerarij, quin etiã & falsi esse possunt, aiunt preterea, philosophorum de bonis malísq; discordes inter se pugnantésq; sententiæ, vt veræ omnes sint, neutiquam fieri potest, at omnes forsan mendaces esse nihil prohibet: vt neq; voluptas bonum sit, neq; perturbationum vacuitas, neq; virtus, neque ab ipsa prodiens actio, neq; aliud omnino quicquam eorum, quæ à philosophis enumerata sunt. In primis itaq; eum, qui à peccatis mũdus esse cupiat, rei illius ignotæ, quam inuenire satagit, demonstratio sit, nécne, considerare oportet, idq; non obiter modo, sed longo etiam tempore inter veracissimos

homines versantem,qui naturali quadam prudenria præditi sint, atq; in rationalibus disciplinis exercirati,qualis nam sir ostēsoria merhodus,speculari conueniet. Deinde cum quis ipsam se inuenisse sibi persuaserit: postea longo temporis interuallo irerum sese exercere debet anre,quàm ad maximarum rerum inquisitionem accedar:vt,exempli causa,quódnam sit illud bonum, (id sanè & vitæ finem nuncupant) quod comparatum felices nos,aut beatos,aut quód quis aliter nominare velir,efficiar. Nónne igitur per deos illi,qui prius, quàm ostensoriam merhodum sese inuenisse credant, ad maximarum pulcherrimarúmque rerum indagarionem transeunt,euidenter remerarij sunt? mihi quidem vel maxime huiusmodi esse videntur:perinde enim isti affecti sunr,atq; illi,qui ante,quàm satis se in numerorum scientia exercuisse cognoscant, aliquid de supputatorijs locis atque arithmeticis disserere audent.igitur vt hos plerunq; falli necesse est,ita & quicunq; prius aliqua demonstrare conantur, quàm in demonstratoria methodo versati sint, quin errores committant,fieri nequit.porrò quòd nonnulli ex his,qui falsa edocent,quibusdam persuadeant,sectarum multitudo testatur: sed neque illis hæc, nisi aliqua similitudo intercederet,persuaderi potuisse,cuique palàm est:neque paruam hanc esse similitudinem profecto existimare conuenit.nam alioqui facillime deprehensa foret,neq; longo temporis decursu à multis clarissimísq; viris eam argui cõuincíque opus fuisset.Illud itaq;,quod in re medicinali Hippocrates vsuuenire aiebat, & in philosophia accidere videtur: dicebat autem Hippocrates, similitudines vel bonos medicos in errores difficultatésq; conijcere, vtpote non vulgaribus duntaxat medicis,verum etiam nobilissimis ob similitudines deceptis.quare neq; alienū est,& in philosophia similitudines præclaris philosophis imponere. gemellorum similitudines illi,qui cum ipsis versari consueuerunt,facile dignoscunt, non assueti minime id facere queunt.Eadem ratione & illæ,quæ in rationibus sunt,similitudines eos,qui sese non diu neq; quotidie in struendis rationibus attriuerunt,prętereunt,quemadmodum & gemini fratres eos,qui non vnà degant atq; versentur,delitescere solent.Hoc vtiq; vnum primum est eorum peccatum maximum,qui aliquid ad humanā vitā pertinens temere pronunciant, bonáq; ac mala aut ex amore sui,aut inanis sapientię,aut arrogantiæ,aut ambitionis causa constituunt:siquidem nonnulli recte sese opinari sibi persuadent, nonnulli honoris, aut prætextus cuiusdam causa ea proximis probare conantur,de quibus ipsi dubitant,atq; animi pendent.peccant sanè vtrique,secundi scientes ac volentes, quorum vitiū ex perturbatione proficiscitur: primi vero nesciētes, ipsorúmq; error peccatum proprie dici merebitur.recte igitur isti fecerinr, si Aesopi manticarum meminerint,suásq; ipsorum opiniones alijs examinandas concesserint, haud per Iouem talibus, quales ipsi sunt,non solum in ostensorijs merhodis minime versati,sed etiam aliarum disciplinarum, quæ Græci mathemata nominant, imperiti: ijs enim imbutus animus acuitur ac delimatur, vtpote geometria,arithmetica,disserendi ratione,ædificatoria, & astronomia. Ex his porrò nonnulli neq; rhetoris, neq; id,quod maxime præstò est, grammatici doctrina eruditi, sed adeo dicendi artis ignari sunt: vt neque ea,quæ à me dicantur, intelligentia assequi valeant. quæ profecto ego animaduertens,cum aliquem sermonem feci,ipsis,vt dicta mea repetant,iubeo:tunc enim re verà quemadmodum asini lyram,ita & isti ea,quæ à me dicta sunt, neutiquam percepisse deprehēduntur:nihilominus tamē in tam audaces,vel temerarios

potius euaſerunt,vt ab ijs,qui prima elementa didicerint,eò ludibrio habiti,quòd quæ audiuerint, recitare nequeant, nihil propterea erubeſcant,ſe ipſos tantùm veritatem agnoſcere, alios diſciplinis inſtructos tempus fruſtra perdidiſſe opinentur.verum non illis quicquam me profuturum ſperans in hunc ſermonem diuerti.plures enim ipſorum etiam ſi vellent,nihil iuuamenti capere poſſent,neque ętatem ipſam amplius diſciplinis percipiendis idoneam nacti ſint. quiſquis vero natura prudens eſt,& eatenus primis rudimentis operam dedit,vt quæ audiuerit, maxime quidem ore proferre ſtatim,ſin id minus, at ſaltem ſcriptis mandare valeat, is ſermonem hunc noſtrum,modò ſit ex toto veritatis amator,ſibi ſubſidio futurum ſcito.in hoc enim vis tota conſiſtit,primum quidem aptum ad veritatem natum eſſe:deinde optima ac liberali educatione vſum fuiſſe.at qui in veritatem explorandam minime natura feratur,& in flagitioſis inhoneſtíſque ſtudijs altus fuerit, nequaquã iſte aut ſpõte commotus aut ab alio concitatus veritatem vnquam appetere valebit.quocirca neque ego vnquam id genus homini opem ferre pollicitus ſum. ſed, vt modo retuli,veritatis amico iter illud oſtendere pro viribus conabor, quod in omni vita perquiſiui : illúdque ſolum eſſe,quod proxime ſubijciam,mihi perſuaſi.

Quomodo quis methodum,veráne ſit,experiatur.

Exiſtimo nanq;,vt dixi,prius illis perceptis, quæ de oſtẽſoria methodo à maioribus noſtris tradita ſunt,in alijs rebus ante periculum fieri debere,nunquid re vera aliquod quæſitorum inueniant:eſſéq; huiuſmodi rerum naturã idoneam,vt ſuis inuentoribus teſtimonium perhibeat:vt exempli cauſa in hoc,datam rectam, aut præceptas partes diuidere:fortaſſis penitus rudes,quidnã dicatur, non intelligunt. ego vero perinde atq; ſi omnes ipſi adeſſent, clarius dicere incipiam. Rectã datam ſermo noſter intelligit,lineam aliquã rectam in ſuperficie exacte lęui propoſitam, præceptas autem partes pro ſumentis arbitrio, ſiquis propoſitam rectã in quinq; æquales partes,aut ſeptem,aut viginti,aut centum diuidi iubeat. nam ſi tu per te methodum vnam nactus,aut ab alio edoctus atq; vſus,in quot velis partes propoſitam rectã parrieris,res ipſa tibi teſtis erit,omnéſq; particulæ ita diuidentibus ex-
* quiſite cernentur æquales.atq; id genus omnia problemata exacte repetta per ipſa euidentia confirmantur:vt,cum dato quadrangulo circulum, aut pariter & dato circulo quadrangulum circum intúſve ponere iubemur: item cũ dato quinquangulo æquilatero & æquiangulo circulum vt exterius circumponamus, quis præcipit:ſiquis etenim ſingula hæc ea,quam didicit,methodo circumſcripſerit,res ipſa quæſitum iam exploratũ eſſe teſtabitur: At non itidem,genitúſne,an ingenitus ſit mundus,res ipſa teſtabitur,quemadmodum neq;, finitúmne ſit an infinitũ vniuerſum,aut quantus ſit maris fluctuum numerus:nullum enim huiuſmodi quæſitorum ex ipſa re,quæ inuenta eſſe videatur, diiudicari poteſt, quemadmodum ſi circulo figuram duodecim laterũ æqualium rectorúmq; angulorũ circum intúſq; dare iuſſus id ſtatim feceris.intus nanq; & circumſcripta figura euidenter conſpicitur : ſicut & circulus huic multiangulæ figuræ intus circúmq; datus agnoſcitur. itaq; cum demonſtratoriam methodũ ad quæſitũ nos ducentẽ inuenerimus, teſtimonium ex ipſamet re haud obſcurum accipiemus : & exinde coniecturas haud paruas ipſius veritatis habebimus: vt aliquando & in his, quæ id euidenter teſtari queãt,ea vti audeamus. neq; ſtatim in rebus maximis à quoquam periculũ facien-

dum eſſe exiſtimo:ſiquidem ad felicitatẽ ducẽtia maxima ſunt: ſed in aliqua prius materia exerceri conuenit, quæ illorum errorem, qui ſe quæſitum falſò inueniſſe autumant, redarguat,& vere inuentis ſuo teſtimonio faueat. Huiuſmodi methodus in geometria reperitur,arithmetica,ſupputatoria,aſtronomia,& architectonica:nomine autem architectonicæ horologiorum,clepſydrarum,hydrocopiarum, & machinamentorum omnium deſcriptiones amplector,inter quæ & pneumatica, hoc eſt, ſpirabilia quæ vocantur, exiſtunt. Hæc profectò omnia inuentoribus ſuis teſtimonium perhibent haud ſecus,quàm aſtronomiæ inuenta,quæ & ipſa ex euidentibus dijudicantur, examinantur,& teſtimonio confirmãtur.Solis nanq; & Lunæ defectus, & quæcunq; circa fixas errantéſq; ſtellas conſpiciuntur, inter ea, quæ manifeſtò apparent,reponuntur. Manifeſtum præterea eſt ſermones noſtros omnium illorum animos percellere,quibus iam prouecta ætate nõ multum temporis ſupereſt,vt in rebus illis demonſtratoriam methodum exerceant,quæ ipſius veritatem perſpicue teſtari valeant.aut enim vt proxime dicebam, proprio amore decepti:aut vmbratili quadam ſapientia,aut honoris inaniſque glorię cupiditate,aut arroganti iactantia,aut auaritia perciti,nonnulli ſibi ipſis,nõnulli verò alijs ſe aliquid firmi ſcire perſuadent. quocirca nihil mirum fuerit in proprio vnumquenq; auditorio ſuis hęc diſcipulis probare:quorum aliqui aſinino ingenio ſunt, aliqui vero acri,ſed in primis diſciplinis nequaquã exercitato: nam id genus venoſis atq; ineruditis præceptoribus expedit, arbitror, tales habere diſcipulos. quicunq; enim natura prudens,& in diſciplinis antea verſatus fuerit, ipſos illico floccifecerit, ſicuti & ego adhuc adoleſcẽtiæ annos nõ egreſſus multos doctores contempſi : qui nonnulla demonſtratis ſcientifice in geometria repugnantia oſtendere audebant,neque demonſtrationis ſimulacrum quod eſſet, vnquam cognouerant.ſiquis igitur veritatem exploraturus prius arrogantem iactantiam,nimiũ ſui amorem,honorum & glorię immoderatam libidinem,falſam perſuaſionẽ ſapientiæ,atque auaritiam ex animo ſuo extirpauerit, iſte planè ad ipſam peruenit non menſibus modo,ſed annis multis poſtea, cum ante ſeſe exercuerit, atq; placita ad beatitudinem,& ad calamitates ducere valentia indagauerit: illis vero, quas dixi, perturbationibus furentem ac debacchantem ad tam longum iter pigrum atque impeditum video: at illos nempe odio proſequor, qui inſidiatorem calumniatorémque efficiunt. huiuſmodi enim vitijs ſuos ipſorum diſcipulos præoccupare ac inficere ſolent,neq; id genus ſermonibus, quales nos hactenus fecimus, aures vnquam præbere æquo animo poſſint. ſanè oppido facile eſt præceptorem graui ac ſeuera facie dicentem imperitis adoleſcentibus perſuadere expeditiſſimum eſſe ad ſapiẽtiam iter,ídq; à cynicis vocatis philoſophis affirmari teſtantẽ:ſiquidem & iſti placita ſua breuẽ eſſe ad virtutẽ viam cõtendunt: at ipſorũ nonnulli ſententiã hãc dãnantes nõ ad virtutẽ, ſed per virtutẽ ad beatam vitam cynicam philoſophiam iter eſſe confirmant, cæterum nonnulli verius ipſam declarantes imperitam iſtorum hominum temeritatem ad inanem iactantiam breuem eſſe viam teſtantur. Itaque vt cynici omnes,quos vitæ noſtræ tempore cõſpeximus,ita & eorum quidam, qui ſe philoſophos profitentur, euitare ſe in rationali contemplatione exercitationem non eunt inficias:deinde,cum à nobis diſceſſerint:cum vulgaribus hominibus, caprarum videlicet bouúmque,paſtoribus, foſſoribus atque meſſoribus congredi indignum putant, quòd ſcilicet ea, quæ à ſe dicantur, iſti, vtpote in ra-

tione differendi nunquam verſati, minime aſſequantur: idq; nimirum inſolẽter faciunt, perinde atq; ſi ipſi vnquam in primis ſe diſciplinis exercuiſſent, ac nõ repente de vitæ fine, de bona atq; aduerſa fortuna à præceptore demonſtratorios, vt ipſe credebat, ſermones audiuiſſent, ipſiſq; eo, quòd non eſſent exercitati, fidẽ adhibuiſſent: quæ planè ijs, vt dixi, ob falſarum verarúmq; rationum ſimilitudinem cauſæ falſorum decretorum extiterunt. ſimilitudines autem exacte illi dignoſcunt, qui ſingulas integras materias diligentiſſime tractauerunt. at qui repente materiã aliquam non exercitata ratione aggreditur, nullo pacto falſas à veris argumentationibus diſtinguere ſeparareq; valebit. huiuſce rei manifeſto indicio ſunt vocata ſophiſmata, quæ rationes quædam falſæ ſunt ad verarum imaginem doloſe conſtructæ. harum mendacium ex concluſione, quæ vera non eſt, aperte deprehenditur. quoniam vero falſæ rationes, aut ſumptum aliquod falſum aut concluſionẽ haud recte illatam habeant neceſſe eſt, & hæc in ſophiſmatibus haud ita facile conſpicua ſunt, ab illis, qui in differendo ſe non exercuerunt, vix vtique deprehendi poterunt. Igitur cum rationem mendacem eſſe concedamus, quòd omnibus concluſionis mendacium euidenter pateat, nihilominus inexercitatos nodi ſolutio præterit. quocirca tutius iſti cautiúſq; egerint, ſi rationes omnes ſuſpectas habuerint, nulliſq; prius aſſenſerint, quàm ſe falſarum verarúmq; rationum ſimilitudines exquiſite diſtinguere poſſe ſibi perſuaſerint: alióſq; ſibi quæſtiones proponere patiantur, volentibus ipſorum eruditionis periculum facere permittentes. num aliud igitur conſulunt, quàm quòd diſcipulis, vt ſe in ſophiſmatum diſſolutione exerceant, præcipiunt? quę nihil aliud, vt antea dicebam, prorſus fuerit, quàm inter veram falſámque rationem ſimilitudinis agnitio. neceſſum itaque ſit verarum prius argumentationum naturam didiciſſe: in ijs nanq; verſatus, ipſarúmq; ſpeciem exacte iuxta celeritérq; percipere aſſuetus, haud ægre, puto, falſas agnouerit. ego ſæpe id re commonſtraui, cũ adoleſcentes in diſciplinis verſatos veras rationes cognoſcere edocui, & alicui ex præſentibus, cui libuiſſet, vt aliquod ipſis ſophiſma proponeret, iuſſi. ipſi enim ſophiſmatũ abſurditatem deprehenderũt, quæ aut in figuræ nõ ſyllogiſticæ incõcinnitate, aut in ſumptionũ falſitate poſita eſſet. atq; ita iſtis inanis ſapientiæ nomine præditis, iſtis inquã ſenioribus ſophiſmata explicare nequeuntibus euidẽter patuit, id ipſis incommodi ex verarum rationũ ignoratione prouenire: quò fit, vt ſummopere dãnari mereãtur, eo quòd ex temerario aſſenſu miſeram degant vitam. falſam enim de vitæ fine opinionẽ ad miſerias calamitateſq; ducere omnes teſtantur: iſti vero homines quidam ſunt in diſcernendis veris falſiſq; rationibus nunquã exercitati, interdum opinionis alicuius veritatem intelligere ſe credentes, & contingentẽ rationem ſe dixiſſe ignorant, ac tanquam ſenſibus, quæ opinantur, euidenter appareãt, nos ſequi, & abſq; demonſtrationibus credere iubent: interdũ vero, cum ſola indicatione oratio egeat, demonſtratione ipſam cõfirmare nituntur. atq; ita ſanè quò differat demõſtratione egens ab eo, quod primario atq; ex ſe notum eſt, ignorantes, nihilominus tamẽ de rebus, quibus magna cõtẽplatione opus eſt, temere loqui aggrediũtur. atqui in his erroribus multi, qui iandiu in philoſophia cõſenuerũt, inuoluti ſunt. quid igitur, proh Iuppiter, iſtorum ne inſcitia, vmbratiliſq; ſapientia tibi facile curari poſſe videtur? an & ille etiam, qui triennium, aut quadriennium præduro tumore doloris ſenſu carẽte laborauerit, vnquam ſanabitur? nunquam profecto ſenum iſtorum animum inſci-

tiæ apparentísque ſapientiæ ſcirrho triginta iam annos occupatum ad ſanitatem redire poſſe crediderim.at,ſi velis,id poſſe fieri ponito: deinde dierúmne ſpatio,an mẽſium,an annorum huiuſmodi ſcirrhi curatio egear,æſtimato. itaq; ne amplius admiraror,quam ob rem multos iſtorũ, qui ſe philoſophari prædicant,neq; alloqui,neq; cum ipſis diſputare dignum exiſtimo.omnes enim priuatos homines natura prudentes,eáq; diſciplina inſtitutos,quæ iampridem à Græcis probata eſt,iſtis meliores præſtantioréſque cognoui.facile enim quæcunq; ſe euidẽter conſequuntur,agnoſcunt:iſtos vero altercantes, aut quæ placitis ipſorum aduerſentur, percipere diſſimulantes plerunq; expertus ſum. porrò cum millies olim cũ pleriſque philoſophorum,quæ quenq; propoſitum finẽ vita conſequatur,diſputauerim,alij quidem omnes,quòd primis rudimentis optime inſtituti ſint, acutum ingenium habent, ipſiq; viuendi modum concordem ſuis placitis dicebant, ſermonémq; noſtrum recte intelligebant:at illi in quadã inani ſapientiæ opinione (vt ſupra poſui) ad ſenectam vſq; verſati ſoli cõtraria ſentiebant:deinde cum ab omnibus præſentibus deriderentur,ad conuitia iurgiáq; ſe conuertebant. Verum quæ à nobis ſæpius vnà cũ multis viris de quoq; pro ſingulis finibus vitæ genere explicata ſunt, in alijs habes cõmentarijs tradita : multáque errorum,quos iſti committunt,exempla in illis ſcripta ſunt.nam quæcunque iſti diuerſis ſectis addicti vitam corrũpentes inter ſe contraria faciunt ac dicunt,ex falſo iudicio proueniunt, peccatáq; ſunt,quæ in qualibet ſecta committuntur: ſiquidem veridica atque optima ſecta non finem ſolum,verũ etiam genus vitæ fini illi conſentaneum adinuenit.Quamobrem quid inter peccatum perturbationémq; interſit,hinc apertiſſime diſcere liceat.Aliquis,exempli cauſa,placitum hoc inſtituerit,homines iuuare,hominibus egentibus re vera opem ferre cupiens : cæterum iſte aut ſomno, aut ſocordia,aut voluptatibus,aut aliquo id genus alio impeditus ſubuenire afflictis neglexerit,ex quadam perturbatione errauit. Alius vero quiſpiam ſibi ipſi tantum voluptates curarúmq; vacuitatem cõparãte ſtatuens,ac ꝓpterea ciuibus ſuis,aut domeſticis iniurijs affectis auxilium denegans, ex praua opinione profecto, non ex aliqua perturbatione peccauerit.

Quòd de cuiuſq; vitæ fine opinio falſa peccatorum cauſa ſit.

Multorum ſanè peccatorum falſa de cuiuſq; vitæ fine opinio fons & origo eſt, ex ea enim tanquam ab radice quadam ſingula peccata exoriuntur:poteſt tamen aliquis de vitæ fine recte ſentiens in aliquo particulari conſecutionem haud intelligens aberrare:cæterum tibi, (vt proxime dicebam) actiones vitæ ſingulis finibus congruentes in alijs cõmentarijs latius enumeraui:in præſentia peccatorum ſola capita perſtringam,quæ & repetere ſatius eſſe duco,vt ꝓpoſitorum cõpendium quoddam facile memoriæ mandandum conficiam. quandoquidem enim in finis contemplatione felicitatis humanæ principatus ponitur,haud ab re in ipſum inueſtigandum omnes incubuerunt:de quo qui ſe ipſos magni faciunt, prompte ſententiam ſuam tulerunt:prompte autẽ ſententiam tulerunt,aut omnes,aut vno tantũ excepto : quem ipſum neque in confeſſo eſt id feciſſe, antequã de demonſtrationibus iudicauerit,eſſéntne re vera demonſtrationes , an illi ita eſſe viderentur.hominẽ igitur propria peccata obſeruantẽ atque animaduertentẽ illud ipſum in primis cogitare oportet, iuſtum eſſe omnino eos curioſe diligentérq; audientem,qui ſeſe quæſita oſtenſione probauiſſe arbitrantur, poſtea ipſa dijudicare co-

nari:atq; irerum hoc loco cum ab ipſis acceperit: quę in orationibus iudicem veritatis ſtatuant, deinde iterum hæc ipſa ſecum, vt ſeſe habere oporteat, reputans, conſiderānſque nūquid ipſi rurſum iudicandi inſtrumentum altero egens inſtrumento intelligant, deinde poſt illud rurſum alio, ídque ne in infinitum protrahatur, ſuſpicans multum ocium nactus longo temporis ſpatio vnà cum viris, qui ipſi maxime veridici videantur: ita primum omnium iudicandi inſtrumentum contempletur: quod ſcilicet altero inſtrumento non egens inuenire opus eſt, inuentúmque omnibus hominibus oſtendere: id vero & abſq; diiudicatione conceditur, eandémq;, quam omnis demōſtratio, vim præſe ferre poteſt: atque ita, quod ſupereſt, in ipſum reſpicientem omnia ad id particularia redigere conuenit, quod ſanè reſolutionem nonnulli philoſophi vocaueruut: veluti aſcenſum quēdam ab his, quæ media ſunt, ad primarium iudicationis inſtrumentū. vtpote autem in re valde difficili, quemadmodū opere plerunque didiciſti in iſtis vano ſapientiæ nomine præditis, petulātibus, ac propterea ludibrio habitis, quòd neq; vulgaria quæſita ad primum illud inſtrumentum iudicandi redigere valeant, ſibiĳpſi eum conſtare oportet, qui ſcientiæ capax eſſe velir, atque in multis ſingularibus, quę ipſam inuentam eſſe teſtari poſſint, vt antea dictum fuit, ſeſe exerceat. huiuſmodi ſunt autem ea, quæ in arithmetica linearúmq; ſcientia habentur, quibus veluti gradibus aſtronomia & architectura nituntur. age enim vt declarandi cauſa ex architectura exemplum aliquod promam, vrbe condita ipſam habitaturis propoſitum ſit non per coniecturas, ſed exacte quotidie ſcire velle quantū diei temporis iam elapſum ſit, quantúmq; vſque ad ſolis occaſum ſupereſit. id problema ſanè in reſolutoria methodo ad princeps illud iudicatorium redigi opus eſt, ſiquis ipſum, quo dixi, modo in gnomonica tractatione inuenire debeat, rurſúmque ex illo per eandem viam, ſed contrario modo proficiſcendo componi: quemadmodum & hoc in eadem tractatione didicimus. porrò in hunc modum cōmuni generalíq; via cōperta, nobíſque cognoſcentibus ex huiuſmodi lineis temporis partium dimenſionem fieri neceſſum eſſe, ad corpora deinde tranſire conuenit linearū deſcriptionē vocatúmq; gnomonem ſuſceptura, ac primū veſtigare, quæ corporum figuræ ad inuentam deſcriptionem idoneæ ſint, deinde in illis ſingulis, qualis nam hæc deſcriptio fieri poſſit, ex reſolutione cōpoſitionéq; inuenire. ac poſteaquā rationalis methodus euidentē nobis propoſitorum inuentionis confirmationem præſtiterit, mox ad ea exequenda, quæ per ipſam inuenta ſunt, accedentes, iterum conſiderabimus, quo modo depingendi corporis ſuperficiem planam æquabilémq; reddemus, hoc deinde per reſolutionem & cōpoſitionem adinuento aliquod huiuſmodi corpus fabricati per inſtrumenta ipſum lineis deſignare tentabimus: iterúmq; ex reſolutione ac cōpoſitione eo cōperto, eiuſdem ſpeciei corpora, qualia nos methodus edocuit, conſtruere enitemur. cúmq; poſtea in multis deinceps figuris delineatio facta, hominibúſq;, vt re experiantur, diuulgata fuerit: iam id, quod à principio propoſitum fuerat, exploratum eſt. quando enim prima linea primū ſolis radium excipit, itidémq; poſtremū vltima, atq; hoc in omnibus ſolaribus horologĳs depictis apparet, iam profecto vnum quoddam euidens indicium, quòd res propoſita inuenta ſit, habebimus: item alterum, cum omnia delineata corpora inter ſe concordant, necnon & tertium, cum æqualis aquæ fluxus ipſis reſpondet. hoc etenim depictorum horologiorum veritatis iudicatorium futurum ratio adinuenit:

quod dico autẽ huiuſmodi eſt. vaſculum ex quauis materia conflatum perforato, primúmq; ſolis radium intuitus aquæ mundæ imponito, deinde tibi cum pictum horologium primã horam præterijſſe nunciauerit, tu quanta vaſculi portio aqua impleta fuerit, adnotato, eáq; effuſa iterum vaſculum eidem aquæ imponito: & cũ ſecundã horam ſolare horologium ſignificauerit, vaſculum aſpicito: poſtea cum aquam in ipſo ad eandem partem perueniſſe, ad quam & prima hora peruenit, inueneris, adnotato celeriter, & exhauſtum vaſculum iterum in eandem aquam immittito, ac rurſum obſeruato, num, quoad tertiam horam horologium indicauerit, ad eundem vaſculi locum aqua perueniat, ad quẽ prima aut ſecunda hora peruenerat: quod ita factum eſſe inueniens, exhaurito vaſculum, & iterũ ad quartam vſque horam in aquam demittito, itémq; ad eandem vaſis partem aquam aſcendiſſe conſpicatus, ipſam ſtatim effundito, denuóq; in eam demiſſo vaſculo quintã ſimiliter horam explorato, cúmq; & in hac ad eundem locũ aquam perueniſſe cõperias, deinde in ſexta & reliquis deinceps vſque ad duodecimã ſi prorſum ita fieri cognoueris, recte depictum eſſe horologium tibi perſuaſeris, quandoquidem propoſitum demonſtrauit: propoſitũ erat autem, in duodecim æquas portiones totius diei tempus eſſe diſtributum. porrò numerum hunc tanquã omnium vtiliſſimum delegerunt, dimidium enim continet, & duplum, & quartum, & ſextum, & duodecimum, quæ nullus alius poſt ipſum numerus vſq; ad vigeſimumquattum continere videtur. Hunc ſanè tanquam exiguum repudiarunt, & duodenarium numerũ veluti cõmoderatum iudicantes in tot particulas totius diei tempus diuiſerunt. Hanc autem partitionem ex vſu eſſe alij multi & Romani ipſi experientia comprobantes atq; vtentes oſtendunt: ſiquidem hæreditatem omnem, cũ teſtamentum condunt, in duodecim portiones diſtribuunt: & ponderum ac menſurarum, quibus in vita opus eſt, plurimas in duodecim partes diuidunt. tu vero ſi iubeas, tibi per methodũ horologium depinxero, ac deinde, ſiue in duodecim partes, ſiue in alium quempiam ſequentem numerum integrum diem partiri volueris: in illo profecto id, quod propoſueras, itidem factum eſſe comperies, quando & perforatorum vaſculorum menſuræ reſpondeat, & omnino inter ſe depicta horologia conſentiant, eo quòd vltimæ in ipſis lineæ diei fines concludant. ad hunc ſanè modum & vaſculi, quod græci clepſydram vocant, fabricam ratio methodo reſolutoria veſtigans inuenit, cuius iterum experimẽtum vel plebeijs hominibus euidens eſt: ſumma enim eius linea duodecimã horam ſignificans excelſiſſimũ locum habet, qua parte clepſydra longiſſimũ diem dimetitur: breuiſſimum vero, vbi linea breuiſſima eſt: inter vtranque media eſt, æquinoctium quæ declarat: ac deinceps quartã pertranſiens perinde omnes anni dies metieris: quod in medio intereſt vſq; ad æquinoctialia foramina in clepſydræ labris tibi prædictos quatuor dies ſignificabit: à quibus foraminibus poſt id, quod longiſſimũ diem ſignificat, inuenire ſcilicet incipiam, vſque ad quam partem altioris in clepſydra lineæ hora duodecima tranſacta aqua perueniat, poſt illa vero item tertia à duodecima conuerſione vnam illam in clepſydra lineam, quam celſiſſimam eſſe dixi, dimetientem reperies: quinetiam & alias lineas, quæcunq; excelſiſſima inferiores ſunt, alias horas metientes inuenies, quartã quidem à duodecima: omnibus autem anni diebus vndecimam horam ſignificant ſecundũ eius differentes partes, vt de ſuprema ante dictum eſt: ac deinceps quintam, aut ſextam horam ſecundũ diuerſas partes ſigni-

ficantem,atq; item ſequentem ſeptimam,octauam,aut nonam, ac reliquas vſque ad imam lineam horā primā inuenire in ſolaribus horologijs clepſydra iam aquæ plena tibi patefiet: quemadmodum & quarta & reliquæ vſque ad duodecimā inter ſe quidem æquales ſingulis quibuſque diebus apparent, ad alias autē aut præteritas aut futuras relatæ inæquales:deinde methodum hanc inueniens non cupiuiſti,heus tu, quid ſit cognoſcere? nónne tuam inanem ſcientiæ perſuaſionē percepiſti? qui propoſita hæc cum neſcias,non per anni ſpacium,aut,rectius vt dixerim,non in omni vita inuenire valeas: neq; enim hæc vnius hominis vita adinuenit,ſed paulatim linearum ſcientia prouecta eſt:primo quidem elementaribus ipſa præceptis ab aliquo veſtigatis:poſtea cum hæc inuenta ſunt, poſteris hominibus deinceps contemplationem illam ſummopere admirabilem, quam reſolutoriam nominari dixi,proponentibus, ſeſéq; in ipſa & alios,qui voluerint,quàm diutiſſime exercentibus:neq; tamen aliquod huiuſmodi manuarium opus,qualia hactenus de ſolaribus horologijs atq; clepſydris declarauimus,architectari potuerunt. At neque temerarij erant,neque arrogantes, qui huiuſmodi res indagabant,quales iſti,qui ſapientiam ſe quærere,aut inueniſſe gloriantur:illi autē veriſſimo ſeſe honore decorantes, facultatem, quam in anima optimam habebant, exercere,& ad finem perducere cupiebant, rationabilem ſcilicet dico, qua exercitata,& bonū habitum ſibi congruentem adepta longe maiores voluptates, quàm illi,qui corporis voluptatibus perfruuntur,accipiunt.nulla etenim alia quadam facultate ab hircis,vermibus,porcis, pecudibus,atq; aſinis diſtamus: neq; vlla alia contemplatio ingenui viri animū vehementius, quàm hæc reſolutoria facultas, oblectat,cū præſertim in ipſa quiſpiam magnos progreſſus fecerit: inter initia verò, quemadmodum & aliæ ferè omnes diſciplinæ, laborioſa eſt. quòd ſi nihil etiā delectationis afferret, cū tamen in rebus maximis nobis vſui futura ſit,in ipſa exerceri optimum fuerit:cū illud præcipuum(vt modò diximus)habeat,vt quantā voluptatē afferat,res per ipſam inuentæ declarent: quod in his,quæ à philoſophia indagata ſunt,neutiquam repertum eſt.quocirca eos,qui in ipſam petulantius garriunt,pudeat:neq; enim,vt qui horologium clepſydrámve haud recte deſignauerit,à re ipſa euidenter coarguitur, ſic & philoſophiæ præcepta euidenti examine refutātur: verum,vt quis voluerit, ei dicere licet, cum ſemel impudens abſq; rationali methodo ab ipſis rebus ſeſe edoceri affirmat. quòd ſi eos ſolos res vocem adeptæ allocutæ forent, haud ab re ſeſe iactarent ac gloriarentur: at cum res ſileant,neque nos,neque illos alloquantur,iam ſatis patet,ſolam,quæ in nobis eſt,rationabilem facultatem rerū naturam exploratum ire.res igitur inuenire potens id prius in rebus euidenter hoc teſtantibus demonſtrato, & methodum nobis dicito,cui omne problema reſolutorie ſubijciatur, ac verarum falſarúmq; rationum ſimilitudines depromens oſtendito rationi, cuius vitium deprehendere liceat, in rebus obſcuris non eſſe fidē habendam. omnia hæc homines recte dicta eſſe conſentiunt, præter iſtos temerarios & falſa doctrinæ perſuaſione inflatos,quibus ad veritatem via neque longa admodum eſt,neq; eiuſmodi, qualem Heſiodus ad virtutem eſſe cecinit,ſed breuis ac plana,aut potius nulla eſt. nempe ſi res ipſæ naturā ſuam omnes homines edocent,non decet in rationalibus methodis ſeſe exercentes,fruſtra operam & oleum perdere. nónne igitur ò maxime cunctos ſapientia excellere vobis perſuadentes,hoc ſaltem nobis alijs,qui nondum ſapientiam veſtram aſſecuri ſu-

mus,manifeste concesseritis,omnes homines oportere omnium rerum veritatem cognoscere,quandoquidem ipsarum natura seipsam patefacere abunde valeat.tergiuersantur iterum,cũ ita fuerint interrogati, non omnésq;,aiunt,à rebus edoceri. quinam igitur sunt isti,quos res ipsæ edoceant,nobis iterum percontantibus,se ipsos solos aiunt. quid enim aliud respondere queant, iactantiam,scilicet quam ab initio professi sunt,tueri constituentes? At profecto nos istis de se quicquid velint pronũtiantibus nequaquam credimus: cur enim proh dij immortales solis his res ipsæ naturã propriam declarauerint? num idcirco quia nihil ex primis disciplinis perceperunt? Sed hoc merum mendacium est: alij etenim pleriq; ne illas quidem vlla ex parte delibarunt. quòd si rationabilem animæ vim in disciplinis exercuissent,effectus id eos posse facere testaretur.atqui nòndũ eiusmodi contemplationẽ * attigerunt.dicent autem forsan,solos se perspicaces à natura creatos,atq; res acutissime cernere, quemadmodum Lynceus subterranea intuebatur. quid igitur,si adeo acri admirabiliq; ingenio sunt,in id genus propositis excutiendis,quorũ inuentio veridicos esse inuentores manifestat,planè ridiculi conspiciuntur? nullum enim eorũ isti vnquam inuenire potuerunt: quin & eorũ inuentoribus declarantibus ac edocentibus alij sanè discunt, isti vero soli & inexercitati, & ingenio tardi * percipere nequeunt:deinde me amici prouocant,vt an aliquis ex ipsis forte me intelligere possit,experiar. sed nullus ipsorũ,quod dixi,recitare valet. Quænam itaque cæcitas in proprijs dignoscendis vitijs hac istorũ ignoratione maior est? quòd vulgaribus hominibus sese rudiores cum videant ad ea percipienda memoriæque mandanda,quę ab arithmetica,geometria,architectonica,astronomiáque reperta sunt, postea philosophiæ abstrusissimos locos adeo facile exploratos sese habere censeant,vt res ipsas sese ostendere absq; demõstratione,rationalíq; methodo contendere audeant.porrò quòd sponte inrer se adulentur,neque veritati inueniendæ operam nauent,ex eo scire licet,quòd de re aliqua singuli inter suos tantum discipulos disserunt,omnésq; alios tanq̃ aberrantes calumniantur atq; vituperant:ego vero si in vnum eos locum cogere velim,id non ferunt, sed statim verecundiam prætexunt,neq; se coram hominum multitudine sermonem habere posse confirmant:nihilominus ipsorum alius viginri auditores habet,alius triginta,& nõnunquam plures, neque inter illos dicere erubescunt. verum ego si tres aut quatuor eorum sermonibus interesse voluerim,exempli causa platonicos quatuor,tres aut quatuor epicureos,totidem numero alios stoicos & peripateticos,ad hos tres academicos,aut vocatos scepticos, hoc est,consideratiuos, vt omnes ex philosophia viri vicenarium numerũ expleant,præterea vltra enumeratos si totidẽ adsint,qui rationalem potentiam in mathematicis exercuerint, sed philosophicos sermones ignorent: tunc nullus istorũ eiusmodi virorũ conspectum sustineat.quòd si nonnunquam ab hominibus nulli sectæ addictis, in dicendo autem exercitatis coacti eiusmodi hominũ cœtibus interesse non recusent,dum isti inter illos altercantur, suásque rationes conglomerant, multoties aliquis geometra superuenit, accesserunt & medicorum nonnulli,& alij quidam dicẽdi studiosi,& mathematicis disciplinis instructi,eas quidem,vt quæstũ facerent,exercentes,& nulli in philosophia sectæ inseruiẽtes.atq; tunc, vt mihi moris erat,ab ijs petij,vt istorum philosophorum rationes diiudicarent: tum eorũ quidam optime controuersiam sedari posse, inquit,si in id, quod mundum continere isti aiunt, vacuum profecti, experiantur

nunquid in eo poſitum corpus vna in ſede manere,an & ad alium quoque locum transferri aptum ſit.alijs quidem omnibus hæc dicta placuere,ſoli ipſi inter ſe,nobiſcúmq; rixari non deſtiterunt, probabiles rationes à neceſſarijs diſtinguere nequeuntes. poteſt enim corpus in vacuo vno loco manere, poteſt & non manere, neutra ſecta neceſſariam oſtenſionem habente. Sed iam mihi tempus aduenisse videtur,vt & ego aliquid in medium afferam,parum ſanè ſperans ab iſtis ſuam inanē ſcientiæ perſuaſionem relictum iri:neq; tamen id ipſum exiguum eſſe duxi,ipſam videlicet non intentatam relinquere.id igitur ab omnibus conceditur, omnē demonſtrationem ab euidentiſſimis inchoari: ſed illico primus ab ipſis ad ignota tranſitus ab academicis & conſideratiuis appellatis philoſophis non conceditur: inter nos vero id conuenit, (quod illorum ambiguitatē auget,)diuerſum ab euidentibus id eſſe, quod inuenimus. cum enim ex euidentibus aliqua intelligentiæ, aliqua ſenſui euidentia ſint: inter ſe nonnunquam hæc pugnare videntur, atque in primis hoc ipſum homine exercitato eget,hæc neutiquam inter ſe diſſidere oſtenſuro.ſecundum ab hoc maximum eſt, quæ euidenter clara ſunt, huiuſmodi eſſe cognoſcere: quidam enim temere, nondum clare apparentibus perinde,ac talia ſint,aſſentientes falluntur. ſed quid mireris inquies,id in rebus intellectui claris temerarijs hominibus accidere, id ipſum cernens & in ſingulorum ſenſuum actionibus quoſdam committere,cū ex longiore ſcilicet interuallo,quàm videndi requirat potentia,aliquem accedentem intuiti,exempli cauſa Dionem eſſe qui accedat, tanquam exacte conſpicati affirmant, atqui iſte propius accedens interdū non Dion,ſed Theon eſſe viſus eſt.itaque ſi procul & propè viſorum imago non differret,minime de his, quæ procul aſpiciuntur,inter ſe diſſidentes, neque redarguerent vnquam,neque redarguerentur:ſin alia vero eſt propè viſorum,alia non propè viſorum actio,vt illis,qui propius intuentur, notum eſt,haud iniuria nonnunquam decipiuntur. hoc igitur ante omnia memoriæ mandato, antequam & tu interdū nimis incōſiderate ad intellectui manifeſta pertranſeas:ne aliquod viſibile procul accedens equum eſſe verbi cauſa dixeris, quod propius cum fuerit, Theodorus eſſe cognoſcatur:aut potius te in omni vita ab huiuſmodi tam facili aſſenſu abſtineto,quem procidenriam & temeritatem nominant.mihi ſanè id tantum de me tibi dicere liceat,nullus me vnquam ita deceptum eſſe oſtendere poterit.ab adoleſcentiæ nanq; temporibus ita me ſemper aſſueſeci, vt ram in his, quæ ſenſui, quàm in his, quæ rationi manifeſta videntur, ab inconſulto & præcipiti aſſenſu cauerem:ad quæ rranſiens iam ribi iterum in memoriam reuocare hortaríq; decreui, vt nulli falſò fidem habeas, vt quoridie permultos amicorum alicui quæuis loquenti aſſentiri video:quòd ſi duo, tres, aut quatuor idem dixerint,non renituntur:ſed cum vni aſſenſi planè fuerint, idem tribus aut quatuor dicentibus temere aſſentiuntur: neq; illud perpendunt, vtrum iſtos omnes ex vna communi cauſa verum dicere,aut contrà ex vna communi cauſa mentiri liceat.ſatius igitur fuerit hic cunctari, quemadmodum & ego facere ſoleo, & ſi quàm maxime deriſorem me & incredulum amici mei temere aſſentientes nominant. igitur nōnulli ſunt, qui cum aliquem peregrè aduenisse de quopiam audiuerint,ſtatim mihi veniſſe hominem renunciant: ſed paulo poſt mendacij conuicti & à me reprehenſi, tanrum abeſt,vt in poſterum ſeſe cautiores præſtent, vt etiam ægre ferentes mihi iraſcantur,dicántque ſe non eſſe mendacij autores, ſed cuidam illud dicenti credi-

diſſe,eiúſque peccatum eſſe non ſuum,propriam in aſſentiendo inconſultā temeritatem conſiderare nolentes:nempe ſi,vt ego dicere conſueui,hominē hunc mihi hac de re hoc dixiſſe:hūc in modū & ipſi auditos ſermones æſtimarent,haud profecto deciperētur.nunc vero dum mēdacium referenti credētes falluntur,non illum modo,verū etiam ſe ipſos mēdaces eſſe demōſtrant:cum amicum peregrè in patriam rediſſe nō ex renūciantibus,ſed de ipſomet audire liceret.quandoquidē igitur huiuſmodi rebus ipſorū haud multo poſt mēdacium declarātibus, nō deſiſtunt tamen propenſe nimis fidem adhibere,quid in abſtruſis atq; reconditis ipſis accidere putandū ſit?quas percipere ſanè quàm difficile eſt:facilius quidem fuerit vnius rei ſemper meminiſſe, q̄ in eius exacta cognitione perſiſtere: difficillimum * autem idcirco fuerit,quoniam id ipſum facere pleriq; recuſant.mihi vero huiuſce præcipitis audaciæ cauſam quærēti omnia hæc ipſi agere,vt reliquos ingenio præcellere cenſerētur,viſi ſunt:celeriter enim quoduis aut ſenſu aut intelligētia conſequi laudabile eſt:quod ſolū iſti homines intuētes ſeſe vicino apprehēſionis celeritate meliores probaturos eſſe cōfidūt,cū tamē ignorātiæ potius celeritatē oſtēdant.hęc itaq; à me generatim aduerſus omnes temere aliquid pronūciātes inuēta dicere volui. Cæterū ad iſtos rurſum philoſophos reuertamur,qui incōſiderate de corporibus in vacuo ſtantibus,aut deſcēdentibus ſermocinātur. Architectus namque ita nō affirmaſſet prius, quàm in ipſum mundi vacuum egreſſus rem experientia comprobaſſet, atque vnumquodque in vacuo poſitum corpus aut eūdem locum obtinere,aut in alium transmutari apertiſſime conſpexiſſet:eiuſmodi namque ad oſtenſiones conſtituēdas principijs euidentibus,ac ſine controuerſia ab omnibus conceſſis ipſos vti cognouimus: at vos philoſophantes,quorum nullam certam notitiam habetis, ea quàm clariſſime dignoſci poſſe contēditis. Proxime duos altercantes philoſophos audiui, alteri enim eorum aqua lignis grauior eſſe videbatur, contra alter ligna grauiora eſſe defendebat, vterq; autem ſúſque déq; longas tationes conuoluens afferebat. caput præcipuúmq; alterius philoſophi argumētum erat,conſtrictam denſámq; ſubſtātiam grauiorem eſſe, quocirca ligna quàm aqua,grauiora eſſent.alterius ratio potiſſima fuit,aquę minus vacui q̄ lignis ineſſe,ideo ipſam quoq; grauiorē eſſe debere. hæc vero dicebant prolixis ſermonibus nō demōſtratiuis ſentētiam ſuam roborātes, tāquā ipſis rem ſenſu diiudicare (quemadmodū & nos facere nouiſti)nō liceret.ſed ipſum philoſophi adhuc dicere volētem interrogauerunt,quis nam eſſet modus,per quem euidēter apprehendi poſſet,vtrum ipſorum grauius eſſet.neq; enim in lancibus id fieri poſſe dicebāt, quemadmodum neq; ex vaſe pleno.etenim expēdere lignum poſſumus,nō tamen vas aliquod ipſo replere: quod rurſum aqua implere valemus. hæc igitur iſtis(vt ſoliti ſunt) garrientibus ridens architectus inquit, nimirum vos omnes opinione ſapientiæ imbuti eiuſmodi ſemper eſtis, quæ extra mūdum ſunt,de quibus coniectura notitiam accipere ſolum contigit, ſcientificè autem comprehendi nequeūt, cognoſcere vobis perſuadētes:hæc autem, quæ ad manū ſunt,vel imperitis hominibus interdum patentia penitus ignorantes,quemadmodum & id ipſum in præſentia propoſitum aquæ ſcilicet ac ligni pondus exquirere. omnibus igitur, qui ibi aderant,architectum rogantibus, vt quo pacto ligni & aquæ grauitas inter ſe cōparari diiudicaríq; poſſent,edocerent,ipſe quidē breui & aperte, vt omnes, præter ſolos philoſophos, intelligerent,explanauit:ab illis vero bis & ter eūdē ſermo-

nem repetere coactus est, vixq; tandem sic rem apprehendere potuerunt. quocirca iure, inquit architectus, permulti nihil istis præter inanem scientiæ persuasionem inesse prædicant: stulti nanq; & ingenio hebetes in rebus omnibus obscuris & reconditis conuincuntur: at isti vano sapientiæ nomine prædití in notis & apertissimis hærent atq; hallucinantur. tunc ego hæc eius sermoni subijciens haud iniuria id ipsis accidere, dixi, quandoquidem, vt à per se notis ad ignota transeundum sit, nũquam discere laborarunt, neque in illis sese rebus exercere, quæ recte inuenientium veritatem comprobare, non inuenientium autem errorẽ coarguere queant. cæterum, vt rideatis, inquit, istorúmq; fastus quantus sit, cognoscatis, vnum aut duo ex ijs, quæ huiusmodi homines supercilia contrahentes inconsiderate profe- runt, recitare decreui, primúmq; illud præcipue dixero. posteaquam peripateticus quidam philosophus accessit vnicum esse mundum asserens, eúmq; plenum, extra quem nullum esset vacuum, quemadmodum neq; intus: duplici differentia, dixi, ab hoc philosopho vterque istorum discrepat, ostendi autem stoicum philosophum, & epicureum: stoicus enim in mundo quidem nihil vacui, sed extra mundum vacuum esse locum asserebat: ambo hæc epicureus concedens in alio quodam ab ipso dissentiebat. neque enim vnum esse mundum, quemadmodum stoicus in hoc sanè peripateticis assentiens, opinatur: sed quemadmodum vacuum magnitudine infinitum, ita & mundos in ipso multitudine infinitos esse contendit. Ego vero, quæ isti tres suis somnijs patrocinari volentes dicerent, audiui, ipsósque nulla ratione ostensoria, sed probabili & coniectrice muniri exactissime co-
* gnoui: interdum vero neq; sese, quòd mentiantur, animaduertere: cum eos singulos, vt in hoc idem propositum aliquam demonstrationem afferrent, prouocare-
* mus. hoc modo itaque ea, quæ in libris ipsorum scripta esse nouimus, differebant: omnibus autem præsentibus clarissime nullus ipsorum rationem necessariam, aut linearum demonstrationi consimilem, sed ex argumentatiunculis, quibus rhetores vti solent, compositam afferre visus est. sed hactenus de diuitibus sermo habitus est. Ad nos igitur ipsos, quicunque diuites non sumus, reuertamur: iterúmq; aliquem ex sapientibus percunctemur: num æquum sit seipsos solos veritatem cognoscentes prædicare ab omnibus alijs tum imperitis, tum philosophis damnatos. illud nãque grauissimum est, (dicebam) singulos videlicet philosophos extra proprium gregem à nullo alio laudari. quem igitur alium præter omnes philosophos iudicem, quàm ipsa sensibus euidentia expectabunt? aut ex omnibus rationalibus artibus arithmeticos, ratiocinatores, geometras, astronomos, architectos, iurisconsultos, rhetores, grammaticos, musicos: etenim qui se ipsum iudicat atque coronat, aliorum iudicum si expectet sententiam, omnibus suffragijs condemnabitur. Hæc in præsentia de vitijs abunde dicta sunto.

Claudij Galeni Pergameni De cuiusque animi peccatorum notitia atq; medela libelli finis, Iunio Paulo Crasso Patauino interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE ASSVETVDINIBVS LIBER, NICOLAO REGIO CALABRO INTERPRETE.



Vratiuarum intētionum vnam ab assuetudinibus existimantibus existere non solum optimis medicis, sed & omnibus hominibus: quidā omnibus bonis æmulantium conantur ei detrahere, interrogantes nos propter quid nocitus quis secundum primum vsum ab ouinarum carnium esu, coactus iam secundum vnam quanq; diem comedere eas per totum mensem, nihil amplius nocebitur, vel insuetis minus: deinde quodcunque vtiq; dicamus, euertentes sermonem, æstimant simul cum hoc & rei essentiam interemisse: quemadmodum siquis vniuersis contradicens eis, quæ de modo, quo videmus, opinionibus, neq; videre nos cōcedet. Quoniam igitur maxima pars ad sanationum inuentionem ea, quæ ab assuetudinibus est, euidēter apparet: & propter hoc quidem Hippocrates in aphorismo scripsit quadragesimo nono secundæ particulæ. Assueti assuetos labores ferre, & si fuerint imbecilles aut senes, insuetis & fortibus iuuenibus facilius ferūnt. Amplius autem pertransijt in libro De diæta acutorum ea, quæ ex insueta nocumenta, & ea, quæ ex assuetiori. Erasistratus autem eodem modo in secundo De paralysi de omnibus assuetudinibus, similiter Hippocrati videtur cognoscens: & adhuc cum his veterum medicorum non est, qui non confessam & incontradicibilem causam dixisse videatur. Etenim qui causam suasibilem videntur inuenisse secundū materiam, alij vnam, alij aliam inuenerunt. Quidam enim in cibis solum, alij vero in exercitijs vel adinuentionibus, in omnibus autem materijs nullus. Quocirca & de frigidatione, quam in acutis ægritudinibus facimus, multoties contra operantur nobis aliqui, prohibentes quidem dari febrientibus, iubentes autem nos contētos esse eis indicationibus, quas à patientibus particulis, vel locis, & ea, quæ in eis dispositione, ætateq;, & regione, & hora, adhuc autem ipsius laborantis crasi, & virtute assueuimus sumere: ridiculosum esse dicentes, si phlegminante hepate, ventre, vel aliqua ita præcipuarum particularum concesserimus, frigidi potatori frigidum afferre potū, propter nil aliud quàm propter assuetudinem. Similiter enim hoc esse aiunt huic, scilicet concedere balneari frigida ita assuetos etsi febriant: tanquam vtique nobis omnibus qualitercunq; ægrotantibus assueta agere concedentibus: sed * non cū omnibus alijs intentionibus, & eam, quæ ab assuetudine assumentibus. Ari. deniq; Militinensis vir primatum tenens in peripatetica theoria, ægritudinem incidens à frigidi potatione iuuari potentem, propter id, quòd nunq̄ huiusmodi attulit potū, prohibuit consulentes bibere, scire aperte aiens, quoniam spasmabitur gustans frigidum. Etenim in alio hoc dicebat vidisse, corporis habitu in complexione simili sibi, & calidi potationis consuetudinē habente. Si vero esset ei consuetudo quemadmodum alijs potationis huiusmodi, maxime quidem neque ipse timeret eius oblationem. Hic vero & hæc passus est. Coëgerunt enim vtique assistentes medici omnino eum. Ille quidem ita mortuus est vt didici. Interrogantibus vero me ad-

* aliàs nunc

uenientibus ei morienti, vtrum ſicut in alijs vſus fui, his quidem per totam ægritudinem, his vero in aliquo tempore dare frigidum veтentibus medicis, ita vtiq; auſus fuiſſem facere & in illo, vel bene conſideraũit ſui ipſius complexionem homo: Reſpondi eis recte eum conſideraũiſſe: valde enim erat gracilis: & os ventris frigidiſſimum habebat à principio, vt ſingultuaret confeſtim, ſi quandoque breuiter infrigidaretur. Sed quemadmodum hic nõ vtique ſuſtineret frigidi potũ propter diſſuetudinem, & corporis naturam, & nimirũ ægritudine indicante: ita alijs dedi valde audens, ſi caſus certus febris fuerit nullo apparente viſcere phlegmінante. Non valde autem audax ſolum, ſed etiam prædicendo proprijs laborantis ſiquidem nõ biberit, mori omnino hominem: ſi autem biberit, plurimas ſpes habere ſalutis: ita dedi, & cũ deo dicendo omnes liberati ſunt, qui ceperunt. Quocirca diuturna experientia approbato auxilio, ad cauſæ inquiſitionem eundum eſt: rememorantes prius eorũ, quę ſcripſerunt Hippocrates quidem in libro De diæta acutorum: Eraſiſtratus autem in libro De paralyſi. Igitur Hippocratis quidem ſeries ita habet. At vero bene diſcibile eſt vſque, neq; bis coquere cibaria. Deinde infra adijciens qualiter vtique quis nocumentum horum ſanet copulans, rurſus de tranſgredientibus aſſuetudinem ita ſcribit. Adhuc autem magis vtique laborabit hic talis vſque. Si vero quis multo tempore euacuationem vaſorũ paſſus repente cœnauerit, adhuc magis vtique grauabitur. Poſt hoc rurſus Hippocrates quemadmodum & ante, correctiones quaſdam fientis nocumenti in eis, qui præter conſuetudinem euacuationẽ vaſorũ paſſi ſunt ſcribens, deinceps rurſus ita ait. Multa vero fraterna his de ventre & alia dicet vſque, neq; illud poſſe repẽte alterata. Ab Hippocrate quidẽ igitur ſufficiunt, quę vſq; huc ſcripta ſunt, exẽpla virtutis aſſuetudinũ: Eraſiſtratus autẽ in ſecundo De paralyſi ita qualiter ſcripſit. Oportet autẽ valde multã cõſiderationẽ facere de aſſuetudine & diſſuetudine debentẽ ſecundũ modum mederi, vſq; ſi debet in nõ multis eorũ, quę ſecundũ medicinã claudicare. Hæc quidem glorioſiſſimi medicorũ Eraſiſtratus & Hippocrates dixerunt de virtute aſſuetudinum, nõ rationi intentionẽ eorum attribuentes, ſed ex aperte apparentibus docti. Quemadmodum quippe & alios homines, quicunq; non ſicut ſues vel aſini viuunt, ſed aſſequuntur à quibus iuuantur & nocentur, licet audire quotidie dicentes aſſuetos eſſe circa hũc cibum & hunc potũ, & propter hoc nõ poſſe relinquere eos, etenim nocentur ſecundũ tranſitus. Similiter autem & de adinuentionibus aiũt, puta in balneatione, equitatione, venatione, curſu, lucta, vigilijs, ſolaribus, ſtationibus, infrigidationibus, ſolicitudinibus, & quibuſcũq; alijs huiuſmodi. Contẽnentes igitur & nos eos, qui nihil vel valde parũ æſtimant ad curationẽ cõferre eã, quæ ab aſſuetudinibus intentionẽ, ſcrutemur, quæ eſt cauſa, quòd multum poteſt aſſuetudo, & ſiue vna quædã eſt, vel ſecundũ ſingulam materiam alia. Dicò autẽ materiam, in qua cõſtituta eſt aſſuetudo, puta vt dixi cibos, vel potus, vel exercitia, vel balnea, vel aliquod aliud tale. Et principiũ ab eis, quæ comeduntur & bibũtur faciamus. Cur igitur eorũ, qui bouinarũ carnium eſu aſſuete vtuntur, quidã quidem nõ omnino nocentur, quidã autem minus quàm ante? vel propter quid & naturaliter mox, vt ipſe Eraſiſtratus ſcripſit, facilius digerunt bouinas carnes ſaxatilibus piſcibus? Sed horum cauſa quidem dicta eſt ſecundũ eam, quæ de naturalibus virtutibus operam. Dicetur autem nunc & parum poſt in ſermonis communione. Nunc autem ab eis, qui propter aſſuetudinem melius dige-

runt quencunq; cibum,doctrinã faciamus,communem ſuppoſitionem faciẽtes ad hæc omnia & ea,quæ naturaliter quibuſdã ſunt propria,& quæ nõ propria. Dictũ eſt quidem deinde amplius de omnibus his ſecũdum naturalium virtutum * operam. (* al.conſiderationem) Incipiamus autem & nunc ſermonem,digeſtionis intelligentiam proponentes.Quemadmodum enim panes frumentarij dicuntur coquere,nõ quando molentes & diuidentes in tenues particulas cõminuerunt frumenta,ſed tamen quando ſuper hæc hoc madefacientes aqua, & fermẽto miſcentes,deinde cooperientes aliquo fouentium dimiſerint,donec vtiq;,vt ipſi vocant,fermentetur, & poſt hæc per clibanum aſſent:Ita & in eis,quæ in ventre tranſglutiuntur,nõ quando in eum tranſglutita fuerint,digeſta eſſe aimus,ſed quãdo,ſicut quæ coquuntur frumẽta, ſecundum qualitatem tranſmutationẽ habuerint. Quemadmodũ autem in panibus in propriam nobis comedentibus duci oportet qualitatẽ id quod * comeditur (* al.coquitur) triticum:Ita in ventre:adhuc & magis in propriorem.nomino autem propriorem alteram altera,ſecundũ ſimilitudinem futuri ex ea nutriti corporis.aliud enim alij corpori nutrimentum proprium eſt, & propter hoc animalia ad propria veniunt nutrimẽta indocte à natura ducta:ſubiugalia quidem ad herbas,paleam,fœnum, & hordeum,leones vero ad carnes,ſicut demũ & leopardi & lupi. Quemadmodũ autem in animalibus ſecundũ genus non parua differentia propriorũ vnicuiq; nutrimentorum eſt : Ita & ſecundum ſpeciem in generibus inueniuntur differentiæ magnæ:his quidem neq; guſtare potẽtibus vinum,q̃ multũ autem alijs intriſtanter bibentibus: & his quidem, vt dictum eſt, boum & hircorũ & arietum carnes cum delectatione quidem comedentibus,digerentibus autem intriſtantet:his vero neq; odorem eorum ſuſtinentibus, neque eſum.& ſi propter inopias cibi alius, quemadmodum in fame fit,coegerint ſeipſos aſſumere huiuſmodi carnes,neq; digerere potentibus eas ſine nocumento,euerſis appetitibus in oblatione,grauatiſq; confeſtim,& ſi vtiq; eructuatio eis fiat,neq; hanc intriſtanter tolerantibus. Quoniam autem hæc ita habere videntur, primum quidem illius oportet memorari, ſcilicet afferre homines delectabilius alijs alia ſecũdũ familiaritatẽ naturę,veniréq; ad horum eſum magis , queẽadmodũ & bene digeſtibilium eſſe eis viſorũ,auertere autẽ & fugere ab indelectabilibus,vt à diſdigeſtibilibus. Itaq; & ſignum eſt tunc aſſuetudo proprietatis naturalis.Quoniam autẽ & vt cauſa fit multoties,manifeſtum eſt ex diſpoſitis quidem indelectabiliter,vel cum nocumento ab aliquibus in principio.Si autem paulatim eam,quæ ad ipſa aſſuetudinem ſuſtineant,neque indelectabiliter adhuc diſpoſitis,neque cũ nocumento.Cauſa autẽ & huiuſmodi talis quædam eſt,quemadmodũ alteratur ſecundũ qualitatem comeſtorũ & bibitorum ſingulum,ita & id diſponit aliqualiter id,quod alterat.Ineſt autem & huiuſmodi ſumere argumentũ ex generatorũ humorum differentia ab vnoquoq; ciborum.Hij quidẽ enim melancholicum humorẽ generant:illi vero phlegmaticum, vel choleram, & xantham nominatam choleram nõ modicam habentem: quemadmodum aliqui purũ ſanguinẽ.Diuerſitatem igitur & in eis,quæ nutriũtur,particulis , quandam neceſſarium eſt fieri adinuicem ſecundum nutrientis ſanguinis ſpeciem.Euidens autẽ argumentũ nutrientium aſſimilationis ad nutritũ plantarũ eſt & ſeminum tranſmutatio vſq; in tantũ fiens multoties , vt quæ nociuiſſima in alia terra replantata, in alia vtiq; non innociua ſolum , ſed & proficua fiat. Multa enim eſt & horũ experientia eis,qui agriculturalia & de plantis monumenta com-

poſuerunt: quemadmodũ demum & ipſis,qui de animalium hiſtorijs ſcripſerunt, eius,quæ ſecundum regiones fit,tranſmutationis.Quoniam igitur nõ ſolum alteratur,quod nutrit,ab eo,quod nutritur,ſed id aliqualiter alterat breui quadã alteratione : neceſſarium eſt breuem hanc digna ratione in tẽpore fieri,vt inæqualitatem accedat proprietatis naturalis ea,quæ à diuturnis aſſuetudinibus.Igitur in eis quidẽ,quæ comeduntur & bibuntur,inuẽta mihi eſſe videtur cauſa virtutis aſſuerudinũ. De ea vero,quæ extrorſum nobis occurrentiũ,videamus deinceps:videtur enim & ipſa eandem ſecundũ genus habere cauſam prædictis. Alreratione igitur aliquam operantur ſecundum corpus: maxime quidẽ earũ,quæ in ſuperficie particularum:iam autem & earum,quæ in profundo poſt exteriores:impilatur quidẽ enim,& colligitur,& ſtringitur,& denſatur cutis,primum quidem ab infrigidantibus,deinceps autem & huic proxima:& ſi vtiq; in tẽpore ampliori eandem alterationem patiatur corpus,& eis,quæ in profundo communio tranſmutationis fit. Et ſecundũ principia vel per ſenſum confeſtim,vel ſecundum accidens nõ primo, quæ ab efficiente cauſa tranſmutatio & alteratio non minus eis,quæ in profundo incidit. Denſata enim cute aceruatur ſecũdum corporis totius profunditatẽ caliditas.Quemadmodũ autem infrigidans cauſa prædictas alterationes operatur:ſecundum eandem rationẽ contrarias earum calefaciens.Etenim & natura habent à contrarijs fieri contraria : hæc quidem primo:illa vero ſecundũ accidens effecta à contrariantibus : quemadmodum demum rurſus contraria mulroties ab eiſdem cauſis fiunt. Quocirca & in calefacientibus ſimiliter decipi accidit. Calida deniq; cauſa puta ſol,quando inhæſerit alicui corpori diu,contrariam diſpoſitionẽ ei,quę à principio,operatur circa illud:in principio quidẽ enim æſtuans nos,fundit quidem humores,deprimit aurem cutim, & molliorẽ operatur carnem. Si vero pluribus diebus tempore æſtatis in eo conuerſatus fuerit quis nudus,arida quidem & dura huic fir cutis,duræ vero carnes.Sed in his talibus quidem nõ ſolius diuturnæ caliditatis eſt opus,ſed copularæ ei ſiccitatis.Et plurimũ nos in cogitationibus de cauſis decipit hoc,ſpreta ea,quæ ſuperplectitur cauſa.Oportet quidem nos conſiderare alreram quidem eſſe humidam caliditatem,alteram vero ſiccam:quod non facimus interdum:& propter hoc fallimur,proprium actum vniuſcuiuſq; cauſarũ prætermittẽtes. Si vero quis aduerterit menre,ſciet cuſtodientẽ alrerutra.Quemadmodum enim humidiras quidem ſine caliditate vel frigiditate notabili humecter corpora calidirate calefaciente:ita & conuẽtus alterutrorũ alrerutra apparet efficiens.Igitur quidem ſecundum dulcium aquarum balnea accidit hæc,ſecundũ vero ſolis æſtuationes ſicca cauſa ſuperplectitur calefacienti.talis enim eſt æſtiualis ſol.Itaq; conuenienter quicunq; nudi plurimũ in eo conuerſantur,quemadmodum meſſores & nautæ, dura & ſicca eorum fit cutis, ſimiliter ei,quæ ſolidorum animalium.Quemadmodum igitur naturales corporũ proprietares & totius ſubſtantiæ, diuerſitatéſque cutis ſecundũ duritiem & mollitiem,& denſitatem & raritatem,diuerſis cibis & potibus indigent,non ſimiliter autem ſibi inuicem omnibus diſponentur calefactæ & infrigidatæ:Ita quæ propter aſſuetudinem fiunt naruralibus proximæ,idem illis retinent iuuamentum & nocumentum ex comeſtorum & bibitorum,infrigidantiúmq; & calefacientium alteratione.Rarum quidem enim & molle corpus facile patitur calefactum & infrigidatum : denſum autem & durum tolerat quidem & ſpernit extrorſum ei incidentia omnia,non ſolum ſi

calefaciant vel infrigident,sed & si durum quid fuerit & asperũ.Quocirca & imas cubariones rolerant hæc:econtrario dispositis non rolerantibus eas.Erenim facile cõprimunrur,& infrigidantur, & omne quodcunq; pararè pariunrur. Talis quidẽ deniq; est & qui de his sermo. Qui vero de exercitijs ralis. Quæ exercitantur particulę corporis,fortiores simul & solidiores fiunt,& secũdũ hoc possunt ferre proprios motus alijs melius, quæcũq; propter inexercitationẽ molliores sunt & imbecilliores.Cõmunis autẽ hic sermo extitit & de animæ exercitijs,quibus exercitamur. Primũ à grãmaticis infantes entes,deinde à rhetoricis didascalis,arithmeticisque,& geometricis,& rationalibus. Entibus enim virtutibus secundũ animæ hegemonicon ad vniuersas artes necessarijs,altera quidem,secundũ quam sequens & repugnans cognoscimus, alrera autẽ secundum quam memoramur:sapientiores quidem secundum prius dictam, memoratiuiores vero secundum secũdam fimus:naturam habentibus vniuersis virtutibus, ab exercitijs augeri & robur accipere,noceri vero ab ocio. Quemadmodum & Plato secũdum hanc seriem in Timæo significauit ipsis nominibus dicens ita. Quemadmodum dixi pluries, quoniam tres animæ in nobis species habitant proprios singulæ motus habentes, ita etiam & nunc vt per breuissima dicendũ,quoniam quæ quidem earum in ocio est degens,& suiipsius motum in quietem ducens,imbecillissima necessario fit. Eam vero,quæ & exercitijs est robustior,custodiẽdũ quatinus vtiq; habeat motus adinuicem commensuratos.Hæc prædicens deinceps ait.Hoc autem deniq; de principalissima eius,quæ apud nos animæ specie intelligere oportet hic,vt vtiq; eam dæmonem,id est angelicam intelligentiam deus cuiq; dedit:hanc denique aimus habitare,quod nostrum in summo corporis, vt ad eam,quæ in cælo cognationem à terra nos eleuet,& rãquam entes nos plantam nõ terrenam, sed cælestem rectissime dicentes:illinc enim,vnde est prima animæ generatio,processit diuinum,& caput & radicem nostram extollens erexir vniuersum corpus.Ei quidem igitur,qui circa voluptates,vel circa lites conuersatur,& his intendenti,fallacia omnia dogmata necesse est & mortalia fieri,& omnifariam,inquanrũ maxime possibile mortali fieri huic,neq; minimum dicere vtpote tanrum aucto. Ei vero,qui circa mentes dilectionis disciplinæ studet, & maxime eorũ,quæ sui ipsius exercitatur,sapere quidem immortalia & diuina , siquidem veritati adhæret,necesse omni inquantũ contingit participare humanam naturã immortalitatem nullam partem deficere, vtpote aut semper famulantem diuino habentẽ,aut ipsum semper perornatũ dæmonem cohabitantem sibi præferentem dæmonẽ esse. Administratio vero omnis omni vna proprios vnicuiq; cibos & motus reddens. In his sermonibus Plato de tribus speciebus animæ docuit nos nõ solum ad philosophiam vtile,sed & ad corporis sanitatem, secutus Hippocratem secũdum hoc vniuersaliter quidẽ dicentẽ. Vsus potentat,ocium liquefacit : secundum speciem autem de exercitijs,dicendo tex. vlt. iiij. Epide. Labores cibos præcedant : de eis vero,quæ secundum partem omnibus speciebus quando ait. Labores, cibi, potus, venerea, omnia mensurata. Quocirca & hic oportet attendere mente ad ea,quæ dicuntur:habent enim quandam obauditionem,similiter alijs sermonibus omnibus siquis negligerer audiat, quemadmodũ quidam : exercirari enim vnumquenq; eorũ,qui sunt,exposcimus, nõ vtiq; sine terminis & mensuris congruis,amplius intẽdentẽ exercitia vt dissoluatur virtus.Ita autem & cibis & potibus & vigilijs & venereis in congrua men-

sura vti, neq; minuentẽ quidẽ, neq; addentẽ. Superexcellentiæ enim dissoluunt virtutes: defectus vero in vnoquoq; prohibent tantũ à perfecta vtilitate, quantũ ipsi à cõmẽsuratione deficiunt. Enunciatũ est autẽ hoc & ab Hippocrate, in vno exemplo, vbi ait, aphorismo quadragesimo octauo secundæ particulæ, In exercitijs omnibus quãdo incœperint laborare, mox quiescere, illaboriosũ. Et aliqualiter sermo iam secundũ familiaritatẽ rerum docuit, quid & de animæ assuetudinibus in memorijs, & cogitationibus, & quæstionibus rationalibus, quarum & ipse Erasistratus meminit in sermone De assuetudinibus nõ adijciens causam: & nimirũ non solũ Hippocrate, sed & Platone dicẽte eã. Hæc nãq; scilicet in familiaribus & cõmensuratis exercitijs singula virtutũ agente robur eis efficit. Hæ quidem sunt differentiæ assuetudinũ, secundũ virtutẽ materierũ in quibus consistunt, & à quibus fiunt. Cum autẽ ab Erasistrato & de euacuationibus quæsitũ sit, quid fiendum sit de corpore dicente: Cũ assueti fuerint quidã in eis, & de his scrutandũ. Scimus enim quosdã ex naribus fluxum sanguinis patientes, vel secundũ periodos æquales temporũ, vel inordinate, vel hæmorrhoidas, vel vomitibus, vel diarrhœis, vel choleris captos: quosdã autẽ sponte effundentes vel per phlebotomiam, vel per apertionem earũ, quæ in sphyris, vel per palatũ, quemadmodũ demũ & per purgantia pharmaca vomitiua & subductiua, de quibus etiã ipsis scrutari oportet. Mihi autẽ nõ videtur corpora propter cõsuetudinẽ indigere huiusmodi euacuationibus. Sed ptopter quam causam indiguerunt * huiusmodi euacuatione vel natura operante eam, vel aliquo homine secundũ æstimationẽ medicinalẽ, ita rursus & pluries indigere ipsa in * eadẽ. Quidam enim in prauis diætationibus, quidã autem propter præparationẽ prauam corporis aceruãtes sanguinis multitudinẽ, vel cacochymiam, à prædictis euacuationibus iuuãtur: natura vel aliquo medico, quod superfluũ, effundẽte anteq̃ ægrotet homo. Quibusdam autẽ ægrotãtibus, crisi in huiusmodi excretionibus ægritudinis sanatio facta est. Quidam autẽ à medicis curati sunt similibus auxilijs vsi, deinde post capti simili ægritudine, curatiq; per eadem, si vtiq; aliquando rursus eis vel totius corporis grauitas, vel capitis solius inæqualitas aliqua, vel & quid eorũ quę prętér naturã aliud super appareat, cõmunicãtes medicis propter ipsam dubitare aiũt capi eisdẽ ęgritudinibus quibus ante capti fuerũt, præcedentibus similibus symptomatibus: deinde anticipãtes vel per purgationẽ aliquam, vel per sanguinis ablationẽ effugere expectatam ægritudinem, paratius ad idem accedunt auxilium, cũ senserint aliquod simile symptoma post aliquãdo incidens eis. Quidam autẽ & anteq̃ sentiant, terminũ præuidentes tẽporis secundũ quod indeterminata periodo taliũ passi sunt quid, euacuari anticipant: nominántq; præseruatiuã euacuationẽ in assuetudine factam eis: nec vllam * alterationem corporis ex huiusmodi euacuationibus accipientes, qualẽ monstrati sunt accipere in antedictis: sed ab eadẽ causa eadem patientes. Si igitur mutauerint diætam, paucioribus cibis vtentes, addentes autẽ exercitijs: inægrotabiles perdurant ex assuetudinum * alteratione iuuati, non quemadmodum dicti prius nociti. Non enim assuetudinis ratione per euacuationes contingebat iuuari eos, sed in praua diæta cacochymiam & multitudinem aceruantes.

Marginal notes: * al. prima — * al. eisdem — * al. subalitationem — * al. subalitatione

Claudij Galeni Pergameni De assuetudinibus libri finis, Nicolao Regio Calabro interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI ARS TVENDAE SANITATIS NVM AD MEDICINALEM ARTEM SPECTET AN AD EXERCITATORIAM liber ad Thrasybulũ, Iunio Paulo Crasso Patauino interprete.



On alia ò Thrasybule de proposita à te quæstione ex tempore disserui, alia vero in præsentia hisce commentarijs traditurus sum: id enim prorsus haud ignoras, me semper eadem de eisdem asserere, neque quicquam tractandum suscipere, cuius neque methodum didicerim, neque in ea me aliquandiu exercuerim. Inuentionis igitur initium non in hac sola nunc proposita contemplatione, sed etiam in alijs omnibus fuerit, ante cognoscere, quidnam est id, quod quæritur: huiusmodi vero notitia gemina est. aut enim solam rei notionem, aut essentiam quoque percipimus: sed quo hæ discrimine separētur, ampliter in libro De demonstratione proditum est, vbi & alias omnes methodos explicauimus.: quin & iam in præsentia ex ipso vsu patescet. Hoc enim in dubium reuocato, vtrum medicæ artis, an exercitatricis pars, ea facultas sit, quæ salubris vocata est, téque meam iccirco hac de re sententiam efflagitante, cum plerunque ad medicos gymnastásque de hoc ambigentes te accessisse diceres, te mihi prius respondere dignum censui, quàm cuiusque istorum nominum medicinæ videlicet, exercitatoriæ, & salubris notionem habeas, ne forte de alijs rebus tu narrationem cupias, ego de alijs tibi sermonem faciam, atque ita ad nomen tantum, non ad rem ipsam nostra digeratur oratio. tu quidem ad hoc subiicuisti, me existimans de omnibus omnia dicere debere: sed non ita rei veritas habet. multa enim sic non vnum proposuisses: primum quid est medicina, secundo, quid exercitatoria, tertio, post hæc, quid salutaris facultas, aut & id ipsum, quod potissimum quæritur, ad vtram prædictarum artium ista pertineat. atqui istud ipsum quartum non ita simpliciter debere proponi affirmabam, ad vtram duarum artium reduci deberet, sed ita statim addendo, an propria, an domestica, an pars esset, aut quomodocunque aliter quispiam dicere velit: futurum enim & inde aliquod inueniēdi quęsiti principiũ. nanq; si ita perfecte proponatur, ac per Iouem interrogetur: nunquid ad medicinā an ad gymnasticā pertinet salubris: cum trium quoq; illorum nominum significatum exposuerimus, medicinæ videlicet, gymnasticæ, & salubris: post hæc etiam quartũ explicare oportebit, domesticũ quid significet, & quæ sit eius dignoscendi ratio: sed hoc propriũ quidē ipsius propositi est: at medicina quid sit declarare, quid gymnastica, quid salubris, nō est ipsius propositi propriũ. in his tamē cōuenire necesse est: quare cum vnum id, quod & tu proposueras, explicare tunc velles, cúmq; te in respōdendo trepidantē hæsitantémq; viderem, virum quendā inter philosophos in rationali speculatione versatos non ignobilem sermonibus nostris fortuito occurrentem respondere volui, quod ille cũ prompte fecisset, & ad omnia probe respondisset, facile (vt nosti) proposita quæstio enucleata fuit. Atq; tunc confestim ex sermonum illorum artificio, & quòd expectatione celerius quæsitum inuentũ sit, magnam te voluptatē

percepisse cognoui: & postea tu me semper magnopere precatus tandem nō admodum promptum ad hos sermones scribēdos impulisti atq; coēgisti:neq; enim vnum id propositum tantummodo exquisite discussum literis commendandum esse putabam,reliqua vero omnia perinde examinare tempus nō supererat.Quam ob rem quod ipse in me ipso facere consueui,id satis erga vos amicos fore putaui: si viam ostēderem: quam quis ingrediens nō id solum, sed etiam reliqua omnia proposita explicare valeat.Vocatā enim à philosophis rationalem contemplationem quicūq; satis diligēter tractauerit, quodlibet iste quæsitū æque discutere poterit:at sine illa propositorū commētarios euoluere,nihil aliud est, quàm operam atq; oleum perdere,cū neq; distinguere sciat,quæ vere in ipsis,quę falsò dicta sunt, neq; omnia inibi scripta memoria cōplecti valeat. cæterū quoniam semel propositum, cuius paulò ante mentionem fecit oratio,declarare aggressus sum,iam incipiendi tempus aduenit.Siquis à quopiam interrogatus,quid sit medicina,artem eam esse ægrorū curatricem, sanorúmq; conseruatricem respōdeat,nónne per Iouem iste,quod controuersum est tanq̄ manifestū accepisse videatur,medicinæ partem,salubrem esse pronūcians?quemadmodum è contrario siquis medicinam laborantium tantū curam habere confirmet,alio modo & iste id,quod in quæstione versatur,pro concesso accipiet, à medicina salubrem abstrahens:ita & exercitatoriam si quispiam sanitatis seruatricē statuat,quæsitū pro comperto habuerit:quēadmodum & qui boni habitus eam opificē tradat, diuerso modo & ille ambiguū pro certo asseueret.siue enim quis artis definitionem, siue descriptionem reddere tentat,quod dubium est,neq; confutare,neque asserere sine demonstratione ausit, sed aliunde ex concessis incipiens demonstrare conetur. nunquid igitur ita medicinam definire melius fuerat,eā videlicet esse,cuius finis est sanitas: gymnasticam vero,cuius finis est bonus habitus, atque huiusmodi descriptiones principia inuestigationis instituere?at sic etiam gymnasticæ salubrem,tanq̄ nihil sit dubium,detrahemus,medicinæ vero adhuc obscurum & quæsitum attribuemus.nā si sanitas artis huius finis est, forsitan poterit eam in definitionem sermo asciscere,nō præsentis custodiam,sed creationē adeptionémq; absentis,eius finem esse constituens. hinc enim inductionibus vtenti in vtranq; partē argumētādi facultas suggeritur: nam si eiusdem artis officium esse, quod prius nō erat,efficere,incoluméq;, quod factū sit,conseruare,ostēdere voluerimus,ædificatoriam,naualem,fabrilem,atque ferrariam memoria repetemus: quòd si ad aliam opus facere,ad aliā id integrum inuiolatúmq; seruare pertinere declaremus,textoriam,sutoriámq; in exempla adducemus,& ad has coriorum dissectoriam,neruorúmq; sutoriam(sic enim eam vo cant,quæ fracta calciamenta restituit) adijciemus: siquidem alterius esse videtur artificis vestem facere,alterius eādem dilaceratam integrare:quemadmodū & calceum facere ad coriorum dissectorem spectat, fractum autem emendare ad neruorum sutorem. verum in libris meis De demonstratione probatū est ad demonstrationes scientiam gignentes inductiones adhiberi nō oportere: quare quicunq; in illis versatus fuerit, huiusmodi viam aspernabitur, & alterā meliorem vestigabit:qui vero in illis sese non exercuetit,alterutram,quam voluerit,partē tuendam suscipiens totum diem altercandi materiam habebit. Medicæ nanq; arti sanitatis creationē non seruationem custodiámq;, gymnasticæ vero bonū habitum finem esse statuentibus, alia rursum difficultas nō exigua vltra prædictas exoritur.coge=

tur enim puto aliquis quemadmodum ſanitatis, ita & boni habitus, artem vnam ſeruatricem, alteram opificem cõſtituere: id ſi fuerit, duas alias artes neceſſario diſquiremus, vnam medicinæ ſanitatis conſeruatricem, alteram gymnaſticæ boni habitus cuſtodem: cúmq; duplex ſit bonus habitus, vt alibi oſtenſum eſt, vtrius ipſorum gymnaſtica effectrix erit, diſtinguere admodum difficile fuerit: nũquid naturalis, an athletici boni habitus? nónne iam conſtat, duas alias nobis artes quærendas eſſe? atq; ita omnes ſex numero fuerint, tres finium effectrices, tréſq; ſeruatrices: tribus enim finibus poſitis, ſanitate, bono habitu naturali, bono habitu athletico, ad hunc numerum artes aſcendere neceſſe eſt. verum enimuero cum diuerſis artibus opus ſit, eo quòd boni habitus inter ſe & à ſanitate differant: ita & gemina ſanitas cùm ſit, vna ſecundum habitum, altera ſecundum affectionẽ appellata, geminas & artes eſſe neceſſe fuerit: neq; enim plus ſanitatem ſecũdum habitum, minus ſanitatem ſecũdũ affectionem bonus habitus excellit. Huiuſce rei notitiá perfectam habueris iſtorum cuiuſq; diligẽter natutam contemplatus, contemplaberis autem ad hunc ſanè modum. ægrotantium alicuius, eorum, quos ſæpius videris, tibi in mentem veniat, qui grauiter morbo laborauerit, proxime vero conualuerit: iſte emaciatus conſumptúſque eſto, & ad motiones imbecillus, vt alijs ipſum ferentibus egeat: iſte medelam planè amplius morbo iam ſolutus non requirit, ſed refectione ipſi viribúſq; opus eſt, vt robuſtus pariter ad naturales actiones obeundas euadat, & externas iniurias illæſus ſuſtineat. nihil enim dubij eſt, quin ita affectus, vt modo afficitur, nunc primum ægritudine liberatus æſtum, frigus, vigilias, cruditatem, aliúdve quicquam ferre non valeat, ſed quantumuis leui noxa pulſatus, vtpote nõdum tutum firmúmq; ſalubrem ſtatum adeptus, in ægritudinem ſit relapſurus. cum vero ſtabilior atq; in habitu fuerit, nondũ tamen in bonum habitum euaſit (hanc enim particulam, bonus, accipiens, tunc bonus habitus efficietur) ſed iam mẽdoſa affectio inutilíſq; eſſe deſijt. nõ poſſe enim ſatis pro vitę commodis exerceri, ac facile quibuſq; iniurijs violari, mendoſa inutilíſq; affectio eſt: quòd ſi neq; actiones impediantur, neq; ſit iniurijs facile corpus obnoxium (talis vero eſt ſecundum habitum ſanitas) non amplius mendoſa eſt, atq; ad humanas actiones inutilis, ſed illud laudabile atq; perfectum nondũ adepta: adepta vero tunc fuerit, cum non ſolũ haud debiliter operabitur, ſed robur præterea quoddam inſigne acceperit. ſanitas nanq; ſecundum habitum inter ſanitatem ſecũdum affectionem & bonum habitũ actionibus media eſt: nam ſanitas in affectione debiles actiones producit, bonus habitus firmiores: ſanitas autẽ in habitu nondũ quidem firmas, non amplius autem debiles. atq; ita manifeſtum eſt, cum medio ſit in habitu ſanitas, ipſam in totam vitã magis, quàm ſanitatem in affectione, licet ſummã virtutem non habeat, conducere. ſolo enim bono habitui ea conceſſa eſt, atq; tu ſecundum ordinem quendam iſta cogita: primum actionis noxam, quod in morbo ſit: alterum extra noxam quidem poſitum, ſed propter imbecillitatẽ inutile, quod in ſanitate ſecundum affectionem conſiſtit: tertium imbecillitate liberatũ, non tamen adhuc robuſtum, quod ſanitas in habitu poſſidet: quartum ceu quædã actionum virtus bonus habitus, & ſummitas, ipſarúmq; perfectio exquiſite bonus habitus eſt. Ars igitur ad ſalubrem habitum hominem perducens altera vtiq; ab ipſum conſeruante fuerit, ſemel ſcilicet hoc conceſſo, diuerſorum finium artes eſſe diuerſas, & ſingulorũ geminam, effectricem vnam, alteram cõſeruatricem. ex quo

patefactum eſt finis notione vniuerſam præſentem quæſtionē comprehendi.quocirca & quæcunq; diffinitiones à fine conſtituuntur, nō exiguas ambiguitates pariūnt.Itaq; melius forſitan fuerit ad ipſam artis eſſentiam tranſeūtem illam inquiſitionis principiū facere:quid igitur eſt medicina? ſalubrium inſalubriúmq; ſcientiam quis eſſe reſponderit.verum & iſte nimis audacter ſalubre, tanquam ſcilicet medicinæ partem accepiſſe videbitur:vnde contrariæ factionis nonnullos ægrotabilium tantummodo ſcientiam medicinam eſſe dicturos exiſtimo. at iſti primum ignorant contrarium omnium vnam eſſe ſcientiam, & quicunq; ægrotabilia nouerit,hunc & ſalubria non latere neceſſe eſſe.iſtud vero eorū captu maius omittatur,& ſecundum eorum,quæ ignorant,explicemus,quòd videlicet fortaſſe conſequitur, intra medicinæ definitionem non neceſſario quæſitum includi: ſiquidem alicui æquiuocationem diſtinguenti,poſtea medicinam corporum ſanitate fruentium,notarum indicantium, cauſarum facientium ſcientiam eſſe demonſtrare licet,non tamen iccirco ipſam etiam conſeruantia tradere atq; complecti,contra atque propoſitum poſtulet. Quamobrem huiuſmodi ſophiſtica adducentes, neque quod quæritur,exacte percipere videntur,neq; quódnam ſalubre ſignum appellemus,quod ſcilicet ægrotantibus adueniens futuram ſanitatem portēdit, neq; cauſam, quæ corpori ægro adhibita ſanitatis eſt procreatrix, qualia ſunt vniuerſa remedia,neq; quòd corpus ſanitatis præditum ſalubre vocamus: quorum omnium nulla cum propoſito præterquam nominis ſocietate iunctorū medicus notitiam habet.etenim ſanorum cuſtodiæ, medicíne, an gymnaſta præſideat ab initio nobis propoſita quæſtio fuit,quemadmodum pauloante declarauimus,huiuſce quęſtionis iudicium in finis exploratione verſari dicentes: ſanitas enim an ſimpliciter medicinæ finis ſit,ipſam abſentē acquirētis,an præſentē cōſeruātis nihil refert,neq; ſi acquirere quidē medicinæ ſit,conſeruare autem gymnaſticæ.ſic & de gymnaſtica proponi in quæſtionem poterit, num bonus habitus aut ſanitas eius finis ſit, aut horum alterutrius creatio,ſiue cuſtodia. Periculum enim fuerit, vt proxima demonſtrauit oratio, ne, ſi vnam tranſeamus, ſeptem circa humanum corpus artes conſtituamus: primam & manifeſtiſſimā & penè ſolam controuerſia carentē, eam ſcilicet,quæ morbos expellit: duas alias, vnam à ſanitate ſecundum affectionem ad eam,quæ eſt in habitu,ducentē:alteram in ea conſeruantē:duas item alias circa bonum habitum pariter ſeſe habentes,effectricē vnam,alteram,quæ conſeruat:præter has etiam duas circa bonum habitum athleticum verſantes. ſimpliciter enim alterum naturalem bonum habitum appellamus:non ſimpliciter autem eum,qui non naturalis eſt,athleticum inquam,ſed cū adiectione ſemper.quemadmodum & Hippocrates inquit nonnunquam ſic loquens,Affectus athleticus nō naturalis,habitus ſalubris melior:interdum vero ſic,In his,qui corpora exercent,habitus ad ſummum boni periculoſi.At de athleticis gymnaſticíſq; vocatis corporibus nunc te intelligere oportet,non de illis,qui quomodolibet exercentur, vt de fodientibus,remū pellentibus,metentibus,aut quippiam aliud ex naturalibus hominum officijs præſtantibus:ſed de illis,quibus id ipſum ſtudium eſt, vt athleticis viribus contra aduerſarios exercendo ſeſe muniant.quare autem huiuſcemodi affectio naturalis nō ſit,alio loco expoſuimus. ex hac igitur oratione,quod optime ad præſens negocium facit,id ipſum eſt, quod proxime diximus, circa humanum corpus ſeptem artes futuras,quódq; altera eſt exquiſite bonum habitum efficiens,

altera conſeruans.quòd vero gymnaſtici boni habitus ſummitatem fugere vererique oporteat,ab Hippocrate clariſſime teſtatum eſt:ſed ſimpliciter boni habitus, qui ſecundum naturam eſt, ſummum non ſolum vitare non conuenit, immò totis viribus ad ipſum niti decet. itaq; omnes circa corpus noſtrũ artes nouem fuerint: quarum ſeptem quis laudare poterit: reliquas duas potius vitioſas artes appellauerit:qualis & illa eſt,quæ commotica Grçce dicitur:Latini comptiuam vocant.Has igitur,ſi placet,dimittentes iterũ ſeptẽ reliquas enumeremus,omnium primam,quã morbos pellere dicebamus,alias vero deinceps, duas circa ſanitatem in habitu,duas circa bonum habitum,duas circa ſumme bonum habitum.iam ſanè patet,ſiquis circa corpus artem vnum habentem finem ſtatuat,eum ad ſeptem vſque artes accedere neceſſe eſſe,nihilq; aliud hunc finem eſſe,quàm ſanitatẽ. Sed melius forſitan fuerit exquiſitiorem de artibus ſermonem facere, illud in primis, quod nemo ignorat,memoria repetentem, improbas artes apparens bonum vnicuiq; eorum,quę ſunt,artes autem verum bonũ comparare:ac deinceps dicentem: ſi vocata comptiua adulterinã pulchritudinem cõciliat, hæc vtiq; ars vitioſa adulatríxq; fuerit, alteráq; circa legitimam verámq; pulchritudinem verſabitur, quæ in vegeto colore,carnis moderata copia, membrorúmq; cõgrua coagmentatione conſiſtit,quæ naturalem bonum habitum conſequuntur.ſed de gymnaſtico bono habitu alibi ſeorſum verba feci:nunc autem fortaſſe de eodẽ per capita loqui melius fuerit,id ſermoni principiũ ſtatuentem.Siue enim ſecundũ naturã operari vnicuiq; membrorum idem,quod bene valere,eſt:ſiue id neceſſariò naturalẽ corporis apparatum conſequitur,ipſúmq; bene valere nihil eſt aliud, quàm ſecundum naturam inſtructum eſſe:iſtorum vtrumuis ſanitatem cõſtituens,(nihil enim noſtra intereſt)ſequentem orationem ita animum aduertens accipito, nunquid naturali cuiuſq; membri apparatu,an eius opera indigemus. mihi profectò ita perſuadeo, neminem membrum ignauum officióque proprio carẽs habere velle: neq; igitur cæcutientes oculos,neq; nares odorari nequeuntes,neq; crura torpentia,neq; aliud quodpiam membrorum,aut nihil penitus,aut deprauate agẽs habere cupiat:nullo enim eorum omnium,quibus egemus,imperfectò egemus,neq; domo,neq; calceo,neq; ſcamno, neq; veſte, ſed ſimul egemus, & perfectò egemus. Itaq; infirme debiliterq; ambulare non petimus,neq; obtuſe cernere,vel audire,neq; aliud quicquam deficiens mancúmq; expetimus.quis enim coloris bonitatem,carnis molẽ, aut abſolute corporis pulchritudinem,robúrve,imperfectas diſcupiat?quocirca ſi actionem non deprauatam,ſed perfectam eligimus, multo minus corporis ſtructuram,vnde hæc profluit,mendoſam labantémq; votis expoſcemus:atq; ita cum horum alterutrum ſanitas ſit,nullus proculdubio mutilam ſanitatem, ſed quàm fieri poteſt abſolutiſſimã firmiſſimámq; exoptauerit.Igitur ſi aliud quodpiã bonũ habitum à perfecta ſanitate quis autumet,aliã ſanitati, aliam bono habitui artem præficito: ſin vnum atq; idem vtrunq; eſt, vnam & vtriq; artem præſidere neceſſe eſt:at quomodo vnum idémq; bonus habitus atq; abſoluta ſanitas fuerit?primũ ſi apparatum huiuſce cauſam,eundem & boni habitus eſſe crediderimus,ſecundo ex ipſa eſſentia id percipiemus: bonus ſiquidem habitus nihil eſt aliud quàm bene ſe habens habitus:habitus autem affectio ſtabilis eſt:quare cuius eſt habitus,eius eſt etiam bonus habitus.ambo vero ad aliud ſunt:dicitur itaq; aliquis grãmaticæ habitum habere,alius arithmeticæ, geometriæ alius,alius aſtronomiæ, & rei cuiuſq;

cum affectio bene adhærens altiúsq; defixa fuerit, habitus nominatur. nihil autem in præsentia referat affectionem aut habitudinem appellare. quamobrem si & eius est bonus habitus, cuius est habitus, alicuius autē habitus est, alicuius ergo & bonus habitus erit, & eiusdem, cuius habitus. at nobis in pręsentia nō de geometrico, musico, aut grammatico, sed de salubri habitu sermo proponitur. cum bonū igitur habitum dicemus, non grammaticum, musicum, aut geometricum, sed salubrem habitum dicemus. Atqui statim id ipsum nonnulli negligunt, & boni habitus sanitatísq; nomina idem significare arbitrantur : cum tamen sanitatis nomen, affectionis cuiusdam nomen sit, boni vero habitus nomen nō affectionem simpliciter, sed quod in ea optimum permanénsq; est, manifestat: quandoquidem eius affectionis, quam sanitatem dicimus, optimus habitus est bonus habitus. non igitur (idem enim iterum atq; iterum inculcare necesse est, cum quis multorum inueteratam ignorantiam stirpitùs euellere cupiat) nō inquam affectionem, non structuram, non actionem, boni habitus nomen significat, quemadmodum neq; simpliciter habitus: sed habitus quidem solā ipsam permanentiā stabilitatémq; affectionis ostēdit, bonus vero habitus nihil ei plusquam bonitatem adijcit: igitur ex hoc nomine habitus, & ex hac adiectione bonus cōponitur, quam omnibus, quæ laudamus, apponere consueuimus, quæcunque probe & in summa sua integritate constituta sunt. quid igitur appetimus, aut quid nostro corpori inesse precamur? nunquid salubrem affectionem id ipsum solum? an id ipsum idem est, ac si quæras, num infirmas ædes ac propediem ruituras expetimus? aut vltra vsum, cuius causa structæ sunt, elegantissime quoq; compositas, & quàm longissimo tempore duraturas? nemo profecto reperiatur, qui non integre, & non longi temporis spatio sanitate frui percupiat. quin etiā nulla omnino ars est, quæ sibi id, quod deterius est, ac breuis temporis, proponat, sed quod in eadem materia est valde optimum, atq; longissimo temporis curriculo permāsurum. id sanè omnibus actiuis artibus propositum est. neq; etiā finis planè aliud quidpiam, quàm propositi consecutio fuerit. atq; iam ex dictis apertū est, artis circa corpus versantis finem esse vnū: propositúmq; vnum: siue propositum hoc quispiam integritatē nominet, siue bonū habitum, siue sanitatem, siue naturalem corporis structurā, siue naturalē actionem, aut affectionem, aut structuram, per quam integre atq; absolute has naturales functiones obimus, nihil in præsentia distinguere opus est. Siquidem vnū mihi ostendēdū proponitur, omnes videlicet artes propositū finémq; appetere, finē vero vniuscuiusq; rei vnū esse, qui nihil aliud sit, quàm secundū illam substantiam bonum. in vite igitur nō aliud quidem finis est, aliud vero bonū, neq; aliud, præter id, quippiam ars vitium cultum tradens speculatur. itidem & ars oleas excolere docens olearum naturæ perfectionem sibi propositū statuit. verum enimuero vna quædā res est humanū corpus: & quædā quoq; huiusce proculdubio perfectio est, quam & præsentem custodire, & absentem reuocare alicuius artis officium est. huius autem si alterum quendam inferiorem finem cōstituam, antedictus nos excipiet sermo: erit enim hæc boni habitus, illa summe boni habitus, alia salubris habitus, & quarta insuper ars salutaris habitudinis opifex, & præter has athletici boni habitus effectrix quinta: quòd si alijs quidem artibus fines inducere, alijs autē eos conseruare permiserimus, nō has modo verum etiam alias totidem circa corpus artes vestigabimus, constituemúsq;. Ex quo efficitur, neq; multa corporis bona esse po-

nenda, neque aliam eiuſdem opificem, aliam vero cuſtodem artem eſſe ſtatuendam : potenti ſanè omnia per capita contemplari non pluribus opus eſt: qui vero id facere nequeat,neq; adhuc omnia,quibus ante male imbuta fuerat,ex memoria deleuerit,longiore,puto, oratione indiget. illa ſanè confutanda ſunt,quòd non vnum ſit corporis bonũ, ſed omnia hæc,ſanitas,robur,& pulchritudo, quódque ars vna id procreare poſſit,altera conſeruare, & quæcunq; alia ab his orientia nonnulli perperam decreuerunt:atq; in primis vnum eſſe corporis bonum primarie & proprie dictum,ad quod reliqua omnia referuntur,explicare melius eſt. alia nanq; corporis bona vocata, nonnulla vt partes illius dicuntur, alia vt cauſæ, alia vero vt fructus quidam. quemadmodum enim pulchritudinem iucundus color, congrua caro,membrorum cõmoderatio,& alia quædam integrãt, quidni & corporis bonum ex ſanitate,robore,& pulchritudine abſoluatur? item quid prohibet ipſius corporis bonum eſſe ſanitatem , ſed veluti fructum quendam eius pulchritudinem & actionem ? quid obſtat præterea primum corporis bonum actionem eſſe,eius verò cauſam ſanitatem?neq; per alia exquiſite ſeneſcet corpus,per alia robuſtum aut pulchrum euadet.ſtatim vero id etiam exacte ſalubre eſt.Quare & ex hoc vna circa corpus ars eſſe concluditur : eadem enim facientes ſimul & robuſti ad agendum erimus, & viſu pulchriores, & ſalubriores, melioríſq; habitus efficiemur:quemadmodum contra,ſiquæ in corpus noxa inciderit,& actionum firmitas labaſcit,& pulchritudo marceſcit, & bonus habitus vitiatur, ſanitáſq; ipſa violatur:hæc enim omnia merito ſimul augentur,ſimúlq; decreſcunt:naturalis etenim actio naturali corporis eget apparatu,à quo rationem cauſæ erga ipſam habente producitur. quocirca illud in primis fieri non poteſt, vt iſtorum alterum adſit,alterum vero abſit.ambo pręterea ſimul augẽtur atq; decreſcunt.cúmque in melius proficiũt,hic bonus habitus,illa robur appelletur. eadẽ nanq; ratione robur actioni,qua bonus habitus ſanitati cõparatur.vtrunq; enim ab vtroq; producitur,ſicútque alicuius bonus habitus eſt,ita & robur. naturalis nãq; ſiue apparatus ſiue affectionis virtus quædam eſt bonus habitus,actionis vero naturalis virtus robur eſt. idem autem eſt virtus,perfectio, & cuiuſq; rei bonum, quod illius primum atque ſimpliciter bonum nominatur.ambo ſanè & propter eadem deteriores melioréſq; reddũtur:bonus nanq; habitus ſalubris,vt antedictũ eſt,affectio nominatur.ſiquis itẽ debiliter operetur, roboris infirmitas imbecillitáſq; dicetur. pulchritudo præterea priora, poſteriora deformitas,neceſſario comitatur.Hæc planè omnia ſimul creſcunt,ſimul minuuntur,& perficiuntur ſimul omnia,ſimúlq; delentur.quodq; iſtorum vnum,quicquid fuerit, ſtatim & reliqua omnia lædit:contrà quod iuuat, pariter & omnia iuuerit.atqui ex dictis iam vnam circa hæc omnia artem neceſſario verſari eluſceſcit:quòd iſtorũ autem princeps ſimpliciterq; corporis bonũ ſit, nihil in præſentia attinet dicere.Sed ne id quoq; ſermoni deficiat,ſubiungã:corporis bonum abſolutiſſimum atq; primariũ,quo egemus potiſſimũ,actionum perfectio eſt, quod ſanè vim robúrq; defectiue enunciãtes nominãt:ſiquidem eos oportebat non vim ſimpliciter,ſed actionum vim,neq; robur ſimpliciter,ſed actionum robur nuncupare.deinceps vero poſt hoc non ſimpliciter,neq; per ſe corporis bonum : ſed quoniam in primis & per ſe huiuſmodi bono ad ſui creationẽ actionum robur indiget,ſanitatis eſt bonus habitus, quem & ipſum iterum curtè nominantes cauillationibus anſam præbuere:ſanitatis enim bonũ habitũ cũ dicere debebãt,

non ita,ſed abſolute bonum habitũ vocant.hunc neceſſatio pulchritudo ſequitur aliud quoddã ab illis & tertiũ corporis bonũ.quare corporis bona ęque ac animæ neq; vnius generis ſunt,neq; ſimiliter omnia dicũtur, ſed vnũ quidẽ vt primũ atq; per ſe,alterum tanquã illius cauſa,tertiũ vero vt neceſſario cõſequens.igitur cuius horũ triũ ars corpus gubernans primarius opifex eſt? num ſanitatis,an actionis,an pulchritudinis?ſupra enim iam patuit,etiã ſi iſtorũ vni tãtũ,quodcũq; malis, profueris, neceſſatio cũctis tribus profueris.exẽpli cauſa ſi actionẽ iuuabis,& ſanitatẽ & pulchritudinem neceſſario iuuabis, quandoquidem ea ſine cauſa ipſam producente conſiſtere nequit, pulchritudo vero neceſſario ſubſequitur. item ſi ſanitati proderis, illico & actioni & pulchritudini proderis: etenim vtraq; ab ea profluit. qui vero pulchritudinem creat,iſte proculdubio & ſanitatẽ ante creauerat,ſi eam, itidem & actionem. Verum quod primum ab artifice fiat, ſermo noſter veſtigare cupiebat:atqui iam ex ſupra poſitis manifeſte ars ſanitatem efficere videtur, hanc naturalis pulchritudo actióq; ſequatur neceſſe eſt.quod enim primũ artifex cũ fecerit,acquieſcit,id eius planè finis eſt:at naturali affectione, per quam agimus, reſtituta conquieſcit,ea vero ſanitas erat,quam cum induxit,nihil vltra circa actionem pulchritudinémve laborat. accedunt enim hæ vel inuito artifice, ipſiſq; aditum intercludere,cum ſemel ſanitatem creauerit,prorſus nequit.ipſam planè ſanitatẽ impedire in ipſo artifice poſitũ eſt.quòd ſi ipſam corruperit, naturales actiones,aut pulchritudinem corpori adipiſci nullo vnquam pacto valebit.Artem itaque corpus tuentem, qualiſcunq; ſit,circa ſanitatem omnium primam atq; per ſe negotiari aſſerendum eſt,deinceps accidit, vt de actione pulchritudinéque curam habeat.neq; vero propterea hæ ignobiles imperfectæq; ſunt, ſed perfectæ cumulatæ atq; ſummæ.Quomodo igitur plura ſint corporis bona, quomodo vnũ,quódque non omniũ æque ars corporis curam habeat,ſed vnius per ſe,ex accidẽti aliorum,abũde diſſertum eſt. At modo ſupereſt diſcutiendum,quare in nulla materia ars vna finis effectrix,altera conſeruatrix reperiatur: ſtatímque ab initio neque illorum exemplum,qui in hac fuere ſententia,neque rerum præterea ipſarũ naturã ipſis fauere declarabo. ſi alterius enim artis eſt calceum conficere, alterius labefactatum reſarcire,nondũ tertiam hic artem conſeruatricem nobis oſtenderunt:pariter & in veſtibus, ſi alterius quidem artis eſt,eas reſarcire, alterius autem conficere,quænam & in his tertia ſit ars conſeruatrix, explicare non poterũt.in noſtris profecto corporibus vniuerſímque in his,quæ à natura reguntur,effectrix vtique natura eſt textoriæ coriariæque proportione reſpondens. vitioſum autem corpus inſtaurant agricola & medicus,qui & ipſi veſtes ſarciẽti & veteres calceos inſtauranti ſimiles ſunt.veſtem autem calceúmve in conclaui reponẽdo cuſtodire,ne aut à quopiam ſurripiatur, aut à muribus erodatur, id neque vllius forſitan artis ſed ſolius eſt diligentiæ.quòd ſi horum conſeruatricem artem eſſe quidam velint, tales apud homines artes ſunt imperatoria,reíq; publicę gubernatoria,& pręter has, ſi placet,oſtiariorum,cæterorúmque cuſtodũ.vt enim ne inter hoſtes,aut prorſus ne inter ſceleratos homines feráſque beſtias verſaremur,ædes ciuitatéſque cõſtruximus,& muros circundedimus,imperatores ac ptincipes creauimus.ſed non iſtarum ſimilem ſanitatis conſeruatricem artem conquiſiuimus:ſed eam, quæ(vt puto)in humanũ corpus aliquid agens non ex accidenti, ſed per ſe incolume ipſum valénſque cõſtituat.at proxime dictæ ſingulæ nõ ipſæ per ſe ſanitatem cuſtodiũt,

ſed eò quia homini non iugulato, neque à fera diſcerpto ſanitatem ſeruari, quemadmodum & vitam contigit: quocirca ex quodam antecedenti, non primo neque ex ſua ipſius ratione harum vtraque artium ſanitatem conſeruat. Igitur ſanitatem præcipue ex ſui ratione conſeruans quibus continebitur? vt mea quidem fert ſententia neq; illis, quæ non neceſſario corporibus noſtris adhærent, neque illis, quæ nullam in partem neceſſario corpora noſtra permutant: ſed illis, quibus, velimus nolimus, corpus noſtrum vtitur: & eorum illis, quæ iuuare aut officere valeant: in ijs inquam & circa hæc tuẽdæ ſanitatis artem verſari arbitramur. in gladios enim, aut feras, aut laqueos, aut rupes non neceſſario corpora noſtra incurrunt: ſed in ambiente aëre duplici ratione verſantur, & quoniam corpori vndiq; circumfuſus eſt, & quoniam per anhelitũ ducitur. ſomnus vero atq; vigilia, quies item & motio in horum numero ponitur. neceſſe nanq; eſt, aut dormire, aut vigilare, quieſcere, aut motu exerceri. perinde eſurimus & cibum capimus, ſitimus ac bibimus, aut inter hæc medij agimus. cubilium autem diſcrimina ac veſtimentorum nõ omnia neceſſaria ſunt. eburneis nanq; pedibus lectulus aut grabatus ignobilis nihil ſanitati prodeſt aut officit, neq; vilium aut ſumptuoſarum veſtium vſus: non vitrea vaſa, aut aurea, aut argẽtea, aut lignea poſſidere, non formoſorum ſeruorum aut deformium turbæ dominari, aut ſeruis planè carentem ipſum ſibiipſi miniſtrare. iſta mehercule prodeſſe nobis vel obeſſe ipſorũ ratione atq; primario, aut ex accidenti neutiquam apta ſunt. at calidus aër aut frigidus, eſca & potus, requies & motio, vigiliæ ſomniq; ſuis ipſorum viribus neceſſario corporibus noſtris vtilitatem aut noxam afferunt. veſtimentum quidem lacerum hyeme ac leue, graue autẽ æſtuoſúmq; æſtate lædit quidem, ſed non ex neceſſitate, ex accidenti vero frigore & calore diuexat. Hæc itaq; quæcunq; per ſe lædendi iuuandiq; poteſtatem habent, ſanitatis cuſtos ſpeculatur. at quomodo, quáve ratione? poſteaquã ſatis abunde corpus inanitum eſt, ſenſiliſq; nocumenti diſcrimen impendet, alimẽtum ſumere iubens. poſtquam vltra modũ exaruit, atq; hinc iam noxæ periculum inſtat, potum accipere præcipiens. item & corpus exercẽs, cum noſtri moderatricem facultatem robuſtam præſtare, excrementáq; anguſtis meatibus intruſa eruere voluerit. quietem vero imperãs, cum exercitatione corpus laſſari, aut ſupra, quàm cõueniat, digeri ſenſerit. aluum præterea ducens, cũ ſuppreſſa eſt: nimis autem citatã cohibẽs. aliáq; in hunc modum omnia agens. & in ſumma id ante oculos habens, vt in corpore exactè ſano ac valido nihil nouare audeat: cũ vero aliquantulũ moderationẽ tranſierit, continuo, quod deficit, prius quàm latius malũ ſerpat, reſarciat, perinde ac ſi ſubtegminis fila ex aliqua veſte non ſimul omnia, ſed ſingulo die ſingula excidẽtia, qui huic rei præeſt aſſidẽs illico reponat, adeo vt huiuſmodi correctio atq; emendatio multorũ notitiã prę exiguitate ſubterfugiat. talẽ mediuſſidius & benevalẽtibus pręfectũ artificẽ eſſe opus eſt minimę cuiuſq; differentiæ ac noxę obſeruatorẽ iuxta atq; emendatorẽ. Verũ ſi ex toto integrũ illæſúmq; corpus duraret, taléq;, quale ipſum ab initio creator fabricatus reliquit, nequaq̃ correctore eguiſſet. at nũc cũ diffluat ſemper, atq; diſpereat, aliquo præſente obſeruatore indiget, qui & quod diſſipatur, quantũ qualéq; ſit, cogniturus eſt, illicóq; tale ac tãtum viciſſim reponens inſtaurabit. inſitũ humidũ dilabitur, tantundem humoris, potum exhibens, irrigato. calidũ digeritur, tantundẽ caloris addito. aridũ conſumitur, iam alendi inſtat occaſio: vt ſemel dicam, quod diſcutitur atq; euaneſcit, ingeri paula-

tim atq; reponi, antequam in multorum notitiã veniat, opus est. Igitur quemadmodum si duo sint dolia multis in locis foraminibus terebrata ambo æque ab initio plena, pariterq; per illa spiramina hac atq; illac perfluentia, horúmq; vni quidã semper assidens tãtum vicissim ingerat, quantum elabitur: alterũ vero, antequam valde inanitum est, nemo custodiat, postea quispiam repente superueniens semel totum impleat: clarissime constat doliorũ istorũ primũ, neq; inaniri, neq; repleri, alterum vero ambo hæc pati à multis inspectantibus testatũ iri. ita quoq; in sanis ægrotisq; corporibus res habet. vtrunque enim vitium ars vna modo vno emendat, quod deficit scilicet instaurans, in quanto vero non in quali emendationis differentia versatur. Atqui secundũ quantũ in his, quæ fiunt, differentia ad vnã artem pertinet, quòd si alterius artis esse debeat, prorsus qualitate differat, oportet: quòd si propterea geminũ esse correctionis modũ arbitraris, quòd ab vno dolio multũ prius effluxerit, quàm artifex custos accesserit, alterũ custodem semper astantem, quæ sua bona fortuna fuit, nactũ plenum conseruatur: haud recte sentis. neq; enim alia ars vnũ subtegminis filum, quod exciderit, reponit, alia, tria aut quatuor aut quingenta: neq; alia ars parietis particulã ruentem fulcit cõmunitq;, alia magnam eius partem collapsam restituit. Subtegmẽ stamini intertextũ vestẽ facit. num igitur præter hęc vestis pati, aut prȩter hæc emẽdari potest? opus planè est, si quid vestis dãni facere debeat, aut stamẽ, aut subtegmẽ, aut vtrũq; pati, vnámq; esse emendandi viam, quæ subtegmen semper stamini implicet, quo eius ab initio compositionem imitetur. Sed singulares actiones multis imponunt, vniuersale cõtemplari nequeuntibus. id enim rationalis methodi munus est, quam neq; didicerunt neq; pertractarunt isti, qui quotidie de propositis blacterantes disputare audent. satis enim, si quidem eam nouissent, ipsis foret, discipulos docere, nõ infinita proposita, sed vnum discutere. nam qui eam rite percepit, non amplius infinitis eget, sibi ipsi omnia recte diuidere valẽs. at eam methodum ignorans, præterquam quòd ea infinita perperámne dicta sint, haud dignoscit, permultorũ adhuc propositorũ, quæ non audiuit, inops est. verum hęc strictim obitérq; aduersus eos dicta sint, qui quotidie in proposita discipulis audientibus edisserunt, neq; ipsi, quid dicant, intelligentes, quousq; imperiti inexercitatiq; in hac iudicatoria methodo fuerint. nam hoc loco quo inter se artes distinguendæ sunt? singularibúsne actionibus an vniuersalibus? an non ita, sed propositis finibúsque? aut neq; his, sed materijs, instrumentis, principijs, & contemplatione? quæ minime considerantes de his nugãtur, quæ penitus ignorant. Igitur & nos forsan melius fuerit, postquã semel id certamen conficere polliciti sumus, quàm breuissime poterimus antedicta repetere iterum à singularibus actionibus incipientes. Est igitur quædam singularis actio, qua vtentes oculorum palpebras consuimus, altera vero huius minime assimilis, per quam suffusiones detrahimus, aliæ quoq; tertia & quarta, neq; inter se vlla ex parte, neque harum similes sunt, per quas confractũ os de capite exscindimus, sed in alia corporis parte vtpote humero atq; cubito in aduersum tendentes atq; confirmantes deligamus: ab omnibus vero alijs actionibus longo interuallo ea dissentit, quæ circa herniã fit, manuaria operatio: à qua illa, quæ circa varices: ab omnibúsq; simul antedictis vesicæ calculi extractio, atq; horum multa scalpello absoluimus: at oculũ sublinire, articulũ in propriũ situ reponere, cataplasma alicui membro superdare, fistula, quã cathetera Gręci vocant, rite vti, cucurbitulam affigere, sine scalpello

quidem omnia præſtantur,ſed inter ſe lōgiſſime & à proxime dictis euariant:quē admodum & venam ſoluere,& arteriam ſecare, cutem ſcarificare, & hydropicos perforare inter ſe & à modò poſitis diſtant.atque hę quidem ac præter has aliæ infinitæ manuariæ actiones per ſe fiunt:medicamentis autem vtentium porrò alterum genus eſt,& ab ſeipſo,& ab enarratis diſcrepans.ſiquidem veratri potio,ciborúmq; eſus nulla ſocietate participant:neq; inedia clyſteriíq; vſus,neq; frictio & lauatio : ab his vero longius diſtant vlcus eluere ac purgare, & medicamentum liquidum,item & aridū imponere:geſtari prætereа,deambulare, luctari, ſcamoniū, aut mulſam bibere. quorum omnium neutiquam ſimilis eſt pulſatus arteriarum caloríſq; dignotio,quamuis extremis manibus agamus:quemadmodum(vt reor) & humorum abſcedentibus ſedibus cōtentorum perceptio,aut tumorum hydropicorum,aut gangliorum,aut atheromatum,aut meliceridum, aut ſteatomatum (vt Græcorum nominibus vtamur,quando Latina deficiūt) neq; enim eodem digitorum iniectu,aut eadem motione & traductione & preſſione, ſed nonnunquā longe differente in modò enumeratis vtimur. Quamobrem periculum eſt,ne totum diem abſumamus nihil aliud quàm actionum differentias recēſentes,adeo ipſarum numeroſa multitudo eſt. Verum ex his abunde quis nouerit,quanta illi erroris nebula caligent, qui per ſingulas actiones artes eſſe diſtinguendas arbitrentur.nullus igitur adeo fatuus,adeóq; attonitus eſt, qui à medicina modò propoſitas actiones diducat, & aliam quampiam artem ſingulis ipſis præficiat aut herniæ diſſectoriam(vt nunc quidam nominant)aut calculi detractoriā,aut perforatoriā (quam paracenteticen vocant) Etſi enim quàm maxime hūc herniæ diſſectorem, illum perforatorē,alium calculi detractorē nuncupent,omnes tamen iſtos cōmuni nomine medicos appellāt,perinde vt eos,puto,qui à quibuſdā mēbris,quorum præcipue curā gerunt,vocitantur:hos nanq; ocularios, auricularios,dentarios(ita dicere liceat)medicos nomināt:nōnullis à materia nomina indiderunt cibarios,& medicamentarios, aut per Iouem, etiam herbarios vocantes: quidam præterea & nonnullos medicos vinidatores,& veratridatores appellarūt, quòd eos crebrò talibus remedijs vtentes conſpexerunt.omnibus enim(vt reor)hominibus rationalis diſciplinę principia naturaliter inſita ſunt:cognoſcúntq; hi quidē magis,illi vero minus,quid idem ſit in actionibus,quid diuerſum.id nāq;, cuius cauſa fiunt,idē eſt,ſanitas videlicet apud omnes communis intentio. modus autem non omnium vnus,ſed in numerum ingentem excreſcit. Verum enimuero ſi quiſpiam (vt facit Plato) vniuſcuiuſq; modum & in vniuerſum propoſitum vnū eſſe in arte ſtatuens, deinde in ſpecies differentiáſq; ipſam diducens,rurſus illas partes ſingulas artē appellans) perinde & ipſe aliquam cibariam & medicamentariam & manuariā velit artem appellare:nihil ſanè fuerit,quod ipſi vitio vertam. Ita etiam ſi modò propoſitas ſingulas partiens,vt diætam in ea,quæ aſſumuntur,euacuantur,& bibuntur, & exterius incidunt, iſtorum ſingulis propriam quandam artem præficiat, neque iſtum accuſauerim: iterū ſi hæc quoq; eadem multiformiter, vſq; ad particularia partiatur,minime ipſum impediam,quin in his,quę aſſumūtur,aliam medicamentorum artem eſſe dicat,aliam ciborū,aliam potionum:quin etiam per ſingula iſtorum huius illiúſq; cibi,huius illiúſque potus,atq; huius illiúſq; medicamenti propriam eſſe artem dicere conceſſero : verum ſi has inter ſe artes quemadmodum atithmeticam,exempli cauſa,ab oratoria,aut hāc ab ædificatoria & fabrili differre

autumet,non amplius illud,conceſſero,cum iſtę nullum commune propoſitum habeant,paulo ſupra vero enumeratis vnum commune propoſitũ ſanitas ſcilicet. quemadmodum igitur in oratoria,quæ vna eſt ars,aliã quidẽ exordij, narrationis aliam,argumentationũ perorationũmq; aliam eſſe artem dixero, ſi mihi ſolum id vnum vnius eſſe artis ea ſiue ſpecies dixeris,ſiue partes cõceſſum fuerit: ad eũdem arbitror modum,& in medicina res habet.aliam enim artem manuariã dixero,aliã cibariam,aliam medicamentariam:vnum id modo mihi ſeruetur,harum omnium vnum eſſe ptopoſitũ. propter quod vnius eſſe artis particulæ coguntur: res enim diſſimillimas id iungere,atq; connectere,cogeréq;, vt in vnam omnes artem conſpirẽt,manifeſto videtur.exſcindit aliquis,aut abijcit putreſcentẽ particulam,alius autem reficit,carnémq; in cauo vulnere procreat:conttariæ quidem res,totáq;(vt aiunt)diametro diſtare videbuntur,actiones enim longe differunt, ipſarúmq; effectus contrarijs ſunt:ille enim eorum,quæ ſunt,aliquid perdit,iſte vero nouam aliquam ſubſtantiam gignit:ſed neutri id ipſum per ſe proponitur,aut illi quicquam deſtruere,aut huic generare:queádmodũ neq; vrere aliquid,neq; ſecare, neq; aliud quicquam ipſum propter ſe facere quiſpiã aggreditur,ſed tanquã ſine hoc ſanitatem aſſequi non valens,ad quã omnes diuerſis tamen itineribus ingredientes properant, ob cõmune vtiq; propoſitum omnes medici vocati, ſed propter actionis, aut materię,aut membri differentiã,hic manuarius,iſte medicamentarius,ille ocularius appellatur: manuarius ab actione, medicamentarius à materia, ocularius à membro:cũ enim,quæ curantur,membra, non parũ inuicem differant,curaroréſq; ipſi actionibus,ac materijs diuerſis vtantur,ideò nonnulli ab actionibus,alij à mẽbris, à materijs alij cognominantur, ocularij,manuarij,ac medicamẽtarij,vniuerſimq; omnes à fine medici.Supra enim explicatũ eſt omnes artes in ſubiectæ ſubſtãtiæ bono verſari,eíq; operã dare:quare in ſingulis artibus vnũ quoddam primũ bonum reperitur.cæterũ quòd quiſpiam palpebras,exempli cauſa, bene ſuens perperàm medicamenta propinet, alius medicamẽtis optime vtens rationẽ victus nõ rite præcipiat, in hoc alius egregie verſatus manus non bene exerceat, ſi diuerſas propterea ac penirus ſeparatas artes opinemur,ſtatim ſanè nõ tres modo,verũ etiã trecentas ſic artes ſtatuemus.iſte nanq; fiſtula perite vtitur,ille clyſterio, alius venam ſecare eſt idoneus, arteriam alius: deinde cũ aliquis hæc omnia inſigniter adminiſtrans inuentus fuerit,rurſum omnes illæ artes in vnã coibunt.atqui vtrunq; vitioſum eſt,aut propter artificũ inſcitiã artem vnã in mulras diſcerpere, aut propter eorundem excellenriam multas in vnam coniungere. prior nanq; ſermo neq; orandi,neq; numerorũ,neq; rerræ metiendæ,neq; canẽdi,neq; aliam quãpiam illuſtrem artem vnã eſſe cõcedet, quas multi tractantes proprer earũ magnitudinem totas complecti nequiuerunr. ſecũdus autẽ artes interdũ nullius cognationis participes in vnam aceruabit.nam ſi idem homo arithmeticus ſimul grãmaticus atq; philoſophus fuerit,porerit quiſpiã vnius artis has omnes eſſe particulas exiſtimare.Itaq; ne agentium multitudine,ſed propoſitis conſideratis artes diſtinguamus, neq; in ſingulas actiones,ſed in vniuerſas inſpiciamus.commune enim quiddam in ſingulis cuiuſq; artis actionibus inuenies, per quod quãuis longo interuallo diſtare videantur, nihilominus tamen eas vnius eſſe artis particulas nihil impedit. veſtes igitur texere nihil aliud eſt, quàm ſubtegmen ſtamini implicare : num igitur iſtud aliud eſt,quàm ſuere?neutiquam,verum & in ſuẽdo ſubtegmina ſtaminibus

intertexuntur: nam si & ab initio statim quispiã sine textorio opere aliter subtegmina staminibus innectere voluisset, aut eo modo, quo nunc lacera indumẽta sarciunt, aut quo cistas, aut sportulas, aut retia fabricantur, nihilo secius vestimentũ, sed multo longiori tempore confecisset: finẽ itaq; non simpliciter coniectãtes, sed celerius ad ipsum peruenire studentes hanc per telas conficientem artem excogitarunt non vniuersim, sed ex parte à suprà positis differentem. idem & in medicinali arte contingit: innumera sanè (vt ita dixerim) singularia sunt, sed generale quoddam opus omnibus cõmune est. nam & corpori aliquid vt superuacuũ detrahens, aut aliquid, quod deficiat, adijciens, vnũ vterq; in vniuersum præstat, corpori scilicet naturalem modum comparans, qui nihil aliud est, quàm sanitas, perinde vero & calfaciens & refrigerãs, & siccãs ac madefaciens. Quẽadmodũ enim si ab initio nos confestim animal creare potuissemus, nõ alia quapiã ratione eius primam formationẽ instituissemus, alia vero emendationẽ adhiberemus: haud secus, postea quàm neutrũ horum nos primi efficimus, sed natura est primaria animalis opifex, iterũmq; ægroto sanitatem cõparat, nõ alia profecto ratione fœtui, alia in præsentia in lucem edito alimentum suppeditat, quinetiã similiter nũc operatur, alit, digerit, excernit, omniáq; (vt semel dicã) in præsentia (vt prius) eadem ratione ministrat. Medicũ autẽ naturæ esse ministrũ, primariámq; esse naturæ artẽ, ac rite celebre esse dictũ illud, Natura in omnibus auxiliatur, naturã morbos iudicare, naturas morborũ esse medicatrices, à priscis sapientibus abunde tradita quid ego iterum superuacue repetã? quod enim in præsentia vtile est, in memoriã reuoco, non vnius artis esse opus facere, alterius vitiatũ corrigere, sed eiusdẽ. quòd si non eiusdem, at suprà medicinã ostendimus non artis vestes facientis æmulam, quicquam, quod prius nõ esset, procreare, sed artis laceras tritásq; vestes sarciẽtis assimilẽ. explicauimus itẽ conseruationẽ esse duplicẽ: alterũmq; ipsius genus, sub quo & præsens de tuenda sanitate tractatio reponitur, parum labefactata corrigere: idq; multos subterfugit, tanquã sit à curatiuo differens genus. Cæterũ idipsum alicui finẽ esse putare, domum extruere, aut vestem, aut vas, aut sanitatem facere, hominis est non potentis actionem fini præuiam ab ipso fine distinguere, quãdoquidem non domum extruere ipsius ædificatoriæ finis est, sed domus: quẽadmodum neq; vestem texere, aut nauem coagmentare, aut grabatum aliorúmve vnũquodq; fabricari, sed ipsum opus, quod quiescẽtibus iam à labore artificibus, adhuc permaneat. atque ita effectiuæ artes ab actiuis tantum dissentiunt: actiuæ nanq; cum ab agendo desierint, finis quoq; vnà desijt. nihil itaq; in saltatoria præter ipsam actionem ostendere possumus, vt in fabrili grabatum, in ædificatoria domum, in medicina sanitatem. non igitur ædificatio, quemadmodum saltatoriæ saltatio, ædificatoriæ finis est, sed domus res ab actione diuersa: itidem textoriæ neq; textura, neq; texere, neque vestis confectio, aut generatio, sed vestis: pari ratione neque productio, neque generatio, neq; correctio sanitatis medicinæ finis est, verum hæc omnia actio quædam artis communis est, quemadmodum particulares erant secare, vrere, articulos & extrema, quæ Græci cola vocant, in aduersum trahere, effingere, deligare, & supra has etiam, atque communiores manu operari, medicamẽto vti, & rationem victus præcipere, verum sanitas ipsa finis est, quem iam quiescente artifice demonstrare valemus. quare neque sanitatem custodire, aut vitiatam emendare, aut prorsus amissam recuperare finis est: sed omnia hæc actiones sunt, finis autem

eſt ſanitas.at communẽ generalémq; ſupra omnes haſce particulares actionẽ alius ſanè alio appellat nomine,omnes tamen vnum idémq;,ſed alio modo ſignificant, & qui ſanare dicit,& qui ſanitatem facere,& qui ſanitatis effectionem,& qui ſanationem:hi quoq; idem,quod proxime poſiti,dicunt, & medicationẽ morborũ dicẽtes,aut curationẽ,aut ægrorum medelam,aut mediuſfidius mederi,aut morbos extirpare,aut ſanitatem morbo pulſo inducere:item omnia,quæ cõueniant, facere,dicentes,& qui morbificas cauſas ſe expellere aiunt.nemo enim iſtorum finem, ſed quæ finem præcedit,actionẽ dicit,perinde atq; ſi circa corpus ars quædam actiua ſaltatoriæ hiſtrionicæq; ſimilis verſaretur. Verum enimuero poſteaquã multis rationibus artes non ex particularibus actionibus eſſe iudicandas aſſertum eſt, ſed in vniuerſales ac proxime ad finem eſſe recurrendum,deindéq; illarum ipſarum fines diſtinguere eſſe tentãdum, in ſequenti diſputatione ea eſt difficultas excutienda,nunquid de ipſarum materijs eadem ſit ratio habenda. Itaque materia vna pluribus artibus ſubijci,vnáq; ars permultis vti materijs videtur: quandoquidẽ lignũ nauium artifici,& carpentario,& machinarum ſtructori,& ædes fabricanti,infinitíſq; alijs materia eſt:creta quoq; multarũ eſt artium materia,& lapides,aliáq; vniuerſa.at medicæ artis,vna cum ſit,infinitæ materiæ ſunt,& corpus ipſum ſanitatẽ accipiens,& cibi ac potus,& medicamenta omnia,& vocata diætemata.hæc igitur medicorum materiæ:corpus autem tanquã id,ex quo finis,aut in quo.conſtat igitur non ex materijs artes eſſe iudicandas:neq; enim ſi quiſpiam alias cõmunes materias,vtq; aliquis dixerit,per accidens,alias vero proprias atq; propinquas ſingulę arti ſubijciens,quatenus corpus noſtrum naturale eſt,phyſicæ ſcientię ſubiectum eſſe dicat,quatenus ſanitatis capax,medicinæ,quatenus euecticum,id eſt bono habitu præditum exercitatoriæ,proprerea alio quopiam, quàm fine artes diſtinguit. nam corpus aliquod ſalubre dicere eius,qui iam finem cognoſcat,officiũ eſt.Neq; etiam ſiquis præceptis artes diſiungat,aliunde,quàm à fine poteſtate ſumit initiũ: propria nanque cuiuſq; artis præcepta finis conſtituit atq; diiudicat.igitur hæc artis propria ſunt,quæ dignoſcens aliquis ad finem aſſequendum proficit. ſiquidem grammaticæ,muſicæ,fabrilis,& aliarum cuiuſque artium quæcunq; pręcepta aut finem ipſum modo,aut ipſum melius,celeriúſve præbere valent,hæc artis propria ſunt.Itaq; omni ex parte ad finem properare,ab eóq; artes iudicare præcipit ratio: propter hunc enim & communibus,& proprijs præceptis atq; principijs differunt: nam hæc & ſecundum artium fines euariant.quandoquidem ſanitas finis eſt:hæc vero in calidis, frigidis, humidis, ſiccíſque conſiſtit. in iſtis planè & materiæ & contemplationis circa huius cognitionem principium verſatur:ſed diſſimili ratione medicus philoſophúſq; id tractat.quod ipſum à ſcientiarum fine cognitum eſt atque diſtinctum.neq; ab ea ſemper finem oratio inuenit omnium, quæ in artibus continentur, regulam atq; iudicem. nam cuiuſq; artis conſtitutio inde ſumit initium.Quis enim medicinã cõſtituere properaſſet,niſi ſanitatis bonum optauiſſet? aut ædificationem,niſi domum expetiuiſſet?aut textoriam,niſi veſte prius eguiſſet?quin & ars reliquas omnes conſtituens hinc & ipſa accepit initium.alibi vero à nobis oſtenſum eſt, quo quiſpiam modo propoſito fine ſuam ipſius artem artificioſe comperiat. eúmque,qui præſentem librum exacte intelligere cupiat , in illo prius verſatum eſſe neceſſe eſt:ita enim euidenter cognouerit, ſub vnam eandémque contemplationem vtranq; partem incidere,ſalubrẽ videlicet,atq; curatricem.

verũ si ego,quæ in alijs voluminibus à me latissime explicata sunt,in hunc omnia librum conferre velim, Menemachi Menodotiq; libros me prolixitate superaturum ignorarem.Cæterum artem circa corporis bonum versantem prorsum vnam esse ex anredictis(vt arbitror)satis declararum est,arq; ex dicendis in posterum nihilo secius declarabitur,non tamen quo ipsam nomine appellare oporteat,adhuc manifestũ est.neq; enim forsan medicatiua,neq; exercitaroria, sed aliud quippiam appellanda est,forsan autem & in totum ars ista,quemadmodũ & pleræq; aliæ,nomine caret,sed hoc paulo posterius speculabimur.Itaq; vnum esse humani corporis bonum,quicquid illud sit,sicut aliarum etiam omnium substantiarum,esse vero & de ipso artem vnam,siquid vnquam aliud,& id quoq; verum esse confirmo, necnon & eandem vtriq; methodum inesse. vna igitur circa humani corporis bonum arte versante in præsentia omnes eius particulas speculemur:nam sic & eius, quæ salubris vocatur,quæ sit potestas,prorsus dignoscemus,vt in hac etiam parte methodo aliqua vtentes sectionem faciamus,genus artis corpus nostrũ tractantis contemplantes. Verum non in sola ipsa contemplatione finem eius sitũ esse, sicut arithmeticæ,astronomiæ,ac physicæ,sed quiddam etiam & circa corpus ipsam facere,neminem præterit,quòd neq; verò in ipsa actione desinat, quemadmodũ saltatoria,postquam agere desijt,nihil ostendere valens,& id quoq; omnibus constare arbitror.Igitur in cõfesso est eam inter effectiuas aut acquisitiuas esse collocandam,postquam neq; inter actiuas neq; inter cõtemplatiuas inuenta est:sed neq; inter acquisitiuas numeratur, qualis est ars illa, quæ retibus & hamo pisces captat, vtq; in vniuersum dicã,qualis est venatoria:aliquid enim eorum,quæ sunt,istę capiunt,ac possident:nihil autem,quod prius non esset,ipsæ faciũt. inter reliquas igitur effectrices humani corporis ars reponitur. istarũ vero duplex officium est: aut enim aliquod integrum,quod prius nõ erat,efficiunt,aut ex parte vitiatum corrigunt.at quæ nũc quæritur,ars totum hominis corpus moliri nequit, sed per partes instaurare potest,perinde,vt vestium ars sarctoria,neq; ad eũdem,vt hæc,penitus modum.natura nanq; & corpus fabricatur & ipsum imbecillum confirmat,vt ars vestiaria:ipsius vero naturæ ministra est ars,quæ in præsentia vestigatur.cõceditur igitur,vt procedat oratio,nos ipsam correctiuam appellare.sed aut multum subito corrigit,aut pauxillum:quæ eius pars multũ semel corrigit,medicatiua curatiuáq; nuncupetur:quę vero pauxillũ,conseruariua.eius ipsius quoq;,quæ multum semel instaurat, permagna est differentia: omnis enim quantiras in multitudinem innumerabilem secari potest.at quia de ipsis dicere nõ est nobis in pręsentia propositum,hęc sanè pars dimittatur,illa vero, quæ pauxillũ emendat,diuidatur. At hæc quoq; insignibus differentijs tripartito distingui videtur. aut enim exactè perfectéq; valentem accipiens in hoc ipsum gradu cõseruat, hanc autẽ partẽ euecticen,id est,boni habitus seruatricem vocãt.alteram eorũ, qui iam morbũ euaserunt,refectricem, quam sanè & nonnulli recentiorum medicorũ analepticen, hoc est instauratricem appellant. inter vtranq; pars ea collocatur, quæ ab ipsis proprie salubris nominatur.cõmuni enim vocabulo & conseruatiua simul & salubris dicitur. tres igitur hæ partes conseruatiuæ modo enumeratæ analeptice, salubris, & euectice, sunt quidem omnes ab ea medicinæ parte, quæ exigua vitia tollit, inter se autem ratione maioris minorísque dissentiũt. magis enim parua castigat euectice,minus vero salubris,hac adhuc minus analeptice. quidam vero & quartam his

particulam adiecerunt,quæ ab his proprie prophylactice, id est præseruatoria vocata fuit,facultatem ei oppositā habentē,quæ à morbo proxime liberatos recreat. Hasce autē ambas ancipitis quodāmodo esse naturę inter cōtrarias totius artis partes nemo ambigit,dico autem inter eam,quæ magna vitia, & eam, quæ parua dissoluit.curatiua sanè pars,quòd magna vitia, euectice autē atq; salubris,quòd parua discutiat, id quoq; perspicuum est.in medio vero ambarũ interstitio instauratiua nominata atq; præseruatoria positę sunt,si ad salubrē euecticénq; comparētur, non exigua vitia emendantes,si ad curatiuā,nō magna.propterea & quicunq; ambas has partes neutras appellauerunt, haud male mihi sensisse visi sunt. sed de his alia est habēda oratio.In præsenti autē contēplatione de cōseruatrice artis humanum corpus gubernantis parte tria diuisionis mēbra supponantur, vnũ de corporibus secundũ habitudinem valentibus,alterũ de his,quæ in habitu sana sunt, tertiũ de bono habitu præditis.primúmq; instauratiuũ appelletur, nihil enim in præsentia cum illis de nomine digladiemur, secundum salubre,tertiũ euecticum,hoc est boni habitus conseruatiuũ,duo priora in melius ducentia,in optimo statu tertium conseruās.His ita positis ab initio agitatæ quęstionis meminerimus,erat autem(vt existimo)huiusmodi, vtrum ad medicatiuā,an ad gymnasticam pars salubris vocata pertineret.nō absq; ratione igitur inter initia sermonis nostri diximus, omnem quæstionē sub diffinitionē cadere:nam quid sit medicina,quid gymnastica cũ nouerimus,non amplius difficile fuerit inuenire,ad vtrā ipsarũ salubris referatur.ipsa quidē salubris quidnam sit,iam mihi manifeste explicauisse videor: aut enim tota pars cōseruatoria,aut ex illis tribus partibus vna,quę in medio versatur inter euecticen scilicet vocatā atq; analepticen : mihi reliquũ nihil aliud quàm de nomine controuersia esse videtur,res ipsa autē minime in obscuro versari tātisper, dum superius declarata cōcedantur,ac fixa permaneant. atqui cũ ipsa strictim atq; per capita recensuero,mox ad nominũ interpretationē me conuertā.Quemadmodum igitur bonorũ vestimentorũ,ædium atq; calceorũ, perinde & corporis vnam quandam artē esse cōstituo:cuius duas has esse partes,vnā efficientem,corrigētem alterā:ambásq; hasce naturę prius inesse,sed ipsarũ alteri emēdatrici scilicet humanam artem opitulari,quę & ipsa bipartito diuiditur,in curatricē partē seu medicatricem,atq; in alterā conseruatricē,quæ & salubris vocatur.ipsius vero tres partes sunt,analeptice,euectice,ac toti generi cognominis salubris. itaq; siue de conseruatrice parte, siue de eius particula quispiā quærat ad vtrā artē pertineat,an ad medicatricem,an ad corporis exercitatoriā,totā rem prius(vt nũc ego feci) perstringentem ita deinde ipsum explicare opus est.quòd vna corporis ars cũ sit, licet volenti eam medicinā appellare: sin hoc non placeat,exercitatoriam:sin id quoq; displiceat,totā artem nomine carere dicens vnam eius partē medicinā,alteram exercitatoriam appellato:si neq; id probas,salubrē quandā artē curatiuæ ex diuerso oppositam,eiúsq; partes(si velis)diæteticā, gymnasticámq; dicito. singula enim nomina si interpretabere,ita vniuersum,quod quærebas, indeptus fueris. At his auditis,quidam,heus vir bone, dicent,non quemadmodũ tu statuere voluetis, sed vt recte habet,nominũ partitio facienda est.Iterũ igitur istis ita respondeo,nostrā nō amplius de rebus esse contemplationem,sed nominũ explanationē nobis esse propositam, neq; id nos etiam tergiuersari, ac de nominibus non his solum, sed & de alijs omnibus illud in vniuersum pronuncio , nihil eruditum in medium adduci

posse.sed siue Assyriorum linguæ vocabulum sit,ab ipsis Assyrijs res discẽda est, cui nomen illud indiderunt,siue sit Persarum linguæ,aut Indorum,aut Arabum, aut Aethiopum,aut omnino aliorum quorundam,illos percunctari oportet:nomen enim ipsum per se solum prolatum nihil indicat.meam igitur sentẽtiam accepisti.cæterum nonnulli asserũt ipsis nomen aliquid significare, vnde huiusce rei causa ego permulta Celtarum, Thracum,Misyorum. Phrygũmq; nomina colligens iussi,vt à singulis rem significatã manifestarent:quibusdam antẽ in sola Græcorum lingua id se posse facere dicentibus,hoc vocabulum,λιμένα (Latine portum dicas)proposui,illis vero locum,quò naues applicant, significare affirmantibus:at Thessali,respondi,quod à nobis forum dicitur,ita nominant. sed isti Thessalicam linguam scire se negabant:tanquam illud ipsum confitentes, quod ab initio dicebatur,nullum nomen,cui rei inditum sit,aliter posse cognosci,nisi ab ipsis impositoribus edoctus fueris.cæterum aduersus ita demẽtes alia mihi oratio scripta est: res ipsas vero discere volenti, & præcipue ac maxime huic veluti optimo operi studenti,rerum præterea nomina mutuæ locutionis causa percipere cupiẽti,vsum mutuum interpretabor. neque id in rerũ omnium nominibus omnibus faciam:id nanque enarratoriæ cuiusdam,aut grammaticæ peritię munus est:sed attica potissimum nomina, secundo & ionica me cognoscere fatebor, nonnulla etiam dorica atque æolica: sed in hisce duabus linguis plura me ignorare, quàm scire, in attica verò plura me scire quàm ignorare concedam. quòd si tu & de nominibus loqui velis,Homerus vtique canit,

Vir medicus multis alijs tibi dignior esto
Dira venena trahens,& pharmaca mitia fundens
Multa salubria miscens,& lethalia multa,
Ditior est cunctis medicus mortalibus vnus:

Vtpote arte medica languida corpora medicamentis manuariáq; opera curante.

An vero & alia tertia medicationis pars diętetica appellata (latine cibariã dixeris) Homeri tẽporibus extaret,ego nulla id côiectura assequi possum.Sed me vetustior,& quem magis Græcorum res nosse verisimile est, Plato Philosophus antiquos Asclepiadas hac medicinæ parte non admodum vsos esse asseuerat.Verum medicinæ tres has esse partes,artémq; male habentia corpora curantem ab vniuersa Græcia iatricem, hoc est medicinam, appellari, nemo ferè est, qui eat inficias. Gymnasticæ autem artis nomen,Homeri seculo nondũ repertum erat, neq; quisquam omnino gymnasta(sicut medici nomen inuenies)vocabatur.queadmodum neq; etiam apud Platonem gymnasticę nomen frequenter reperire licet:sed pędotribam magis, quàm gymnastam huiusce artis professorem appellat. nam paulo ante Platonis tempora gymnastarũ ars exorta est, quo etiam tempore & athletarum exercitatio emersit . priscorum enim seculis vir quidam operarius naturalia munia exequens , vere bono habitu robustus in certamen descendens non lucta modo,sed etiam cursu certauit, atque etiam duobus his, & iaculo præterea, & arcu,& disco,& curru alios superauit:postea vero hæc disiuncta sunt,qualémq; Homerus vnum Epeum fecit ad cuncta quidem secundum naturam munia obeunda omnium ignauissimum , sed strenuum pugilem, cuius artis in solis certaminibus vsus est,tales omnes euaserunt,neque arare,neque fodere,neque iter facere,neque aliud quicquam pacis , ac multo minus belli opus egregie præstare valentes.

Horum hominum bonum habitum in superioribus vituperauimus, artémq; pariter gymnasticam ipsos instruentem: aliúmq; bonum habitum laudauimus tutissimum iuxta & ad omnes naturales actiones maxime idoneum: cuius materiæ effectiuæ simul & conseruatiuæ duæ sunt, & salubris vocata victus ratio, & exercitatio. quatuor nanque genere cum sint omnes materiæ, à quibus corpus nostrum cõmutatur, manuaria functio, medicatio, exercitium, ac victus ratio, vna est ægrotis inutilis, duæ vero secundum naturam sese habentibus. ægrotans nanque in multis medicamina, manuum operam, victúsq; rationem postulãs, nulla ex parte exercitatione eget: exquisite vero sanus corpus exerceat, & certa quadam victus ratione vtatur, necesse est, sed medicamenta, aut manus ministerium non requirit. Salubris igitur artis pars est gymnastice, abundéq; de vtroq; præcepit Hippocrates: quæcunque de aëris natura, locorum, aquarum, ventorum, anníq; temporum noscenda sunt, item de cibis, potibus, atque exercitationibus accuratissime omnia perscribens. ex istis enim victus ratio, quam diætam Græci vocãt, integratur, haud secus & de tempore, quantitate, ac qualitate nõ exercitationis tantum sed etiam frictionis copiose disseruit. Plato etiam à parte totum cognominare visus est, non salubrem artem, sed exercitatoriam appellans, cum quia exercitium beneualentium proprium est, tanquam nullo pacto ipso ægrotis vtentibus, tum quòd id solum moderatore egere iudicauit: quandoquidem exquisita sanitate fruens corpus naturalibus appetitionibus vtens, neque in quali, neque vsus tempore quicquam sumendis cibis erroris committet. sed de hoc alibi sermo habendus est. Quòd Plato autem aliam gymnasticam vt artis corpus regentis partẽ nouerit, aliam vero, quam nunc homines celebrant, ex his quispiam comprehendere poterit: tibi enim eius verba subijciam, primáque ea, quæ in Gorgia ad hunc modũ se habent: Duæ »res cum sint, duas esse artes dico, vnam animę, quam ciuilem appello, alteram cor»poris, quam & ipsam vnam quo nomine appellem non habeo: sed vna cum sit cor»poris curatio, duas partes nomino gymnasticam vnam, medicatricem alteram. Hoc loco vnam esse artem corpus curantem, quæ duas principes partes habeat, lucidissime Plato monstrauit. partésque ipsius esse nominatas, totam vero nomine carere, in optimúmque respicere, qui & bonus habitus dicitur, ex hisce declaratur. quorum singula in eodem libro pauloante explicauit: Corpus sanè vocas aliquid & animam? quid igitur & istorũ amborũ quendam esse bonum habitum non putas? ego vero aliquem apparentem bonũ habitũ, sed non vere bonum existimo: quod autem dico, tale est. plerique se corpore bene habere putant, quos haud facile quispiam non bene habere sentiat, nisi medicus, aut exercitatorum aliquis fuerit. Et in sequentibus, optimum istos intueri: quòd vero sit iucundissimum ab obsoniorum conditore, eóque, qui Græce commotes, latine comptor dicitur, spectari, ipse late declarat. Sed gymnasticam illam, qua instituuntur athletæ, graui quidem nomine decoratam, sed flagitiosam artem, nondum eousque extra naturæ limites progressam, quousque eam nunc protulerunt, iam vero non optimum finem, sed absolute virium, quibus aduersarij prosternantur, incrementum sibi proponere incipientem in tertio de republica libro vituperauit in hunc modum disserens. Et per Iouem omnium ferè potissimum, quandoquidem si vltra gymnasticam superuacua ista corporis diligentia producatur, nos occupat. nam & domui gubernandæ & militiæ & magistratibus in ciuitate gerendis incommoda est:

præcipuum vero ac maximum,quòd ad omnes disciplinas,cogitationes,ac meditationes capessendas difficilis per se est,capitis semper aliquas distétiones atq; vertigines reformidans, sapientiæq; studium eorũ ortus causam asserens. quare quicunque istius artis exercitio tenetur,atq; in ea probatur, vndiq; impedimentum virtuti obijcit:efficit enim,vt homo semper se ægrotum opinetur, neque de corporis habitu queri vnquam desinat. Adhuc inferius euidentius gymnasticæ finẽ nõ vires aduersatios prosternentes, sed vsum ad naturales actiones esse confirmauit ita dicens: Ipsas quidem exercitationes ac labores ad irascibilem naturæ partẽ respiciens,illámq; excitans subibit potius, quàm virium rationẽ habens, nec quẽadmodũ alij athletæ, corporũ roboris causa victum instituet, laborésque adhibebit. Vndíq; igitur Platonis sententia perspicua est Hippocratis mentẽ de huiusmodi gymnastica exquisite probantis,cuius gymnasticæ finis est athletarũ bonus habitus:ipsam enim tanquã ad omnia ciuilia negocia inutilem vituperat,quod breui oratione ille complexus ita pronunciat : affectione athletica non naturali salubris habitus melior est. quòd ipsorum vero maxime excellens affectio, ad quam potissimum propetant,ad sanitatem periculosa est, quódq; id Hippocrati Platonique ignotum non fuit, & alibi à nobis dictum est. Cæterum quoniam semel de hoc non vere bono habitu,déq; vitiosa gym[...]tica sermonem institui:& hæc iterum,quàm paucissimis potero,perstrin tollit, ide[...]n in quadam moderatione sanitas sita sit,huiusmodi gymnastica intempe x dicetur: ssúmque molitur,multam & solidam carnem procreans,sanguinísque vt ita dica àm tenacissimi adaugens:neque enim vires tantum,sed etiam molem pondúsque corpori adijcere conatur,vt hac etiam ratione aduersarius opprimi valeat. neque igitur amplius reperire difficile est,artem hanc omnibus naturalibus actionibus esse inutilem,& alioqui periculis obnoxiam. quod enim in omnibus veris artibus maximum studium est ad summum eius,quod appetitur, peruenire,id in ista pessimũ est:cum eam affectionem, quæ ex sententia Hippocratis præter naturam est,tanquã naturalem adipisci contendat. Siquidem naturæ bona quò procedunt magis,crescunt atque augentur,eò meliora euadunt: non naturalia vero tanto deteriora sunt, quanto maiora. vnde istorum nonnulli repente obmutuerunt,alij sensum motúmq; amiserunt,ac penitus attoniti facti sunt, mole ista præter naturam ac multitudine insitum calorem extinguente,liberúmque spiritui transitum intercludente: quicunq; autem ex ipsis mitiora patiuntur,effracto conceptaculo sanguinem vomunt aut expuunt. huiusce igitur boni habitus opifices, quorũ hæc mirabilia sunt volumina,quæ à corruptas aures habentibus in præsentia circunferuntur, iam prorsus ab hoc nostro libro ablegemus,siquidem tu quoq; charissime Thrasybule cognoscis,istos neq; dignos esse,vt à me responsionem accipiant. quid enim istis plus erit, qui heri aut nudius tertius præter naturam crapulari atque dormire desierunt,ad tantúmque audaciæ peruenerunt,vt de rebus illis temere impudentérque contendant,de quibus neq; illi facile pronunciare audent,qui iamdiu earum cohætentiam pugnantémque naturã assequi studuerunt? quod nam isti profundum eruditum grauéq; præceptum condiscere poterunt? mirandum esset mediusfidius,si cum neq; illi omnes, qui à primis pueritiæ temporibus in optimis disciplinis versati sunt, boni huiusce contemplationis iudices esse valeant: illi, qui sese in certaminibus ad vincendum exercuerunt,degeneres autem & ibi victoria caruerunt,repẽte gymnastæ

effecti ſoli mentis acumine præcellant. vigilia nanq; cogitatióque non rudis, magis quàm ſomnus, perſpicacem intellectum reddunt:idq; ab omnibus ferè hominibus, quoniam omnium veriſſimum eſt, adagium decantatur: Craſſus venter ſubtilem mentem non parit.forſan igitur puluis adhuc ſolus ſapientiam ipſis cõparauit.nam lutum,in quo crebrius volutati ſunt, quis ſapientiæ conditorem eſſe arbitretur,& ſues cernens in ipſo conuolui:at non in latrinis,inter quas quotidie vitam traduxerunt, par eſt ingenij ſolertiam procreari. atqui præter hæc nihil aliud ipſi agebant.omnem enim ipſorum vitam in hoc circo verſari conſpexi,aut edentium,aut bibentium,aut dormientium,aut ventrem exonerantium,aut ſeſe in puluere lutóq; voluentiũ.His itaq; dimiſſis(veras enim artes & nõ ſceleratas contemplaturi in hunc ſermonem incidimus)legitimæ gymnaſticæ authores iam acceſſamus Hippocratem,Dioclem, Praxagoram, Philotimum, Eraſiſtratum,atq; Herophilum, & quicunque alij totam artem ad corpus pertinentem didicerunt. proxime vero Platonem loquẽtem audiuiſti,eius nullum eſſe proprium nomen. ne igitur totius artis corpus cutantis vnũ nomen quærito, neque enim inuenies. Verum ſi forte de ipſa ſermonem habere inſtitueris,contentus ſis Platonẽ imitatus ira diſſerere:vna cũ ſit corporis curatio,duas eius partes appello, vnam gymnaſticem,alteram curatricem,ſano[illegible]n quidem gymnaſticem,ægrorum vero curatricem.Sed illud magis conſide[illegible] quandoq; [illegible]gnum,Platonem non ſalubrem artem curatrici in partitione oppoſuiſſ[illegible]is, neque [illegible]odum antedicti omnes viri fecerunt: quorum vnius(ſi placet)memin[illegible]et.ſed de h[illegible]am eius volumina paſſim celebrantur. Inquit igitur Eraſiſtratus in prim[illegible] De tuẽda ſanitate.neq; enim medicus inueniri poteſt,qui ſeſe ad tractãda ſalubtia contulerit.deinde ſubiungit,cruditates enim ab aliquo affectu prouenientes & ipſarũ curationes ad medicatiuorũ non ad ſalubrium tractationem rediguntur.deinde iterum progrediens addit, ſiquod vero in corpore vitium extiterit,propter quod aſſumpta ſemper corrumpuntur, neq; in æque malos ſuccos,ac ſunt priores,conuertuntur,huiuſmodi affectionem medici eſt,non tuendæ ſanitatis magiſtri diſſoluere.item paulo poſt,præcipere de his,aut has diſcutere medicos non ſalubres decet. Videtur enim iſte non artem quandam ſolum,perinde vt alij omnes,ſed etiam eius profeſſorem ſalubrem appellare,quẽadmodum,vt cenſeo,& medicatiuæ profeſſorem medicum vocat, vt artis corpus curantis,cuius nullum proprium apud Græcos nomen erat,in duas principes partes diſtributæ,ſicut ipſas partes medicatiuam ſalubrémq;,ita & earum profeſſores medicum ſalubrémq; appellemus.eodem modo autem & plerique alij medici nominibus vſi ſunt. Cæterum,vt videtur, Platonis temporibus nondum Græci aut artem ipſam, aut eius profeſſorem ſalubrem appellare conſueuerunt.neque enim Hippocratis liber ſalubris, ſalubris inſcribitur, ſed alius De ratione victus, alius De aquis aëre & locis inſcribitur:forſitan autẽ (vt proxime retuli)neq; ſanis opus eſſe ratione victus Plato opinabatur, ſed ipſis gymnaſticam ſolam ſufficere:neq; enim inſtautatiuam partem,aut præſeruatiuã ad gymnaſticam fortaſſe pertinere exiſtimat:medias enim ipſas(vt dixi)collocatas vtri volueris,adijcere potes:quòd ſi ipſas medicatiuæ adiungas, exigua erit ſalubris portio de aëre,aqua, locis, exercitationibus,cibiſque tantũ conſiderans:atqui neque de cibis omnibus,ſed de illis tantũ, qui ad ſecunda fruentes valetudine pertinent: Quinetiam fortaſſe cũ aëris regionum aquarúmque notitiam medicus præoccupauerit,vtpote curatiua parte

ante constituta, nihil amplius de ipsis non solum medicis, sed etiam salubribus instituendis præter artem exercitationum rationem rradentem discendum superest. Quamobrem neque absurdum fuerit & à parte nomen habenre totum appellari. verum hæc de nomine est, non de re, disputatio. At si quispiam (quod & supra posui) id ipsum perspiciens non de re, sed de vocabulo institutum esse sermonem, me & de hoc aliquid dicere præcipiat, melius eos fecisse dixero, qui duas rotius artis principes partes salubrem, curatiuámq; appellarunt: quandoquidem in diuidendi methodis didicimus eiusdẽ generis res per opposita membra partiri. exempli nanq; gratia de animalibus dicens alia esse aërea, alia aquatilia, si addat, alia rationalia, perabsurdum euidenter faciet: nam prior partitio ignea terrestriáq; adiici postulabat: hæc enim proportione aerijs, aquatilibúsque respondent: secũda vero in diuidendo rationalibus irrationalia opponi requirit, ac eadem ratione mortali quidẽ immortale, fero domesticũ, pedestri volucre natatiléq; opponitur: extremæ nanq; dementiæ est animalium aliqua immortalia esse dicere, aliqua pedestria, aliqua bipeda: ad eundem sanè modum in arte corporis præside siquis eam partiens inuenire partes quærat, ægros curantem medicatiuam, sanis consulentẽ salubrem appellabit: quin immo etiam melius, vt & nos antea dicebamus, ars corporis curam habens emendatrix cũ sit, qua parte magna vitia corrigit, medicatiua ceu medicatrix nominabitur, qua vero exiguas noxas tollit, ideóq; præ exiguitate, nũ etiam corrigat, sensum subterfugiens, conseruatrix dicetur: quinetiam aptius à materijs has partes morbidam, siue ægritudinalem (vt ita dicam) vnam, salubrem alteram appellaueris. quòd si rursus velis salubrem ceu conseruatiuam partiri (vtroq; enim modo licere appellare dictũ est) à subiecta ipsam materia in tria diduces, vt supra retulimus: in refectricem vocatam, & in salubrem secundũ habitum, & in boni habitus effectricem: nam singulis dictis partibus propria materia subijcitur, vni secundum habitudinem valens corpus, alteri secundũ habitum, tertiæ bono habitu præditũ. accidit enim ipsa corpora eodẽ cũ partibus artis nomine appellari. quòd si secundũ auxiliorum materias artem hanc salutarem, conseruatricémq; distribues, in quatuor partes secabitur, vna siquidẽ in assumptis, altera in his, quę fiunt, tertia in his, quæ euacuantur, quarta in forinsecus occursantibus versatur. per hæc enim sanitas custoditur. pars igitur salubris artis in his, quæ assumũtur, versans, ciborũ 1. potionúmq; ad sanitatis custodiã pertinentium scientia est: quæ vero in his, 2. quæ euacuantur, sudores, deiectiones, vrinas, in vniuersúmq; omnia, quæ corpus nostrũ excernere debet, cõsiderat: quæ exterius incidentiũ est, aërem, aquam, salsugine͂, 3. mare, oleum, aliáq; huiusmodi omnia speculatur. at quarta pars artis, quę superest, 4. in his, quæ aguntur, posita, exercitationibus, appellatísque Græce epitideumatis, hoc est, studijs, continetur: insomnietas nanq;, & vigilia, somnus, venus, ira, curæ, lauatio ex hoc genere sunt. atque singulorũ enumeratorũ salubrium quantitas, qualitas, occasio dignoscenda est. Quantula igitur salubris artis pars est de exercitationibus scientia? rectius enim puto gymnastica ars appellabitur, quæ omnium exercitationum facultatis cognitio est, nam quæ ad palæstram solum pertinet, cognoscere, perquàm exiguum est, omnibúsque mortalibus minime vtile. quandoquidem nauigare, fodere, metere, iaculari, currere, saltare, equitare, venari, armis certare, ligna findere, baiulare, & agrum colere, omniáque alia secundũ naturam facere, quàm lucta exerceri, melius est. vnde tibi iam intueri licet, nõ modo

ſalubris artis quota ſit portio gymnaſtica, ſed etiam gymnaſticæ minimam eſſe particulam luctandi ſtudium, huícq; cognatum athletarum exercitium, & affectionis cuiuſdam non naturalis effectiuum, vitioſámq; artem ſibi præpoſitam habens optimũ quidem boni habitus finem præ ſe ferentem, ſed omnia alia potius, quàm bonum finem producentem. At huius improbæ artis iſti miſere luctati repente ſcientiſſimi euaſerunt. veræ autem legitimæq; gymnaſticæ Hippocrates & nuper cũ ipſo enumeratus illuſtrium virorũ cœtus magiſter eſt. Quemadmodũ vero ad curatiuam partem pertinentia non rite omnia tradita ſunt: perinde & de exercitationibus non vera omnia præcepta tradidere: verũ in præſentia perperàm de ipſis locutos caſtigare propoſitum non eſt, ſed gymnaſticæ nomen declarare: quòd ſcilicet hæc facultatum in exercitationibus poſitarum quemadmodũ & medicamentaria facultatũ in medicamentis repertarum, ſcientia quædam eſt. ambæ enim hæ partes à materijs denominationem ſortitæ ſunt: ſicut & aliæ, quas paulo ante recenſui. Atque hinc eos male ſentire conſtat, qui in diuidẽda tota arte gymnaſticam medicatiuæ opponunt: illa nanq; à materia, hæc à generali communíq; actione appellationem habet. ſingulæ enim primæ actiones hæ ſunt, veratro aut ſcammonio exempli cauſa purgare, venam ſoluere, os excidere, inediam indicere, cibum exhibere, poſt has aliæ cõmuniores, ac iam vniuerſales, medicari, manus opera vti, rationem victus inſtituere, omnibúſque iſtis commune mederi. quemadmodum, vtputo, iterum actionibus circa ſana corpora accommodatis omnibus communis eſt conſeruatio: ac quiſquis per diuiſionem medicatiuo conſeruatiuum opponit, cognatorum oppoſitionem facit: vtrunq; enim ab actione nominatum eſt: quemadmodum rurſum à ſubiecta materia ægritudinale atq; ſalubre: ab auxiliorum autem materia medicamentarium ac gymnaſticum, hoc eſt, exercitatorium. illud enim ægritudinalis & medicatiui pars eſt, hoc ſalubris & conſeruatiui. Cæterum hoc loco diligenter mentis acies excitanda eſt, ne gymnaſticum palæſtræq; præfectum eundem nos efficere, totiúſque gymnaſticæ particulam quandã luctatoriam (vt ita dicam) conſtituere nos prætereat: quãdoquidem & qui luctas omnes & frictionum ſingillatim omnes actiones rite obire valeat, iſte panifici, coquo, ædificatori proportione reſpondet, facere quidem panes, obſonia, ædes ſcientibus, minime tamen quid in ipſis optimum ſit, quid non optimum intelligentibus, quámve facultatem ipſorũ vnumquodq; ad ſanitatem habeat, nõ dignoſcentibus. Itaq; ars, quæ corpus humanum curat, vt crebro ante repetitũ fuit, vna eſt, aliæ vero huic materias comparant: neq; enim alutarij cerdones, quibus calceatis, quibus ſine calceis ambulare melius ſit, nouerunt, ſed neque quibus calceari quidem melius eſt, quo tamen calceorum genere vti debeant, compertum habent. id autem Hippocrati haud ignotum eſt: cuidam enim arbylis lutum calcantibus calceari præcepit, non tamen ipſe arbylas conficeret. quemadmodum neque imperator galeam, loricam, haſtam, clypeum, gladium, aut ocreas conderet. præterea neque ædificator de excelſa aut parua domo quicquam nouit, aut de conuerſa ad occidentem, aut orientem, ad auſtrum, aut ad aquilonem, neq; de frigida, aut calida, aut tenebricoſa, aut illuſtri, aut de humili eius parte, ſiue ſuperiore, aut de humida, vel ſicca: quam vtilitatem iſta ſingula, quámve noxam afferant. perinde vt panifex cuinam puriſſimus panis, cui furfuraceus, cui multus aut paucus, quóve tempore ſit dandus, ignorat, ipſos vero panes egregie conficit. eadem ratione &

coquus lentem,hordeum,alicam, ſeu chondrum græce, betam, aut aliorum aliquid nullius ipſorum vires cognoſcens,eſui ramen apta reddere peritus eſt.id genus artes materias omnes arti corporis curatrici ſubminiſtrant, quemadmodum & iſtis aliæ, panifici quidem frumentum agricola, furnum figulus,arborum ſuccisor ligna, carpentarius menſam, carpentario autem ipſi rurſum alius aſciam, amuſſim alius, item alius ligna. at alutario cerdoni itidem cultrum fabrilis ars, coria pellium concinnatrix, pedis effigiem, calopoda Græci vocant, carpentaria. ædium quoque ſtructori ſculptores,lapicidæ,later figuli, & carpentarij; illi quidem lapides,iſti lateres,hi vero ligna idonea præparant.omnes igitur id genus artes mutua ope indigent, & perfectioribus materias, ex quibus finem ſuum aſſequuntur, ſuppeditant: & inſtrumenta optima, per quæ illas adornant, efficiunt. Omnibus his autem ceu quædam architectonica ars corporis curatiua præſidet: ſiquidem ædificatoriæ,vt tales quaſdā ædes extruat, præcipit,calceariæ calceum, panifici panem,culinariæ obſonium,aliiſque ſingulis,vt quæq; apta eſt,quid actura ſit,imperat. Sed huiuſce artis corpus curantis, ſalubris appellata pars eſt,cuius quadripartito diuiſæ partis vnius gymnaſtica particula eſt. ea igitur tot artium veluti quædam princeps habetur, equeſtri ſanè quando equitare oporteat, venatoriæ ſimiliter,& vniuerſim cuilibet alij animalia captanti,cum ipſarum vſus poſtulat, modum, occaſionem, qualitatémque demonſtrans: haud abſimili ratione & fodientibus,& metentibus,& ligna cædentibus,& nauigantibus,& ſaltantibus, & quodcunque aliud agentibus præſidens ipſa dominatur atque imperat. Vna quædam inter id genus artes & illa eſt,quæ in luctationibus verſatur.appellemus autem eam,ſi lubet,græco vocabulo pædotribicam: hæc enim eorum nihil intelligens,quę ad vtilitatem noxámq; corporis faciunt,decentes,varias,ſternendi vim habentes,faciléſque ac minimo labore apprehenſiones ſimul, ac motiones, haud minus,quàm ſaltatoria,comperijt. verum hæc corporis curationem non vſurpat: at iſta pædotribica, neſcio quomodo, præ nimia ſenſus hebetudine veluti ſeruus attonitus in optimum herum gymnaſticam ſcilicet inſurgit.Quemadmodum ſiquis armatus miles,aut eques,aut ſagittarius,aut funditor, aut iaculator imperatori aciem ſtruenti,armanti, & in prælium educenti, rurſúmque receptui canenti pertinax aduerſetur: inſaniret enim & iſte,ſi imperatorē ad priuatas actiones prouocans atq; laceſſens, in iiſque præſtantior inuentus, aut communicari ſibi imperium dignum putaret,aut ſuam ipſius artem imperatoriæ partem exiſtimaret:nihilo ſecius arbitror & pædotriba inſaniat,aut gymnaſticam ſcire ſe, aut eius partem poſſidere perſuaſus,cum ſeruus tantum ſubiectúſque ſit.vt enim miles artis imperatoriæ,ſic pædotriba gymnaſticę miniſter eſt.ipſe nanque quatenus exercet, exercitatoriæ,quatenus vero luctandi artē exercet,alterius cuiuſdam profeſſionis miniſter eſt,quam ego proſtratoriam recenti vocabulo appello.non ſolum autem eos ita appellant,qui athletas exercent,ſed etiam gymnaſtas: nihilominus ſecundum rei veritatem aliud eſt ars pædotribica,quemadmodum ſagittaria:proſtratoria vero,qualis eſt imperatoria:at gymnaſtica,qualis eſt medicina: duabúſque artibus præpoſitis hæ ſingulæ deſeruiunt, ita enim & alutaria, vt militi optimum calceum paret, ab arte imperatoria docetur: vt ad ſanitatē vero idoneum ſtruat, ab arte corporis gubernatrice admonetur.necnon & culinaria ſalutare obſonium medico ſalubríq; concinnat: guſtatui vero iucundum ac voluptarium, non am-

plius id arti cuipiam, sed adulationi potius cuidam finem sibi non sanitatem, sed voluptatem proponenti.igitur & luctatoria id,quod ad sanitatem bonum est,salubribus & gymnastis vocatis adipiscitur: quod autem ad affectionem athleticā pertinet, illi vitiosæ arti sæpius à me repetitæ, seipsam quidem gymnasticam appellanti, rectius autem prostratoriæ nuncupatæ, nanciscitur. Lacones vtique & ipsam cabbalicen,id est vim sternendi habentem,nominant: eúmque magis cabbalicum,non qui robustior,sed qui magis in hac arte versatus fuerit, nominant. Verum enimuero omnis bene instituta respub. hoc genus artis odit, ac detestatur, quæ omne vitæ robur vímq; prosternat haud in bonam affectionem corpora traducens. Ego itaque plerunque multis athletis,qui præstantissimi esse videbantur,quíq; multas in certaminibus coronas meriti sunt,me ipsum valentiorem esse expertus sum: quandoquidem in omnibus itineribus faciendis, in militaribus actionibus,magis præterea in ciuilibus,atque rusticis negocijs inutiles prorsus reperiebantur. siquando vero & amico ægrotanti assistere vsu veniret, in consulendo, prouidendo, auxiliando omnium erant ignauissimi: atque hac ratione à suibus quidem minime ingenio differunt.nihilominus tamen inter hos infelicissimi nulláque vnquam victoria insignes repente se ipsos gymnastas nominant. deinde (vt arbitror) inconcinna barbaráque voce non minus, quàm sues vociferantur. nonnulli autem ipsorum & de frictione, aut de bono habitu,aut de sanitate, aut de exercitationibus, volumina scribere aggrediuntur: deinde illis detrahere contradiceréque audent,quæ nullo vnquam tempore didicerunt,vt quidam proxime in Hippocratem inuectus tanquam non recte de frictione tractantem. verum nonnulli,qui aderant, medici & philosophi ad me venientes, vt totam ipsis huiusce rei rationem explicarem, à me petiuerunt: quod cum fecissem, omnium primus Hippocrates hunc locum optime tractasse visus est. tunc gymnasta ille sponte nullo docente eruditus in medium repente prodiens, puerúmque exuens nos eum iussit fricare atque exercere, aut de frictione exercitationibúsque tacere. deinde clamans dixit: quando enim vnquam Hippocrates in arenam, quando in palæstram descendit,qui neque forsan rite oleum infundere sciebat? ad hunc sanè modum iste vociferabatur, & alioqui neque tacens audire, nec quæ dicebantur, intelligere poterat.at nos præsentibus quiete modestéque disserebamus improbū illum hominem perinde facere, vt coquus ac panifex de ptisana ac pane disputare audentes, deinde clamitantes, quando Hippocrates in culina aut pistrino versatus est? paret igitur mihi placentā,aut panem,aut iusculum condiat,aut aliquod ferculum sartagine coquat,atq; ita deinde de ipsis sermonē faciat.Cæterū fortasse dixeris, cur Hippocratem omnémque ab ipso manantem sectam medicos nominamus,si non vniuersæ arti corporis gubernatrici,sed soli eius parti,quæ laborantibus opitulatur,id nomen indidimus? videtur enim medicus totam artem complecti:vt neque eam partem,quæ de exercitationibus est, negligat. Hanc huiusce rei fuisse causam suspicor,quoniam cum prima totius artis pars curatiua,quòd & maxime vrgeret,constituta sit:deinde per multum ocium consetuatiua salubrísq; vocata ei adiecta fuerit,totā artem à præcipua magis parte denominari contigit, queēadmodū & in alijs plerisq; fieri assolet. quādoquidē & geometras appellamus nō circa planas solū figuras, verumetiā circa solida versantes,nullúsq; his temporibus inuenitur,qui vt geometra,sic & stereometra nominetur:sed nomen deficit.

vt etiam ſalubrium non corporum,non ciborum dico ſalubrium,ſed virorum iſta ſcientium ab Eraſiſtrato medicis ex aduerſo diſtinctorũ. pariter & trierarchas veteres Græci triremium principes nuncupabant: nunc vero omnes vtcunque nauales exercitus duces,etſi triremes non ſint,eo nomine appellant. huiuſce rei quoddam ſimile circa medicinam atque medicos euenit:à prima enim conſtituta parte, vt & ipſa tota corporis gubernatrix ars medicina,ipſe artis profeſſor,medicus nominaretur, tempore procedente effectum eſt. quam ob rem neq; ab re nunc quiſpiam interrogatus,cuiuſnam artis pars ſit illa facultas,quæ tuendæ ſanitatis notitiam tradit,medicinæ reſpondere poterit:latius nanque fuſo & amplificato vocabulo neque adhuc partem,ſed integram humani corporis artem ſignificāte,Hippocrates,& omnes,qui hac tempeſtate florent,iure medici nomen inuenerunt,artiſque ipſius duas maximas partes cognouerunt, curatricem ſcilicet atque ſalubrem: itémque ſalubris ipſius partem eſſe gymnaſticam ſciunt, quemadmodum à nobis ſupra diſſertum eſt. Itaque ſicut Hippocrates, Diocles, Praxagoras, Philotimus,atque Herophilus totam corporis præſidem artem,vt ipſorum teſtantur volumina, callebant:ita ſanè Theon, atque Trypho vitioſam illam athletarum artem tractātes, quemadmodum item & ipſorum libri declarant,præparationem quoddam exetcitium nominant:rurſum aliud partitionem,aliud vero perfectum, item aliud apotherapiam: quærúntque num ſecundum talem circuitum exercere athletam oporteat: an non oporteat, ambigunt: Quomodo ergo ſalubrem facultatem huius iſtorum artis partem eſſe intelligam? quando enim hæc neque veræ gymnaſticæ pars, ſed contrà ſalubris facultatis illa pars ſit,quid opus eſt de flagitioſa iſtorum arte dubitare? quæ cum neque artis corpus curantis vllo modo pars eſſe poſſit,cuidam præterea exercitationi præſidet,quæ non ſolum à Platone atque Hippocrate, verumetiam ab alijs omnibus medicis atque philoſophis contemnitur.

Claudij Galeni Pergameni ad Thraſybulum libri finis,
Iunio Paulo Craſſo Patauino interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE INSTRVMENTO ODORATVS LIBER,

Ludouico Belliſario Medico Mutinenſi interprete.



Doratum nominant,nõ ſolum odoris ſenſum,ſed etiam vim ipſam, cuius odorandi officium eſt. ſic non ſolum earum rerum ſenſum,quæ in guſtatum cadunt, ſed etiã vim guſtandi,guſtum appellant.idem tamen in vtraque ſignificatione odoratus inſtrumentũ eſſe putandum eſt. ſic,vt oculo & linguæ proportione reſpondeat. hoc igitur primo rationis ingreſſu naſus eſſe videtur: quandoquidem ſi occluſis naribus ſpiritũ ore adducimus, odorem nullum ſentimus. ſin autem ſpiritum apertis naribus attrahimus, odor ſenſum protinus mouet. An igitur membrana ſiue tunica (nam vtroque modo nominant) quæ naribus ſubſternitur, odores dignoſcat, dignum inquiſitione videtur:ſiquidem non os naſi,aut quidquam intra os odoratus inſtrumentum eſt. Siquis igitur ſibi nares aut odoramentis, aut alia re vehementer olente impleat, non ante odorem percipiet, quàm ſpiritum attraxerit. quam ob cauſam quibuſdam naſus ſemita quidem olentium rerũ videtur:at ipſum corpus,quod odores ſentit,ſuperius eſſe alicubi locatum.qua de re neceſſe eſt corporum,quæ naſi ſpiraminibus continua ſunt, cognitionem habere,eámque ex diſſectione membrorum,quam anatomen Græci nuncupant.ſed quoniam non omnibus hæ partes cognitæ ſunt, ſatius eſt, quonam modo conſtitutæ ſint, exponere. Cum naſus igitur in ſe ſeptum quoddam per media loca deductum habeat,duóq; foramina ſatis conſpicua, hæc inquam,quæ cernuntur & in ſingulis naribus ſingula ſunt:ſciendum eſt,eorum vtrunq; ſupra media naſi loca in duas partes eſſe diuiſum,quarũ altera pars oris intima excipit: altera alta,vt ab initio conferebatur, ad ipſum cerebrum ſcandit:quod & ipſum foramina duo ad hæc ipſa loca ſpectantia habet, eáq; oblonga, & concaua, quæ ex anterioribus cerebri ventriculis ortũ habent, & ad eam caluariæ partem, vnde naſus oritur,deſcendunt. quo loco oſſa coli ſimilia, quaſi colatoria dixeris, poſita ſunt. quorum quæ vtilitas ſit, ſatis ex ipſo nomine declaratur. membrana autem ea,quæ craſſa eſt, ea parte qua oſſibus modo nominatis ſubſternitur,minutis eſt foraminibus traiecta,per quæ primum quæ craſſiora cerebri ſuperuacua ſunt,tranſmittũtur:quæ cæteráq; ſimilia de more ab Ariſtotele orto, perittomata, id eſt,excrementa nominantur.nam quæ vapori ſimilia ſunt,in ſublime lata per caluariæ ſuturas excernũtur. quæ vero craſſa ſunt,vt muccus, prona feruntur: primúmq; per craſſam membranam,deinde per oſſa coli ſimilia traiecta, randem in ipſas nares incidunt. ſed tamen dum hæc ita defluunt,pars eorum in os per ea foramina,quæ à naribus in ipſum tranſire diximus,interdum delabuntur:muccúſque,qui craſſior eſt,præſertim ſi & glutinoſus ſit,in duas partes ſic diuiſus, vt altera in eas vias, quæ ad os pertinent,interdũ influat,alrera in nares,vtrinq; excernitur: è naribus, per efflatum vehementem:ex ore,per ſcreatum.naſi autem foraminibus,quæ recta ſunt, & ad oſſa colo ſimilia aſcendunt,itémq; iјs,quæ obliqua,vt in os ipſum traducta ſunt, exanguis tunica

crassior quàm membrana substernitur: quæ ei runicæ continua est, quæ totã oris circunferentiam interiorem linguámq; complectitur, & fauces, vt primam asperæ arteriæ partem, quam larynga græci vocanr, & totã asperam arteriam, & gulam ambit. in quam tunicam, quæ vna est, & sibi vndiq; continua, & in omnibus memoratis partibus eandem substantiæ speciem habere cernitur, quanquam non æqualem crassitudinem, nerui quidam à cerebro orti distribuuntur, & ij qudem exiles, exceptis ijs, qui in linguam inseruntur: quibus natura satis crassitudinis dedit, propterea quòd partem hanc acutiori sensu præditam esse oportuit, quippe quam natura gustatus instrumentum esse voluit. similẽ ob causam nerui etiam crassiores ijs, quos lingua recepit, oculis dati sunt, post quos auribus, & ori ventriculi. quandoquidẽ & ipsum acumine sensus plurimũ valere oportuit, vt, cum sermo de eo haberetur, demonstratum est. vt igitur oculus visus instrumenrum est, auris auditus, lingua gustatus, sic ventriculus cibi & potionis appetendæ instrumentum constitutus est, præsertim eius os. vim vero tangendi valde hebetem natura creauit, nec eam certo loco seclusit, quod in ijs omnibus fecit, de quibus modo dictum est: sed in vniuersum corpus distribuit. itaque ei neruos minores dedit, eosdémq; duros, qui maxima ex parte à spinali medulla ortum habent. in partes vero, quas supra nominaui, neruos & maiores, & molliores inseruit, eosdémque omnes à cerebro orientes. cernendi igitur instrumentum natura lucidissimũ fecit, vt quod lucem tantũ sentire debebat. quod autem ad auditum attinet, aëris similem constituit, siquidem ad sonos, qui vehuntur aëre, recipiendos dicauerat. sic & quod sapores dignoscit, quod linguam appellamus, ex humidiori corporis substantia molita est. aliquid vero, quod inter naturam aëris & humoris est, in odorandi sensum cadit: quod neque ita tenue est, vt aër, neque ita crassum vt humor: id enim, quod à rerum corporibus exhalat, odoris substantia est, quod ex rosis maxime, similibúsq; quæ sic tenera sunt cognoscere licet, quorũ omnium corpora celeriter minora & sicciora redduntur. ex quo aperte intelligitur ex earum rerum substantia partem humidiorẽ in halitum digeri. Sed iam odoratus instrumentũ quæramus: primúmq; constitutionem partium, quæ naribus continuæ sunt, consideremus: deinde propria actionis accidentia. Cum igitur in vtroque nasi spiramine tunica ossibus obducta sit, quam & eiusdem naturæ, & continuam cum ea esse diximus, quæ os linguámque & fauces ambit, quanquam eo differat, quòd tenuior est: aut hæc instrumentũ odoris sentiendi statuenda est, aut os ipsum nasi: quandoquidem pars tertia nulla relinquitur. sed ossi non modo non odorandi, sed ne tangendi quidem sensus datus est. tunica vero, quæ intus substernitur, vt ei simillima est, quæ cælum capitis & palatum ambit, sic eandem superare sensus acumine non potest. poterat tamen sola neruorum magnitudine præstare, vt lingua fecit: at nec ea re præstare cernitur, sed neruorum tantum adepta est, quantum ad sensum tactus necessarium erat. item natura eius tunicæ substantiæ earum rerum, quæ odoratum mouent, non respondet. at reliquæ respondent: quandoquidem gustandi instrumentum humidum & spongiosum est: quod vero ad tactum attinet, durum ac terrestre, cum natura in fabricandis cuiusque sensus instrumentis similitudinem sensibilium secuta sit. itaque & odoratus instrumentum vaporis simile esse oportebat, non durum, & terrestre, vt tunica, quæ naribus indita est. quæ non solum talis est, sed etiam neruis iustæ magnitudinis catet, quos certe ha-

buisset,& in ea re linguæ prælata esset, cũ in ordine instrumentorũ sensus tertium locum ad dignoscendam tenuem substantiam teneat. neruus enim qui animali ad cernendũ datus est,ad id magnitudinis peruenit,vt eo multo maior sit,qui ad os ventriculi deductus est,quamuis non in oculum totũ distributus sit,sed crystallinum corpus tãtum attingat:hoc enim, vt aliàs demonstrauimus, pręcipuum cernendi instrumentum est. auditus autem foramen, cuius interior terminus valde exiguus est, qui neruum excipit, tantum nerui & ipsum accepit, quantum magnitudinis suæ ratio ferebat. nec vero linguæ nerui à cerebro orti exiles tributi sunt. ergo nec id instrumentum, quod ab odore mouetur, gracilem à natura neruum accepisset, vt is, qui in narium tunicas distributus est. atque hoc idem vaporis simile esse necesse est:talis enim est odorũ substantia. Ex quibus rebus efficitur, vt ipsi quoq;,in inuestigando odoratus instrumento,à naribus abducamur,si quæstionem quidẽ diiudicandã à constitutione partium sumamus. si vero rem à proprijs actionis accidẽtibus inuestigare volumus,nullum odoris sensum,nisi spiritu naribus attracto,moueri videbimus, quanq̃ ipsæ nares vapore etiam vehementer olente repletæ sint. siquis igitur in cubiculo admodum angusto bitumẽ,casiámve, aut myrrham,thúsve, aut styracem in suffitum colliquet, vt vndiq; circunfusum aërem odore vehementi repleat,mox eũdem sic naribus excipiat,vt attrahere per interualla longa conetur: hic rei veritatem intelliget. siquidem tantũmodo,dum spiritum adducet,odorem sentiet:interiectis autem tẽporibus,cum spiritum continebit,odorem nullum percipiet, quanquã nares olenti vapore repletæ sunt. hoc idem eueniet si in ipsas aliquid vehementis odoris instilles, nam ita quoq; solo attracti spiritus tempore odorem percipies. his de causis pars corporis, quæ odores dignoscit,alia esse videtur, eáq; interius in corpore posita, non quæ tam in promptu est,& in summo corpore locata,vt tunica, quæ naribus indita est. pectus igitur (vt ex sermone,qui de respiratione habitus est,intelleximus) à musculis quibusdam dilatatur:eodémq; tempore motus pulmonis consequitur: ita aerem trahi continui ratione necesse est, & per asperam arteriam, & per fauces,& ore, & naribus. quare videndum est,cum nasi tunica non odoratus instrumentum sit,an ei, quæ palatum ambit, hoc delatum munus sit. mox idem de faucibus, vt aspera arteria quærendum est. Palati igitur tunica sanè haud erit odoratus instrumentum: quandoquidem obstructis naribus,aut digito sic compressis, vt claudantur, spiritu autem ore adducto,nullus odoris sensus mouetur. eandem ob causam nec faucium, nec asperæ arteriæ id officium esse putandum est. Sed iam restat, vt de reliqua foraminum parte consideremus,quæ per ossa colo similia ad ipsum cerebrum ascendit,quæ & ipsa cæterarum similitudinem in constitutione secuta est: nam ea tunica,quæ hanc meatuum partem subcingit, substantiam cum inferiori tunica eandem habet,eandémque neruorum tenuitatem. accidentium vero ratio diuersa est:licet enim cerebrum, dum in adducendo spiritu per sua quasi gemina quædã agit,pectúsq; dilatat,aliquid & ipsum ad suos ventriculos attrahere. nec ei impossibile est,cum alia moueat,sibi motum quendam eúmq; exiguum præbere,modo in seipsum,modo ex seipso, ita vt tum compressius sit, cum sese contrahit, fusius vero,cum se ex omni parte dilatat:cum autem in seipsum colligitur,tunc extrinsecus aër continui ratione sequatur: idémq; repulsus effletur,cũ cerebrum diffunditur. Cum hæc igitur nos olim nobiscũ cogitaremus,forte contigit,vt quidã,cui

odorandi ſenſus à diuturna tum grauedine, tū diſtillatione læſus eſſet,ad nigellam remedij cauſa confugeret: quam cū vt ratio medicamēti poſtulat,contudiſſet diligenter, & in puluerē liquaſſet,veterīq; oleo immiſcuiſſet,iterū eandem cum eo humore minutiſſime triuit, mox aquam ore excepit, & ſupino capite non minima medicamenti parte ſibi naribus inſtillata,eam adducto ſpiritu vehemētius attraxit:eodémq; modo triduum medicamento vtens, magnum ex eo iuuenis ille adiumentū cepit.quarto autem die,cū eodem medicamento ſic vſus eſſet,vt ſpiritum violentius,q̃ ante attraheret, grauem in intimo capite morſum percepit:qui tamen cū ſenſim leniretur,poſtera die prorſus ſedatus eſt.qui euentus mihi argumento fuit, nigellæ paulum vſq; ad cerebri ventriculos eſſe attractum, quod aut mēbranæ,quæ ſecūdarū modo,quibus inuoluuntur fœtus,intexta eſt,aut fortaſſe ipſi cerebro inhærens, dolorē intulit.atq; hoc idem illius rei conſenſu approbatū apparet,quòd vaporis quodammodo ſimile proprium odorarus inſtrumentū eſſe oportet.Ex quibus rebus ego cōmotus alijs quibuſdā, aliíſq; aliàs multíſq; deinceps famulis eodē medicamento in nares inſtillato,eos ſpiritū vehementer trahere iuſſi:quorū alij nullum,alij leuem,alij grauem morſum alte in capite ſenſerūt. Ex quibus rebus cæteríſq;,de quibus ante diſputatū eſt,cū ratiocinaremur,ſenſum odoris in ventriculis cerebri anterioribus moueri exiſtimauimus. Ad hæc autem non vna fides nec ea infirma acceſſit:cū modo eum,quem grauedo capitis ob repletū craſſis vaporibus cerebrum opprimeret, euidens à ſternutamentis adiumentum capere viderem:modo ipſum cerebrum in retentione ſpiritus impleri,& calefieri,vt paulo poſt dicam.æquum eſt igitur cerebrum nunc ſpiritū trahere vt refrigerium capiat,nunc eundē reddere,vt noxia à ſe expellat.quibus tertia quoque fides adiuncta eſt,quòd ij,quibus caput in ſole exuſtum eſt,aut modo quodā alio incaleſcit,odore roſarū,aut ſiqua alia ſunt,quę naribus admota,non iniucunde refrigerent,haud dubiam ſibi medelam accipiunt.ſed & illud aderat,quod ad eandē fidem faciendam concurreret:quòd odoris ſenſus in narium tunica moueri nullo modo poteſt.id enim quod paulum probabilitatis ab Ariſtotele acceperat,cū exquireretur,falſum inuentū eſt. Vt igitur totū eius in ea re decretum diligenti inquiſitione exploretur , à ſecundo capite ſuperius poſito differentes exordiamur. mihi igitur cogitanti quid cauſæ ſit,ſi in naris tunica odorum ſenſus poſitus eſt, cur tantūmodo dum ſpiritū trahimus odorem percipimus,reliquo autē tempore odoris ſenſu caremus,illud tantum probabilē repertum eſt,inſtrumentū odoratus non in ſumma ſuperficie tunicæ narium, ſed multo interius in ea eſſe locatum,ſic vt foramina quædā ad ipſum pertinentia habeat, quæ non ſemper aperta ſint,ſed operculis quibuſdam membranæ ſimilibus tenuibúſq; tegantur,quæ opercula ab impetu attracti ſpiritus referētur,vt ad eam partem,in qua vis odoris dignoſcendi poſita eſt , proprium eius ſenſibile perueniat. tale eſt, quod Ariſtoteles ſentire videtur,& eo libro,quem de anima ſecundū ſcripſit,& eo,quem de ſenſu & ſenſibilibus,qui liber idē de ſenſu & ſenſorijs , vt ita dicam,inſcribitur:ſic enim inſtrumenta ſenſus appellare Ariſtoteles ſolet.in ſecūdo igitur de anima hæc ab eo ſcripta ſunt : Sic & odoratus inſtrumentum in alijs operculo caret, vt oculi : in alijs, quæ aërem recipiunt,operculo tegitur,quod reſpirante animali ex dilatatione venarum,& foraminum abducitur.In volumine vero de ſenſu & ſenſorijs:Sed in ijs, inquit , quæ reſpirant , ſpiritus id , quod veluti operculum incumbit , abducit,

ratione cuius non sentiunt nisi respirent. in ijs vero, quæ non respirant, id operculum non est. vt in oculis accidit: nam animantes quædam palpebras habent, quæ nisi abducantur, cernere nequeunt: nonnullæ quibus oculi duri sunt, palpebris carent, vt nulla re egeant, quæ eas abducat, sed tantum protinus cernant, quantum earum natura patiatur. Hæc Aristoteles, qui locum quærere, in quo primũ odoris sensus positus sit, nulla ex parte tentauit. eáq; quæ de foraminibus dixit aperiri solitis, quanquã non intelligentiam fugiunt, vt quædam à quibusdam dicta, non tamen locum habere in nasi meatibus possunt. in palpebris igitur motus animalis voluntate cietur, & ob eam rem nobis licet, quoties volumus, & cõponere, & abducere. in odorandi vero sensu non ita se res habet: apertio enim, quam dixit, foraminum attracti spiritus accidens est, non opus nostrum. Sed quonam modo accidat, deinceps videndum. quanquã æquum erat Aristotelem orationis parentem suam opinionem verbis constituere, non absolute pronũciare, nobísque relinquere, vt quænam eius sententia fuisset, veluti vaticinaremur, cum nihil ipse dilucide dixisset, nec eam, quam in scriptis posuit, foraminum constitutionem declarasset, in tunicáne narium an loco quodam alio hæc sua odoratus foramina esse arbitraretur. Quæ non in naribus esse ex eo patet, quòd, si ita esset, ea impetus aëris foris irruentis aperiret, etiam sine vllo attracto spiritu. hoc autem nõ fieri perspicuum esse potest, siquis aut motum aëris in cubiculo odore admodũ vehementi repleto moliatur, aut eodem in loco nares vento obijciat, aut ijsdem instrumẽta quædam caua admoueat, per quæ sufflantem quempiam adhibeat, ea calami sunt, & vesicæ vtrinq; foratæ, quibus cornicula inhæreant. cum aër igitur his rebus omnibus impulsus sit, nullus tamen odoris sensus excitatur. Nec vero id quenquam dicere licet, talem nasi tunicæ foramina habere motum, qualem cordis ventriculi habent, qui cum dilatantur, ora vasorum aperiuntur, quibus in cor materiæ inuehuntur. aut enim dicendum est, motum foraminum nobis volentibus cieri, aut nostra voluntate remota: vt cor ipsum mouetur. si igitur ea foramina nostra voluntate mouentur, licebit sine vllo etiam attracto spiritu, eadem dilatare, indéq; odorem percipere: sin autem in motũ lege naturę cientur, nihilominus hoc licere perspicuum est. at nunquam nisi adducto spiritu odorem sentimus. ex quo apertum relinquitur foramina, vt air, odores dignoscentia neq; animali volente, neq; sine eiusdem voluntate proprium motum habere, quo eorũ ostiola reserentur. Nec vero motus instrumentorũ, quę respirationi accõmodata sunt, illos odorandi meatus dilatare poterunt: pectus enim (vt, cũ sermo de instrumẽtis respirationi seruiẽtibus haberetur, demõstratũ est) à musculis dilatatur, pulmo autẽ ex omni parte consequitur, vnáq; cũ pectore cõtinui ratione dilatatur, cuius itẽ motũ aër extrinsecus sequitur: corpora vero aërẽ vehẽtia, siue sit os, siue nares, siue guttur, nõ dilatari necesse est: quãdoquidẽ his vt tãtũmodo vehant, opus est nõ vt maiorẽ latitudinẽ sibi assumãt. Ex quo intelligitur tenuia illa tunicæ nariũ foramina motu instrumẽtorũ quæ ad ducendũ spiritũ natura aptauit, aperiri nõ posse. vt reliquũ sit eosdem solo aeris ĩpetu reserari, quẽ, vt dictũ est, moliri etiã nõ attracto spiritu possumus. Quod si quis eorũ, qui ob vecordiã multa inaniter iactant, foramina eo tãtũ tẽpore aperiri dicat, quo spiritũ trahimus, is à nobis admonebitur, vt ea meminisse velit, quæ supra dũ hoc idẽ redargueremus, disputata sunt, eo orationis loco, vbi illa foramina aut animalis voluntate, aut quodã naturali motu aperiri diximus: quorũ

neutrum fieri apertum est. nam si animalis voluntate aperirentur, nostræ potestatis esset, quoties vellemus ea aperire, etiam nullo spiritu adducto. idem vero si naturæ opera fieret, qualis motus cordis est, non semper cũ adducto spiritu contingeret, sed proprium sui motus ordinem haberet, vt in idem tempus nunc cum accepto spiritu concurreret, nunc cũ eodẽ reddito, nunc cũ tota respiratione rerenta. Si igitur neq; per se, neq; cũ motu instrumentorũ, quæ ad ducendũ spiritum accõmodata sunt, illa tunicę narium foramina aperiuntur, reliquum est, id spiritus impetu fieri, quem, vt dixi, sine attracto spiritu mouere possumus. Siquis autem dubitet, quid causæ sit, cur tali spiritus motu, etiam si valde violentus sit, nulla tamẽ odoris pars in cerebrum impellatur, quanq̃ tam lata extant foramina, vt à cerebro muccus etiam crassissimus per ea transfluat: nos eum docebimus in tali aëris per nares impulsu neq; in guttur quicquã, neq; in pulmonem propelli, quandoquidẽ ea à proprio repleta spiritu præoccupãtur. si igitur ne in amplas quidẽ vias quicq̃ extrinsecus aëris illabitur, nisi instrumenta dilatentur, consentaneum est, nec in ea illabi foramina, quæ tam angusta sunt, vt quidã parũ diligenter corpora incidentes, ea ne si quidẽ extant, animaduerterint. si in alterũ igitur nasi foramen aliquid sic inijcias, vt id ad vnguem obstruas, nullus spiritus inire ante poterit, quàm os aperueris: quo aperto, spiritus is, qui palato circũfluit, cũ foras effunditur, eum, qui continuus est, sequela quadam secum trahit. ne arbitreris igitur in eiusmodi spiritus per nares impetu quicq̃ in cerebrum impelli. quandiu enim alter spiritus cerebri anfractus locáq; vacua occupat, tandiu nulli alteri vllus est ineundi locus, priusquam cerebrum dilatetur, id quod fieri nobis spiritũ trahentibus potest. primum enim dilatatur, vt attrahat: deinde sic aërem foris in se recipit. at idem cerebrum spiritũ recipere nisi dilatetur, non potest, ne si quidem is violenter impulsus sit. Quòd si illud alicui demus, vt vi impulsus spiritus inire per eam causam liceat: hoc idem tamen non aliam satis ob causam possibile est. aër enim, vt scimus, vi cõprimitur, idémq; vndiq; funditur, cũ horum alterutrum pati cõtra naturã suam cogitur, vt nulla eiusmodi violenta causa eum à loco, quem iam occupat, dimouere valeat. nec vero cũ idem cõpressus in angustiorem locũ cogitur, aut remissus in ampliorem diffunditur, ea ad vtramuis partẽ contingat, magna mutatio est, sed exiguo & processu & recessu cõprimitur idẽ & funditur. quam ob causam nihil in cerebrum impellitur, quãuis vehementer spiritũ plenis naribus cõprimas. tunica vero, quæ illas ambit, in qua illa odoratus foramina exquirenda posuimus, se ab aëre foris violẽter irruẽte verberari haud dubie sentit. itaq; ea foramina ex tam vehementi aëris in nares impetu reserari oporteret, & simul ac aperta essent, odoris sensum moueri: at non mouetur: ergo ea esse nõ possunt. Sed nec probabile est, naturam tale quicquã frustra machinatam esse. nam si foramina quædam ad odorãdum apta constituisset, non ea impositis operculis occlusisset, vt nec ea occlusit, quæ in auribus extant: melius enim est omnem sensum aptum esse, qui proprium sensibile semper dignoscat, non tantũmodo dũ spiritũ trahimus. Nec natura propterea oculis operimenta dedit: quia melius esset, eos non perpetuã in actione teneri: sed quia molles erant, & ob eam rẽ lædi ab incursantibus rebus facile poterãt, à quibus vt defenderẽtur, natura palpebris ipsis quasi quædã propugnacula dedit. Sed nónne & ab ipso Aristotele dictum est, naturam animalibus ijs, quorũ oculos exterior tunica dura protegit, ideo palpebras nõ dedisse, quòd eos non facile læ-

dere eſſet?& ipſi per ſe nullum vel munimentū,vel tegumentum,vel operculum in eo animalium genere deſiderarent? At nos iure deſideramus,egemúſque,& ob cauſam proxime expoſitā,& ſomni gratia.quiſq; enim in aëre lucido dormire niſi tectis oculis nō poteſt.Itaq; illis ipſis animalibus,quę palpebris carent,vt locuſtæ, gammari,paguri,cancri, natura ſinus quoſdam tribuit, qui inſtante ſomno quaſi cubicula quædā oculos totos reciperent:qui mox inde,cū cernendi voluntas ſubiret,eruerentur,vnáq; cū ceruicibus ſuis in ſublime extollerētur:quare in ſummis partibus oculi tanquā in ſede ſua collocati ſunt : quæ in excelſis animalium partibus poſita eſt.Sed hæc cæteráq; ſimilia in libris quos De vtilitate partium ſcripſimus,ſatis explicata ſunt.Quæ ſi quis colligat,is & palpebrarum vtilitatem cognoſcet,& naturā in id ſemper eſſe intentam,vt ſenſus in ſuis actionibus retineantur.Quòd ſi maioris vtilitatis cauſa,eos certo tēpore ceſſare neceſſe eſt,in nullam ea de re noſter ſermo difficultatē incurrit.nā quæ ſimul eſſe non poſſunt,ea ne dij quidē omnes,ſi vellent coniungere poſſent.quicquid enim ſuapte natura fieri nequit,id dijs etiam ipſis impoſſibile eſt.Ne mireris igitur cur natura,cū ſenſus ſemper agere velit,his tamen per ſomnos quieſcere mandat.eo enim tēpore ſomnum rem ab his actionibus diuerſam mauult.Sed hic locus non eſt,vt ſomni naturam aperiam. naturalia enim & opera quæque, & affectus alijs in locis explicata ſunt. Dum igitur animal dormit (ſiue ſomnus naturale ſit opus, ſiue affectio, id quod iudicare non facile eſt) ſenſus ipſi non adeo agere poſſunt,vt bene ſentiant:ex quo intelligitur,quanq; per ſomnos nō æque atq; per vigilias ſenſibus agere poſſumus, non tamen falſum eſſe, quod dictum eſt, ſenſum omnem melius eſſe in perpetua actione teneri,quàm eam intermittere.nec quāuis à quibuſdam rebus foris incurſantibus cauentes,oculos claudere interdum cogimur,tamen ſatius eſt,nos eo tēpore non cernere.melius enim,ſi oculi ſine noxa ſeruari poſſent,vt per id temporis etiam cerneremus. ſed quoniam id fieri nequit, idcirco noſtros oculos natura palpebris muniuit. Hæc in præſenti de vtilitate palpebrarum dicta ſint. nam poſt multa,pauca dicenda ſuperſunt.hic locus non eſt, vt hæc longo ſermone tractentur. Redeamus igitur ad illa odoratus foramina, quibus Ariſtoteles ait naturam opercula quædam dediſſe,neq; tamen quæ vtilitas ab ea re animali præbeatur,expoſuit,neq; rem eſſe demonſtrauit. talia igitur foramina, qualia ab Ariſtotele dicta ſunt,adeo nullius vtilitatis cauſa conſtituta ſunt, vt etiam per longa vitæ ſpatia magnum animalibus detrimētum importent. quandoquidem eorū vitio odorandi ſenſus diminutus ac veluti mutilus & truncus relinquitur.quod nulli ex reliquis ſenſibus contigiſſe videmus:qui omnes,dum vigilamus,in continuis actionibus verſantur:ſi modo propria ſenſibilia habeant,à quibus moueantur. Odoratus igitur foraminum opercula ab Ariſtotele poſita rem eſſe & incertam, & demonſtratione carentem, & quam nulla euidens fides teſtificetur, equidem mihi demonſtraſſe videor. Nunc vero videndum eſt, quonam modo grauedini capitis ſternutamenta medeantur.id quod ea ratione fieri arbitror,quoniam in præcedentibus magnis exſpirationibus, conſequente autem celerrime efflatu, ſternutamenta mouentur:efflatum voco expirationem confertim concitatam.Si nihil autem per ſternutamenta ex cerebro educeretur,ea grauedinem capitis adeo non leuarent, vt etiam à ſpiritu tum foras confertim ruente, tum etiam verberante, caput magis & plenum & graue redderetur. vt ex magnis vocibus fieri cernimus.

Quin & morbi quidam ex ijs, qui cerebrum occupant, vt lethargus præſertim, & is, quem carum Græci vocant, ab ijs ſternutamentis, quæ medicamentis mouentur, non minimùm curationem recipiunt: itémque ab ijs, quæ directo in ſolem aſpectu euocantur. quod ex eo fieri arbitror, quia cerebri ſpiritus vapori ſimiles à ſole fundũtur. Muccum etiam ex cerebro craſſum & glutinoſum ſternutamẽta detrahunt, quem vnà cum ſpiritu foras impulſo educunt. Non igitur rationi conſentaneum eſt, vt, cum ſpiritus aliquis è cerebro per ſternutamenta effundatur, in idem tamen nullus vnquam infundatur, præſertim cum & oſſa coli ſimilia, & cerebri membrana, quæ eiſdem in ſuperiori parte ſubſternitur, multis ſint foraminibus traiecta. Ad hæc, quòd validi odores caput ſtatim lædant, & impleant, & aggrauent, & in delirium interdum prouocent, argumentum eſt, nonnihil ſubſtantiæ eorum cerebrum tentare: quandoquidem non ob ſolam communicatam qualitatem in tam ſubitos, támque vehementes affectus incurreret. Eadémque ratione idem ab odore roſarum iuuari conſentaneum eſt, cum à ſolis exuſtione laborat: atque hoc idem adiumentum ab aëre frigido naribus attracto nihilominus capit, cum ad eundem modũ affectum eſt: contra vero à valde calido idem grauiter lædi videmus. Adde quòd, cum reſpiratio tota eam ob cauſam à cerebro moueatur, vt cordis calor in quadam moderatione ſeruetur, æquum eſt, ipſum cerebrum hanc ipſam reſpirationem ſibi primum parare. ſiquidem ſuapte natura ijs rebus facillime obnoxium eſt, quæ immoderate aut calfaciunt, aut refrigerant. Quid igitur? an cerebro natura motum vllum ingenitũ ad hanc vtilitatem non dedit, quo ſpiritum trahat, vt ſeſe ventilet, atq; refrigerium captet? rurſus autem eundem reddat, vt & cætera excrementa, & pituitoſa atq; muccoſa effundat? nam (vt in libris, quos De potẽtijs naturalibus conſcripſimus, demonſtratum eſt) partes corporis omnes & eam facultatem habent, qua quod alienum eſt, expellant, & eam, qua quod ſibi cõuenit, attrahant: quæ in ventriculo & in vtero facile apparent. num igitur natura ventriculo vim vtranq; dedit, alteram, qua id attrahat, quod bonum eſt, alteram, qua id expellat, quod malum, eaſdem vero ſoli cerebro deeſſe voluit? quam ob cauſam pati cogatur, vt ea excrementa quæ in ventriculis eiuſdem ſe colligunt, ſolo pondere depreſſa defluant, & ſenſim delabentia tandem in ipſas nares incidant? Id igitur credendum non eſt, præſertim cum ſupini tota nocte cubamus. morbus enim, aut is, quem apoplexiam, aut is, quem carum Græci appellant, aut comitialis, cum pleni cerebri ventriculi ſunt, oriri præuerteret: vt ij, quibus manu medici caluaria perforatur, ſæpe in affectus quoſdam caro ſimiles incidunt, ſi contingat vt qui operanti medico miniſtrant, cerebri ventriculos immoderate comprimant: ſed quid inquam ventriculos *

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE MOTV THORACIS ET PVLMONIS FRAGMENTVM.



Voniam quidem thorax mouetur, manifestum nobis fit & tangentibus manibus,& oculis videntibus. Quæritur autem si vtique motus aliquis est pulmonis, vel non. Demonstratum igitur est nullum innatum habere motum, sed semper indigere thorace ad motum. Si enim nullam est inuenire dispositionem,in qua thorace immobili manente moueatur pulmo, sed etiam in aliquibus thoracis motibus pereuntibus simul pereat pulmonis motus,nõ tamẽ in illis qui pulmonis,iste qui thoracis, nõ itaque inconuenienter æstimabit quis indigere pulmonem thorace, ipsúmque esse principem motus. Ex eo vero quòd neque ligationem aliquam, neque aliam infallacem apprehensionem habet thorax, qua vtens trahat pulmonem quando dilatatur, sed absoluti sunt vndecunque ab inuicem, (pendet enim pulmo apud inferiora thoracis: sicut vas in tecto idonee continente ipsum) difficilis & difficile excogitabilis fit causa motus eius. Quare igitur nos inquantum possumus, eius causas dicamus. diastolato quidem thorace condilatatur omnino pulmo à consequentia quę ad id quod euacuatur, attractus: sicut in fistulis quæ in aquam mittuntur, est videre. Si enim mulseris ore aërem, attrahes aquam per longam valde multoties viam præter naturam sursum allatam. Tantam enim habet vim consequentia quæ ad id quod euacuatur. Et super quid aliud est idonea ad replendum id quod est in medio organorũ: & si immobilis maneat pulmo, quod in magnis vulnerationibus accidit: apparet tamen euidenter ab extra aër ad vacua thoracis attrahi propter leuitatem potens. Quare eo anticipante cõprehendere regionem dilatationis, rationabiliter pulmo quiescit. Qualiter autem moueretur causa mouente ipsum pereunte. Erat autem ipsa in non perueniendo in medio aliquid. Sic enim est thorax pulmoni princeps motus.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBER, IN QVO INQVIRIT, AN OMNES PARTIculę animalis quod fœtatur, fiāt simul, Nicolao Regio Calabro interprete.



Trum omnes simul eius quod fœtatur, fiant particulæ, vel vna aliqua prius alijs, habet non à philosophia considerationem. Quę quidem igitur sit particula quę prius consistit, ipse nouit euidēter qui plasmauit eam creator. Quoniam autem non omnes consistūt simul, disces vtique ex his. Portio quædam est & similitudo naturalibus ad artificialia. Sicut igitur in ijs quæ secundum artem efficiuntur, non omnes simul perficiuntur particulæ eius quod constituitur: sed in domo quidem fundamentum: in naui vero carina initiantur, velut elementa ipsorum quæ fiūt: ita oportet intelligere & de particulis animalis: quia non in vno tempore proueniunt vniuersæ ad generationem. At etiam siquidem omnis generatio via est ex imperfecto ad actū perfectum: incipere igitur oportet id quod ducitur ex imperfecto ad perfectū, ab aliqua particula quæ prius alijs fit. Quoniam etiam si aliquis voluerit id certificare nuper imprægnatione incipiente, inueniet tunc alias quidem particulas iam formatas, alias vero nondum figuratas. Et quid oportet dicere de his, cum videamus post parturitionem nasci dentes & cornua? etenim & hæ particulę existentiam totius & vtilitatem, simul & actum præbentia, apparēt tarde generari. At vero si intentio generationis vniuscuiusq; particulę erat vtilitas eius, tūc vnaquæq; plasmabitur, quando vtilitas requirit. Non igitur oportet vt qui fœtatur, simul quando plasmatur constituatur cum omnibus eius particulis. Sed dicunt quidā qui aiunt simul omnes generari. Si nequaquam eius quod fœtatur simul quādo plasmatur constituūtur omnes eius particulæ, vana erit plasmatio particulæ, cū nullū actum habeat: ac etiam indigent vniuersæ corporis particulæ vna alia, sicut & partes politicę ordinationis gubernatore & duce in militibus & artificibus & vniuersis subseruientibus seinuicē coadiuuantibus & simul commorātibus: similiter se habent corporis particulæ. recipit enim venter cibū sicut pulmo aërem, sed ille quidē elaborans cibum mittit hepati, hoc autem postquā alterauit cibum in sanguinem tribuit eum cordi: id autem rursus accipiens à pulmone spiritum, distribuit secūdum dignitatem vnicuiq; corporis particulæ cibum & spiritum in iusta mensura. Quomodo igitur non cōcurrunt simul illæ quæ indigent auxilio quod abinuicē? quia videlicet non audiunt quæ dicuntur à nobis ad eos. In his enim quæ cōpleta sunt, vera sunt quæ dicuntur, mentiuntur autem in ijs quæ nunc fœtātur: in illis enim iam vniuersæ agunt particulæ, & propterea apparent alteratæ auxilio quod abinuicem, particulæ vero eius quod fœtatur, plasmantur quidem, non tamē agunt. Non igitur comparetis eas politicę ordinationi quando sunt ociosę & non agentes: perfectorum enim particulæ bene assimilatæ sunt politicæ: eorum vero quæ in vtero continentur, incompletæ sunt actibus, & ideo non rationabiliter assimilantur politicæ.

FINIS.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBER FALSO ADSCRIPTVS, AN ANIMAL ſit id quod in vtero eſt, Horatio Limano interprete.



Vod phyſicis, omnibúſque philoſophis quæſtionem de natura vniuerſitatis præbet in hunc vſque diem, id ab Aſclepiade deductis viris, horúmq; poſteris ambiguam de infante qui in vtero ſit, conſtituitúrq;, notionem efficit. vt enim qui de vniuerſitate ſcrutati ſunt, animal ſit nécne, nihil aperte definiuerunt: ſic artis medendi præſides de puerulo cum gignitur, indefinite locuti ſunt. Cũ igitur res difficilis, nec perceptu facilis, neq; dum ſtabilita ſit, ijs quæ de ea dicta ſunt, communem præbere auditum oportet. Ego enim qui dico, vóſq; qui iudices eſtis, naturam humanam ſecundum Socratem ſortiti ſumus. quapropter oportet ijs quæ dicũtur, potius eſſe contentos, quàm plus iuſto etiam quærere. quæ enim propoſitam rem ſuperant, Deus ipſe primus nouit, Deíq; aſſecla, & qui ipſi, vt inquit Plato, amicus homo eſt. porrò amor ſit, abſit inuidia, conuiciúmq; ab ijs cum talia conantur. ſic enim nos quidem amantius ad locos huiuſmodi progrediemur. vos vero perpetuo beneuolentiam in omnia ſecula habebitis, ipſámq; in eiuſdem generis rem non inuidam virtutem. Sed enim de homine quaſi de paruo mundo dicturi, initium à magno, cuius veluti fœnora ac partes ſumus, ſumemus. præparata vero apud nos huius natura, perſpicua magis humana fiet conſtitutio. hoc ipſum ſanè prius quid mundus ſit definiemus. facillime enim cum definitio totum ſignificet, vniuerſi ſubſtantia conſtituetur. Sed quàm hæc poſita ſit, ante quid ſit animal dicamus: vt præmiſſa præpoſita rei definitione, ipſius vniuerſi naturæ perſpicua ſemina ſint. Animal igitur ſubſtantia eſt animæ particeps, & ſenſitiua, quod genere de omnibus quæ ſub ipſo ſunt ſimpliciter dicitur. Quoad igitur tale dicatur, omnia in ſe complectens haber, cum vero quod ſpeciem efficit, adiectum cuiq; ſit, tum genus vt differat effectum eſt, in ſpecies diuiſum. Videamus igitur ſi mundus animal eſt, ac ſi primum quidem genitus eſt: deinde vero integram naturam aſſumpſit. Mundus igitur res eſt ex cęlo terráq; ac medijs naturis aqua & aëre cõſtituta, habénſq; per omnia hęc principem ac primigenitum diffuſum ſpiritum, quem philoſophorum ſoboles aut animam, aut vnitatem, aut atomum, id eſt, indiuiduũ corpus, aut ignem, aut communi cum genere nomine ſpiritum primum vocat. Hæc quidem ante fuerunt, quàm cognomen hoc aſſumeretur: ſed tunc confuſa erant, & inter ſe nõ differentia, & vt quidã dicunt, materia nominabantur: nunc vero mũdus, propterea quòd apte, ordinatímq;, ac veluti in cõſonantia, atq; modeſtia fieri motũ ipſum efficiat. immobiles enim eſſe putabo, ſimiléſq; lapidibus eos, qui ipſum hoc vniuerſum immobile dicunt. Mundus igitur ex integris integer concinnatus eſt, atq; ex perfectis perfectus, & ex abſolutis abſolutus: fuítq;, & erit animal ſic, vt moueatur. ſed tum quidem ſeminatam vim, ipſiúſq; vniuerſi rationem habentem poſſidebat: diſcretus vero, atq; è tenebris prodiens inſitam ſeminũ virtutem patefecit, hic quidem ſe terram oſtendens: illic aquam: vbi vero ignem cum aëre ſeſe oſtẽderet qua-

libet porrectum incrementi modo atque elementorum natura, ipsum vniuersum sole ac luna quasi oculis illuminans,& luce horum claróq; splendore motui cuiq; dux effectus.etenim ei cõmistus est,& sic ab initio genito,& in natura prima constituto.nã & primũ animal,& spirans,& intelligens mũdus hic & tũc erat, & nunc apparet. Quemadmodum igitur audax nemo eum animal tum esse negaret, cum affingebatur: integrum enim ex integris, perfectúmq; ex perfectis ipsum demonstrauimus.quomodo enim integra præberet,ni integer esset?sic quod in vtero est, nõ animal esse quispiam negaret:sicut ærarium, aut ferrarium fabrum, aut statuarium, aut nauium fabricatorem, aut alium id genus quempiam nihil ex operibus eius perfectum præbere aut integrum diceres,cum quidpiam deest,aut statuæ manus pésve, aut cuspis gladio, aut naui clauus: quod vero nulla in re mutilum est, partibúsq; omnibus æquatum, cum nil deficit, id perfectum est. sic & mundus,& quod in vtero est,nunquam perfecti rationem habuissent:nisi cum primum essentiæ participes facti essent:tum ipsius vniuersi substantiam accepissent. Sed mundũ fuisse animal,& propter hanc causam nũc quoq; esse cũ dixerimus, de homine qui post ipsum mundũ secundus est,dicamus. Ante à nobis definitũ animal est, Asclepiada Hippocrate quibus de causis,cum in vtero puellus esset,animalis vsum præberet,dicente,ac veluti ex delphico tripode prædiuinante,ac prædicãte. eius enim constitutionem primam ac veluti animalitatem ex integris constituit, cum non aliter ipsum absolutum præbere posse videret, nisi ab ipsis perfectis se animal generari acciperet. Labitur, inquit, ab omni corpore semen, à salubribus salubre,à morbosis vero morbosum.ab omni parte dixit,totum à toto. tantúmq; abfuit,ne animal diceret,vt in ipsum dicẽtis quę mutilata sunt nõ esse perfecta, crimina soluerit.cum enim nollet in oratione animal contineri,dixit,salubria quidem corpora ipsum vniuersum sic vt nihil desit,habentia, in integritate semen deponere:impedita vero,in defectu.Quod difficultatem nõ habet.quomodo enim cum ipsum non sit, in generatione sanum fieri poterit? hoc enim vnius eius est quod ipsum quidem est,nondum vero genitum,sanum autem potentia est,ac eam ob causam generationem suscipit.etenim quę manifeste non sunt:alia sic genita sunt:alia vero possunt,quemadmodum neutrum quoq; accidit.itémq; semen,aliud vt animal fieri possit,habet:tũc actu vero est,cũ pro homine præbeatur.aliud vero neq; est, neque fieri potest,neque rationem habet,tanquam cum ipsum natura non sit:hoc enim neq; eius quod est,neq; quod futurum est,rationem suscipit.Recte igitur secundum Hippocratem id quod in vtero est, animal dicetur, & ipsum ex totis seminantem,& vim totius ei præbentem. non solum vero id & ex ipso vniuerso, & animal esse declarauit,sed etiam in numero ostẽdit principia ipsius habere vniuersi, similémque potestatem eorum,è quibus radicem habet. cum inquit gemini ex vnica venere fiunt, sinus vero & claustra vteri habent. Hic enim aperte intelligere licet hanc vim in vterum iactum semen habere,quod natura animalis erat.cum enim paruæ molis sit,multum potentia sit, & principem causam ostendit, ipsámque animalitatis substãtiam. Ac quemadmodũ qui in silice aut in calce ignis insitus est,hunc nemo ignem idcirco esse negaret,quia non vrit:tunc enim ignis actu sit,cum materiæ aliquid assumit, & ab ipso vniuerso extrinsecus venientis inspirationis:sic quod in mulieres iniectum semen est,id animal esse vere quispiam dicet: etenim ipsum iam potentia animal est. Actu vero tum sit, cum ab vtero prodiens

ſeipſum coniungit ei quod principiũ præbuit. Cum enim pars, & diuulſum membrum magni animalis, hoc eſt mundi, ſit, dum in finibus conditum eſt, ac latitat, miſcellæ rationem retinet. ab hoc autem ſeparatum profundo, quod tanquam chaos eſt, atque erutum, cognatam ſimilémque naturam ipſis operationibus amplectitur. nam ex ſe moueri incipit, luciferóſque oculos perpetuo ſolis lunæque naturam imitans tendit. Vt igitur immerito quidam quod in vtero eſt, animal eſſe negarunt, ex ijs quæ dicta ſunt coniectari licet. Quæ vero, & qualia animal facit, nunc dicam. Cum igitur animal ab anima, & à natura regatur, itémque nutrimento, & ſpiritu, (nutritur enim anima ſpiritu, humidis vero ſiccíſque nutrimentis natura) omnibus his quod in vtero eſt, gubernationibus vtens reperiemus, & quæ ad motum animæ attinent, & quæ ad naturæ incrementum. nam deuorat, & (vt Hippocrati videtur) ſpirat: ore enim naſóque ſpiratum deſuper fieri ſcribit: ipſúmque ex Aſclepiadeis quidam ſugere quæ in vtero ſunt cotylidonas, ac coquere dicunt. ſiquidem ea quæ deuorata ſunt, coctio neceſſario ſequitur, & ſi quàm maxime iam confectum ab vtero nutrimentum aſſumat. apponi vero id, niſi natura ſuſcipiat, non poteſt: neq; aſſimilari ante, quàm neceſſario nutrientem rem ei quæ nutritur, pueri natura aſſimilet: ac tum opera naturæ præbet, ac recipit: & ad ſecernendum promptum eſt: & quod alienum eſt ſeparat: hanc enim ob rem bilis, & humores omnes ſecreto nutrimento fiunt: non enim ab ea ſolum quæ per vmbilicum ad portas in iecur è ſecundis fertur materia nutriri putatur: etenim per has quoq; vias alitur: maxime vero per eas quæ perfectiores ſunt: ac per quaſcunq; defertur, nutrimẽto fruitur. Neque enim putabis Hippocratem dicentem, quod antiquius eſt nutrimẽtum per abdomen qua vmbilicum eſt, inuehi, ignoraſſe, num id ore nutriatur: etenim de hac quoq; via locutus eſt, vt ante propoſitum eſt. Quòd vero in vtero ore nutrimentum ſumat, teſtis eſt poſt partum protinus mammæ appetitio. neq; enim niſi antea huic viæ aſſuetus eſſet, eam tam in promptu mammam appetens haberet. in vapores vero & ſpiritus ſecretum nutrimẽtum fundit: faciléq; ſingulis partibus apponit: mutátq; id quod è ſemine eſt, in humores: quod ex humoribus, in carnes, venáſq;, & neruos, ac arterias, & oſſa, viſceráq;, & adipem: itémq; quod è pauco eſt, in multum, & quod paruum eſt, magnum fit, ipſum ad proprios vſq; incrementi terminos extendente terminantéque augendi virtute. Quæ igitur naturæ opera ſunt, ea ab ijs quæ in vtero ſunt, fieri, ſatis à nobis demonſtratum eſt. Quòd vero & animæ & rationis participia ſunt, deinceps monſtrare conabor. Cum enim ſenſoria ad animales inuehendas facultates natura molita ſit, oculos quidem ad viſiuam, aures vero ad auditiuã, linguam autem naſúmq;, vt per hæc guſtandi facultas & olfaciendi vehatur, per manus vero & reliquum contrectans corpus, quæ ad tactum attinet: patet locum vacuum nullum relinqui: ſed prædicti loci etiam, cum infans in vtero eſt animæ ſubſtantiã habebunt: ipſúmq; huius domicilium cerebrum ab initio etiam cõſtitutum in intimo capite locatum habent. Eò perſpicuum eſt vnà cum iacto in vterum ſemine inſitam à creatore vniuerſi eſſe animã, vt gubernandi vim corporis haberet. Nam an non ſcimus extrinſecos opifices inſtrumenta quædam ad certas actiones fabricari? Vt ſentinam nauis opificem, quò parte hac nauis ſubnatet: vallũ vero ad fluctus cohibendos, tum tutũ parietem, ſeptúmq; ob ſaxa quę ſub mari latitant: Tibiæ vero opificem materiam æneam in longas fiſtulas excauantem ad illabentes

ſpiritus ſuſcipiendos:Muſicum vero fides extendentē ad ſonos modulandos:Medicum autem pæonica medicamenta ad morbos pellendos parantē:Imperatorem acies ante conflictum inſtruendas prædocētem ad ſuſtinendum hoſtem. Vt igitur qui talia moliuntur,alicuius rei gratia ea parant,ſic quæ in nobis ſunt,ſingula natura effingit,tanquam inſtrumentum certæ rei futurum.Sic quoq; neruorum natura quæ animæ domicilium eſt,à principe parte vnà cum ſpiritu oriens, animam conſtitui ſimul cum corporis conſtitutione declarat.Etenim ſi nōdum oculus videt,lingua vero guſtat, voces auris ſuſcipit, calidū aut frigidum humidúmve aut ſiccum tangendi inſtrumenta non ſentiunt,ſdq; actu: ſed quidem latitare hæc poſita ſunt:verum paulo poſt infante iam orto agere poſſunt.audetémq; ipſam quietem actum dicere. compoſitas enim palpebras tenere cum adhuc in vtero puerulus eſt,ac contractum naſum, auréſq; non audientes, imperantis animæ opus eſt. linguam vero in ijs quæ vtero gerūtur, guſtare negaret nemo, itémq; qualitatem ſuſcipere, cū res ipſa ex certo effectu perſpicua ſit. ſcimus enim in vteris ſæpe fœtus emori, cum vitium per os adhibiti nutrimenti auerſantes renuunt: ſiquidem natura linguæ facultate quæ guſtandi eſt,ad conſeruandum fœtum ſolicita eſt.& reſpirare fœtum: quod opus animæ eſt: ore enim vt paulo ante dictum eſt,reſpirat.ex eo perſpicuum eſt,quòd anima ſemini vnà cum natura ineſt.nam animalem actionem medicorum ſoboles plurima ipſam reſpirationem ſtatuit,nō autem naturalem. puerile enim eſt putare eam extra opera animæ præſcribi,cum ſine volūtate reſpirare dormiens dicitur.ſiquidem reſpirandi actio voluntaria eſt.Quemadmodum enim cum vigilat animal,propterea quòd omnes actiones inſunt (videt enim & audit,ac per reliqua ſenſoria agit) mouetur anima,& has actiones per ſenſoria perficit,ſéq; ipſam per organa,per quæ opportuna peragit,extendens diffundénſq;,negocium omne ſuſtinet: ſic noctu contracta,collectáq;, neq; à viſis rebus turbata,neq; ab auditis territa,neq; à guſtatis alienata, neq; ab olfactis euerſa,neq; ab ijs quæ tactui occurrūt,altetata,nec curſu,ambulationéve,aut alia exercitatione fatigata,neq; in his verſans, reſpirationis actionem obit. Aut naturam quidem ſponte nec affectam,quæ opportuna ſunt facere credimus : animā autem diuinius quippiam ſortitam, non operas proprias aſſequi? Quin mortalis natura eſt,atque terreſtris:& intelligentiæ expers, quæ neq; rationem habet, & mortalem ſolū circuitum nouit,operámq; interitui obnoxiam accipit. Anima autē ab vniuerſis animis, & cæleſti choro delapſa ſcientiam ſuſcipit, ſemper vero viam, quæ ad ſimile ducit ſequens,terram quidē ſuperat:ab erroribus aquæ ſeſe auertit:tranſcendit aērem:ſit igne ſuperior:& cæleſtem diuinitatem attingit: ſæpéq; trās cæleſtē locum intuetur:rerum omnium domino aſſiſtit:ſuperas res circumlabitur: ſæpe occurrit ijs quibus cū cōmune genus habet:nouit vnde eſt,quanuis in corpore ſit:ipſúmq; rerum omnium patrem vniuerſis rebus ineſſe, his in quibus ab illo locata eſt, vtēs oculis.Ne igitur reſpirationem dicant neſcia anima fieri,ſomno languente corpore.ad omnia enim anima magis quàm natura,idonea eſt:vímque maiorem habet. Ergo poterit natura vigilante æque ac dormiente animali agere,(coquit enim in vtroq; tempore,ac diſtribuit,ſecernítq;,& apponit & auget) anima vero ſola vigilans ea quę corpori conueniunt,operari,in ſomno autem ſimilia non poterit? Abſurdum vero eſt,cum iam ſatis demonſtratum ſit,quod in vtero eſt,id eſſe animal, niſi extrinſecis rebus fides de ijs quæ dicta ſunt,fiat. Mures quidem, ac vermes in

materia quasi in vtero fieri videntes, animalia nominamus, ea limo inuoluta spectantes: sed hæc quoque fiunt, arbitror, prouidēte eorum præside facultate: ea vero quæ in vtero animalia fiunt, an aperte animalia vocari conueniat, dubitamus? præsertim prædicante hæc Hippocrate: Quæ nō animalia sunt, ab animalibus animalia fiunt, omnium naturæ indociles. Decuit enim non animalia, aut partes fieri dicere, perfecto autem nomine vsus est, vt animalia simul esse & constitui intelligeremus. Magnificum vero illud & à controuersia longissime remotum, quasi diuinitus edixit. omnium naturæ indociles: vt si modus à quopiam ratióve animalis creandi quæratur, in ipsam omnia indocte gignentem naturā referat. atqui natura satis est, quæ prorsus haud credentium sententias excludat; & animalia esse negantium. si enim rebus omnibus vt hæ sint fines, ipsa præbet, certe ei quod vtero geritur, perfectionem, vt animal sit, affert. Cur vero non amentia est, quod animal est, id animam simul & corpus dicere, rei autem nomen auferre? siquidem id haud aliter est, quàm si rei cuipiam ignis inducta forma, quod est, vt vim vrendi habeat, rem quidem quispiam fateatur, nomen autem neget: aut cum à sole illustrantur tenebræ, factum quidem concedatur, diem vero id nomine esse negetur: aut si quis humidas res solidásque in vnum coactas nutrire dicat, id vero nutrimentum dici non concedat: aut æs ferrúmvè secare, nomen autem gladij fugeret, aut sectionem secantis. verum neq; quispiam tenebrosi aëris à sole illuminati rem ipsam inspiciens, id ipsum diem esse negaret: neq; quod ignis vsum habet, id ignem dici: nec quod secantis actionem, huic nomen esse gladio: nec quod animatur semen, & animationem suscipit, ei nomen quispiam auferet. Vt igitur & naturæ & animæ particeps fœtus sit, & vtriusque actionum, & quomodo animal sit, satis demonstrauimus. Reliquum autem est, vt quod vteri finibus adhuc incumbit, id animal esse monstremus. si quispiam vero à nobis naturæ rationes quærat: eam omnia à seipsa doctam, ex séque discentem agere sciat. neque enim quo pacto vermes in plantis gignuntur: aut ex equis bobúsque vespæ atque apes, facile nos discere licet: verum à natura simpliciter fiunt. nam neque aues docet volare quispiam, neq; nos intelligere, aut audire, videréve: sed tamē & aues volare videmus, & nos ipsos sine disciplina intelligere, atque videre. ineffabilis enim est, atque recondita, longéque nostra cognitione profundior ipsa per se naturæ operatio. Ne igitur fœtus qui viuificantur, animari diffidamus. neque enim hi post partum proprias operas ab aliquo discunt, sed in vteris cōtenti deuorant coquúntque, ac expurgant distributum alimentum, apponúntque quod purgatum est, ac superuacuum depellunt: vt postquam in lucem prodierit, quod superuacuum est excernant. meconium enim vocatum cum excrementum sit, ex toto fœtus nutrimento est, humórque is qui in vrinaculo est. ventriculus enim inquit ille antiquus, ea inspiratione quæ ore fit, inflatur, intestináque, & in cysaron via quædam deducitur. paulatim enim quod superuacuum est incidens, in rectum intestinum peruenit. nam cysaron rectum intestinum appellauit. Atqui nemo id obijciat, ideo fœtum ore ali non posse, quia amneam membranam sibi appositam habet. natura enim idonea est quæ per foramina facultatem, viámque ad id quod conuenit, aptam præbeat. Democritus vero hominem ex homine excuti, canem ex cane, ex boue bouem dicit. Vir qui cælestem speculationem nouit, naturámque nostram speculatur, non potest tam ingratus esse, vt eum oporteat quod in vtero

eſt, id animal eſſe negare,cum totum ex toto qui ipſum conſtituit,faciat. * etenim id ipſum quod fit,hominis rationem non haberet, niſi cum omnes in ſe perfectas rationes contineret, tum omnia facturum eſſet, qualia ſunt à quibus ſemen ſatum eſt. Quemadmodum enim iacta ſemina quibus vitioſa quantitas aut qualitas eſt, eos fœtus excipiunt, quibus pars aut ſupereſt, aut deeſt, aut formam alienam habet: ſic quæ integra, ac expurgata ſemina ſunt, perfecti animalis rationem retinent.quod enim deeſt, impedimentum totius naturæ accepit,& fœtus haud integros: ac propter id ipſum non impeditum animalia è ſemine fiunt. Nemo igitur philoſophus, vt diuinarum rerum ignarus: non medicus ab Aſclepiade deductus, vt ſpeculatione priuatus à natura hominis fœtus abdicet atq; excludat.ſed ipſe prius in ſe ſpeculetur, ac aut à ſenioribus diſcat, aut à parentibus memoria repetat, ipſum quoque olim fœtum fuiſſe: itáque tum à matre perfecte prius in vtero formatum, atq; radicem eſſentiæ è ſemine ſumpſiſſe: ac naturam ab ipſo nō amentia tractari debere.nō aliud enim eſt,quàm eius iura violare, cum quæ ab eadem è terra creantur, omnia idem principium generationis habentia, atque ipſis in finibus nutrita, animalia eſſe dicuntur: quæ autem in vtero nutriuntur, non animalia eſſe. An è tritico triticum, è cæteriſque ſeminibus ea quæ ſimilia ſunt, atque è plantis plantæ gignuntur, omnia eandem cum gignentibus naturam habentia: homo autem è cæteris diuinius quidpiam ſortitus,& rebus vniuerſis melior, Deóque poteſtate ſimilis, non eandem cum parentibus diuinitatem excipiet? Ac iam quidem & lege, & per accidéntia ipſa, fœtus animalia eſſe oſtendamus. Qui viuere in naturam vt in cauſam referunt, in ipſos vero legiſlatores, ab anima tamen occaſione ſumpta, bene viuere: (etenim leges hæ ſunt,quæ mala ſunt prohibere, cuſtodire quæ honeſta iam ſunt,quæque futura aut iam inſtant aſciſcere:) ij duabus maximis quas ipſi tulerunt legibus, quæ in vtero ſunt animalia eſſe demonſtrarunt: altera ei qui abortus cauſa fuiſſet, pœnam ſtatuente: altera, qui nondum nati erant,hos hæredes inſtitui poſſe, iubente. Videbant enim exactius quàm multi, vt qui deorū facta imitabātur. Legem enim ferre in primis deorum eſt. ſiquidem rerum omnium pater inter deos omnia lege diſpoſuit. nam mundus illius imperio mouetur, ſtellæque errantes proprijs ſingulæ orbibus in præſcriptum tempus,& ſol ipſe, & luna curſibus definitis:terra vt radix opificis iuſſu poſita eſt: fuſa aqua: expanſus eſt aër: permeat ignis, ſingula proprias actiones ſeruantia metu legis propriæ prætereundæ. Leges Cretenſibus Iuppiter dedit: Lacedæmonijs Pythius ipſe: Pallas Athenienſibus. Horum igitur diſcipuli legiſlatores Lycurgus & Solon per hæc quæ modo dixi capita duo, firmum nobis de fœtu, ac indubitabile argumentum præbuerunt. niſi enim animalia eſſent, non in ipſos abortus auctores legibus aperte propoſita pœna animaduertiſſent. quoniam vero animalia eſſe dicebant, idcirco pœnam inſtituerunt. Quis perfectus iam ac indubitatus homo ius exigens, cauſa eius qui in vtero non homo, ac ne animatus quidem eſt, vnquam hæreditatem dimittet, ignarus an animal ſit quod in vtero eſt? Quid igitur animal eſſe quod in vtero eſt, negare contendis? Quis ſucceſſore vtitur eo quem nondum eſſe credimus? Quis ſibi dominum dicet eum de quo dubitatio eſt? Nondum natus erat Pericles Olympius, & iam Græcos omnes ob inſomnium terrebat. nondum Piſiſtratus,& tyrannus erat. Alexander ex Olympiade nondum natus ab omnibus iam Ammonis filius dice-

batur, & regni princeps. Cypſelúſque cum adhuc generaretur, & ſi Bacchiadis non videbatur, terrente ipſos ſpectro. Hecuba quoque ante partum formidaſſe Alexandrum dicitur, graui viſione perterrita: ac ipſi Phryges omnes ex igne nondum genito calamitates accepiſſe. Itémque Alcmena Herculem procreans terrorem aduerſarijs, diffidentiam inimicis incutiebat, cum adhuc infantem vtero gereret. Tantum igitur abeſt, vt fœtus non animal dicatur, vt non modo animal ſit, ſed etiam humanæ naturæ vim habeat, quamuis adhuc vtero radicitus hæreat. Sed iam ad fœtum ipſum, tanquam animal id, vt nihil ipſi quo minus homo ſit, deſit, formatum, noſtra vertatur oratio. Prodite quæſo è ſinibus nihil timentes ò fœtus neque generis demiſſionem, neque chariſſimos alienaros, neque opes auferendas. non vos multorum calumnia, neq; horum qui naturam ipſam iniuria afficiunt, excludit malignitas. quapropter eos pœna vos afficietis, vt Pericles, vt Piſiſtratus, vt Paris, illéque Macedon Alexander, atque Hercules.

Claudij Galeni pergameni An animal ſit id quod in vtero eſt, libri falſo adſcripti finis: Horatio Limano interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE SEPTIMESTRI PARTV LIBER, IOANNE BERNARDO FELICIANO INTERPRETE.



De ſeptimeſtri partu ea dicam, quæ per omne tempus animaduerti: dum ſummo ſtudio ſeminis in vtero conceptiones à mulieribus diligenter obſeruatas cognoſcere ſtudebam, quibus ignoratis, ne fœtificationis quidẽ tempus innoteſcere vllo modo poteſt. Pleraſq; igitur intermedium terminum centum nonaginta & ducentorum dierum geſtaſſe fœtum deprehendi: celerius, aut tardius, paucas: ante centeſimum & octogeſimum ſecundũ diem & quindecim horas, vel poſt quartum ſupra ducenteſimum, nullas. vt ſeptimeſtris fœtus editionis primus terminus eſſe dimidij anni tẽpus reperiatur. quippe cum nulla citra hoc: omnes vltra parere cõſpiciantur. quod ſanè tempus centeſimo & octogeſimo ſecundo poſt conceptum die & quindecim horis expletur. Vnam ſolam mulierem noui quæ centeſimo & octogeſimo quarto die exacto atque expleto partum edidit. Quatuor autem & viginti horarum interuallum diem appello. ita enim & annum trecentis & ſexaginta quinque diebus & quarta inſuper diei parte conſtare dicunt: & menſtruum tempus viginti nouem & dimidio. Nam menſem nominari ſpatium quod ab vno lunæ coitu cum ſole vſque ad alterum intercedit: nemo eſt qui neſciat. huic autem dierum numero adijci etiam quandam particulam, quæ ſit totius diei quingenteſima ſeptuageſima ſexta, demonſtrauit Hipparchus: quæ tamen adeo parua eſt, vt de ea conſiderare ſuperuacaneum ad præſens propoſitum eſſe videatur. Nam abſoluta propoſita res ſatis iam eſt: cum Hippocrates & in ſecundo libro vulgarium morborum adhuc quęrat, vtrum nouem Gręcanici menſes ducentis & ſeptuaginta diebus expleantur: eo quòd ſiquis tricenis conſtare eos exiſtimet, exactè ad dierum rationem nouimeſtres partus non reſpondeant: & in tractatione De ſeptimeſtri partu exquiſire omnia iam inuenerit. vbi ſcilicet docet poſt dimidij anni tempus produci in lucem etiam fœtus ſeptimeſtres poſſe. Siquis autem eſt, qui totam Hippocratis orationem cupiat intelligere, quam in fronte tractationis de ſeptimeſtri partu ponit, eius explanationem hic ſubiungam.

Septimeſtres oriuntur ex centum octoginta duobus diebus, & quadam etiam inſuper diei particula.

Septimeſtres appellat ſiue infantes, ſiue fœtus. particula vero diei, quam diebus centum octoginta duobus adiungendam inquit, quindecim horæ ſunt, cũ ea inſuper parua admodum parte, vt dixi, quæ vigeſima quarta vnius horæ pars eſt, vel quamproxime ad eam accedit. perſpicuũ enim eſt nos æquinoctiales horas in huiuſmodi omnibus ſumere conſueuiſſe: quarũ viginti quaruor diei ac noctis ſpatiũ conficiunt: quod νυχθήμερον, hoc eſt noctidiale ab aſtronomis nuncuparur. hæ enim omnes horæ æquales inter ſe ſunt: eo quòd adeo exiguum eſt quod variationem affert, vt nonnulli ne eſſe quidem quicquam illud arbitrentur. ſunr quippe mediæ quodam modo hæ æquinoctij horæ inter maximas & minimas, quæ in vna-

quaque regione exiſtunt. ita quoque de menſtruo tempore dictum eſſe intellige.nam licet menſes ſint inæquales:medius tamen numero æquali menſuratur: ac tot diebus, quot modo dixi, conſtat, atque abſoluitur. id quod tamen in annis non fit.omnes enim æquales ſunt.ſiue enim ab hac parte in hanc eandẽ,ſiue à ſolſtitio in ſolſtitium circuitũ ac reditum ſolis annuum tempus appellet quiſpiam: ignoretúrque omnis veterum aſtronomia: nullo modo fiet, vt quæ à ſolſtitio in ſolſtitium facta fuerit reuolutio,diuerſus annus ſit ab eo,quo ſol à ſigno quodam in idem ſignum fuerit reſtitutus:ſigno videlicet pro puncto accepto,quemadmodum ſumere geometræ conſueuerunt.Poſt prima hęc Hippocratis verba quæ expoſuimus,ſubſequuntur reliqua in hunc modum.

Si enim primi menſis quindecim dies computaris, quinque vero ſequentium centum quadraginta ſeptem & dimidium:ſexaginta enim diebus vno dempto quamproxime duo menſes conſtant. ſi igitur ita hæc ſe habeãt,in ſeptimum menſem amplius quàm viginti dies ſuperſunt ad dimidium anni:quadam diei parte parti accedente.

Hoc autem ita inquit, propterea quòd vult, etiam ſi ſupra dimidium lunaris menſis fœtum geſtarit mulier, ſic quoq; ipſum id tempus huius mẽſis debere numerari:atq; iccirco quinq; integros eſſe menſes,qui inter primum & ſeptimũ medij intercedunt:deficientes autem duos,primum & ſeptimum: qui tamen non ita deficiant, vt amplior eis quàm dimidia pars deſit. dimidium enim menſis dierum eſt quatuordecim cũ dimidio,& quarta inſuper diei parte.quocirca patet hoc numero,& primi menſis,& vltimi tẽpus maius euadere oportere.ſi igitur primi menſis tempus poſt conceptũ viginti dies exceſſerit:ſitq; verbi cauſa,dierum viginti & trium horarũ:ſequentes vero quinq; menſes centũ quadraginta ſeptem dierum & dimidij ſpatium cõpleant:ex vtriſq; numeris coniunctis dierũ centum & ſexaginta ſeptem & quindecim horarũ tempus efficietur.in quo poſt quindecim ad minimum dies ſeptimeſtris edi infans poterit.nã vt ſexti mẽſis terminũ excedat fœtus, in dimidiũ menſem ineat,neceſſe eſt.atq; ita omnium dierũ numerus cẽtum octoginta duorum dierum & dimidij,& partis inſuper cuiuſdã diei vnius erit.ſicut igitur neq; citius præſcripto hoc termino:ſic neq; tardius ducentis & quatuor diebus naſci qui ita cõceptus fœtus eſt, poteſt. ſi enim centũ diebus & ſexaginta ſeptẽ & dimidio nouẽ & viginti addideris, omnes efficiẽtur centũ nonaginta ſex cũ dimidio.Faciamus autẽ viginti nouẽ dies primi menſis eſſe,ex quo cõceptus fœtus eſt, quinq; vero ſequentium menſiũ centum quadraginta ſeptem & dimidiũ, ſeptimi viginti nouem,vt vtriq; nõ integri menſes quàm longiſſimũ terminum habeant: ſi omnes coniungantur, vniuerſum tempus ducentorum & quinq; dierum & dimidij euadet.fœtum hunc non eſſe vitalem vult. Nam quantũ etiam ad Græcanicos mẽſes attinet,in minori tempore quàm dimidio anno oriri ſeptimeſtris infans poſſet.Hoc enim oſtendam.cum enim ante dimidium anni,id eſt,ante centũ octoginta duos dies, & quindecim horas vel circiter, naſci fœcundus partus vllo modo nequeat:in Græcanicis menſibus ante dimidium anni poſſet.aduerte enim animum:ſi ſexdecim diebus primi menſis fœtum geſtarit mulier,& poſt quinq; menſes medios ſexdecim alijs pepererit: vniuerſum tempus cẽtum & ſeptuaginta nouem dierum,& dimidij erit.ſed, ſicut dixi, neq; in minori tempore quàm dimidio anno fieri ſeptimeſtrẽ partũ fœcundum vult: neq; in minori quàm dimidij menſis

ſpatio vel primi vel ſeptimi geſtare vterum mulierem cenſet, ſi perfectus oriturus infans ſit. Verum cum tota Hippocratis ſententia explicata iam ſit, quod reſtat ex verbis ipſius explanemus. iubet deinceps poſt primum menſem, centum quadraginta ſeptem dies & dimidium computare nos debere. & cur tot cenſeat, cauſam ſubiungit, ita inquiens. ſexaginta enim diebus vno dempto quamproxime duo menſes conſtant. vbi aduertendum eſt, eum non abſolute dixiſſe nouem & quinquaginta diebus duos menſes prorſus abſolui ac perfici: ſed addidiſſe, quamproxime, vt intelligamus, non nouem & viginti dierum & dimidij eſſe exactum & exquiſitum menſis numerum, ſed circiter, & quamproxime. id quod ſoli & optime aſtronomi ſciunt. alij enim diebus viginti nouem & dimidio menſis ſpatium concludi exiſtimant. ſed ſi quinque menſium dies cẽtum quadraginta ſeptem cum dimidio computaris, ptimi vero menſis non pauciores quàm quindecim, ad explendam dimidij anni partem deeſſent adhuc dies viginti, horæ tres, & paululum quid inſuper. Vnde amplius quàm viginti dies in ſeptimum menſem incidere inquit. cúrque id dicat, declarat, cum ſubiungit. quadam diei parte parti accidente. id eſt particula diei quæ quartæ diei partis dimidia eſt, quæ quidem quarta pars trecentis ſexaginta quinque anni diebus adiungitur: parti accedente, id eſt dimidio diei. dimidium enim anni centum & octoginta duobus & dimidio die conſtat, octaua inſuper diei parte adiuncta. ſi igitur dimidiæ diei parti octaua etiam pars addatur, dimidij anni ſpatium centum octoginta dierum & dimidij efficietur, octaua inſuper diei parte adiuncta. quod quidem diei dimidium cum octaua parte quindecim horas explere iam diximus. ſi itaque & primi menſis & quinque ſequẽtium centum ſexaginta duo dies cũ dimidio colligantur, ad dimidij anni ſpatij expletionem viginti adhuc dies cum octaua vnius diei parte ſupererunt. vnde cũ dixerit amplius quàm viginti dies in ſeptimum menſem ſupereſſe Hippocrates, cauſam ſubdit, cum inquit: parte diei parti accedente. hoc eſt octaua diei parte diei dimidio adiuncta fieri, vt amplius quàm viginti dies menſem ſeptimum occupet.

Claudij Galeni Pergameni De ſeptimeſtri partu libri finis, Ioanne Bernardo Feliciano interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBER DE MARASMO SPECIE TABIS, NIcolao Lauachio medico Florentino interprete.



Araſmus corruptio corporis viuentis eſt à ſiccitate. Sed cum bifatiam corruptio dicatur, quòd vna fiat, alia iam facta ſit: vt primo ſignificatu, nomen nunc recipias, eſt opus. Quo pacto & exactus, & qui etiamnũ fiat, de quo dicere inſtitutũ nũc eſt, maraſmus appellatur. At quoniã viuẽtis corporis corruptionẽ, maraſmũ eſſe diximus: ex vniuerſo autem entis cenſũ, tria tãtum viuere dicantur, animalia, plantæ, atq; ſemina, & proptet ea fructus: à maraſmo totidem arripi poſſe proprie dicẽtur: alias corruptiones quotquot à ſicco ſunt, maraſmos metaphorice vocaueris. Quare igni, iíſque præterea, quæ ſenſim corrumpantur, eſt ſignificatus nominis traductus. Nos (cũctis quæ improprie tabeſcere dicuntur miſſis) de præfinita mox tabe, ea præſertim quæ corpori animalis incidat, dicere ſtatuimus. Et neceſſario cõplectentur in ſermone plantæ. Cũ vero modis quatuor ſimplicibus & primis, viuentia cuncta corrumpãtur, quia ſint elemẽta ſubſtantiæ ipſorum quatuor: illa à maraſmo & tabe arripi dicimus quæ ſiccitas corruperit. Si enimuero calidi frigoríſq; lite intra terminos ſtãte, corpus dũtaxat fieri aridũ cõtingat, tabes vtiq; & maraſmus ſimplex erit. quòd ſi intẽperantior calor, aut frigiditas acceſſerit, cõpoſitus modus corruptionis fiet, atq; geminus. Hinc fit vt ex inedijs ſimplex oriti tabes videatur, horũ accidens qui ſponte abſtineant: & eorum qui quod edendo non ſit, propterea eſuríant. Qui cũ frigiditate vero eſt maraſmus, ſenio confectos habet, hóſq; qui affectu ſenio ſimili fuerint detẽti: qui autẽ ex calore fit, febribus quibuſdã hecticis cõtingit. Cæterum, plantarũ corpus totum, & quancunq; partẽ, ex corruptione quæ à ſicco ſit, dicimus tabeſcere, animalium non dícimus, ſed corpus tabe abſumi totum affirmantes, de ſingulis nomen id ferre partibus non cõſueuimus. In præſenti autem, non de ijs quæ ob affectum pattis, ſed quando tabeat totum corpus dicere proponimus. Hinc liquido apertũ eſt, quòd ſi corporis totius ſit affectus tabes, affici animal ſine principis membri paſſione nequeat, ſicut neq; affectus quiſquã alius (membrò ptincipe aliter affecto) fieri in toto poteſt. Propterea tabidis ſiccari cor opòrtet. Si cauſas igitur quæ cor ſiccum facere poſſunt cognouerimus, liquido an inſanabilis maraſmus quiſq; ſit, vel ſanari aliquis poſſit, cognoſcemus. Satius autem ſit forte, & nũc orationem ad principia reuoluere. Peropportunum autem ſit principium, ſi ſenectutis cauſam nouerimus, quia ineuitabilis penitus ex maraſmis ſenium videtur, vſq; adeo vt ſecundum naturam illud eſſe cenſeas. Nanque opera naturæ omnia neceſſarium ordinem eius adepta, euitari nequeunt. Quocirca, quid ſecundum naturã, dictio ſignificet, prius æſtimaſſe expedit. Non enim ac nutriri, & augeri, ſecundum naturam eſt ſenectus. Illa enim naturæ opera ſunt: non autem ſenium, ſed ex neceſſitate eſt inſequens affectio, cum genitorum animalium, quod nequeat ſenio capi nullum extet, adeo vſque vt aliqui ſenium omnia quæ natura regit, neceſſario ſequi aſſeuerent. Quo ſenſu, ſi à natura ſenectam eſſe

capiamus,ſignificatus dictionis alios, ab aliquibus,vt alibi monſtrauimus, perperam creditos,cēſere minime ſit opus, neq; ſcrupulus in oratione amplius ſuperſit. Enimuero ſi,vt dictum nunc eſt,ita affirmant, liquido ſecundum naturā,& ineuitabile eſt ſenium,ſiquidē neceſſario naturæ opera ſubſequitur. Nihilo minus philoſophus tempeſtatis noſtræ quidam, quòd citra ſenium vſq; ſupereſſe liceat,librū conſcripſit, quem ædidit ferè quadragenarius. Ad octogeſimum autem annum, vſque adeo conſumptus ſiccúſque vitam protraxit, vt Hippocratis præſagiorum verba neminem decerent magis: Nares acutæ, incaui oculi, collapſa tempora, frigidæ,& contractæ imis eorum inuerſis aures,cutis faciei dura admodum,tenta,atque arida. Vbi igitur iſtiuſmodi cunctis viſus,riſum mouerat,nō vltra auſus, quo pacto ſenium vitent, alios docere, ſecūdam æditionem de admirabili ſenectæ euitatione tradidit. Hoc enim nomine eam toto volumine dicebat. Ad hæc demonſtrans,quòd non cuiq; ſenium effugere liceret, ſed naturam idoneam præterea requiri,idq; ſi fundamenta ſint cū primis alimentis iacta,pollicitus eſt ſi idoneis ſtatim à natali die pueris aſſiſteret, eorum corpora redditurum immortalia: quibus eum promiſſis culpare non licebat,cum quos ſuſciperet natos, viros ante obitum eius fieri non foret. Damnabāt inſaniam eius ſupinam fermè omnes. At ego quòd multa,& varia,experientiiſq; aduerſa placita, à pluribus viris logicis, rationum vi deceptis, promulgari noueram, mirum vt iuris eſt, neque etiam id cenſui. Quòd enim genitum,omnino interire debeat,nec ſcientificam,nec firmam ſequelam vllam habet, ſed vt apodixeon libro diſſeruimus, quæ tenus perſuaſione poſſit. Nil minus quotquot ſenium viuentibus neceſſario irrepere demonſtrant, ferè omnes ratione hac vſi, medium id ineuitabile indebitā natis omnibus corruptionem eſſe aſſeuerant. Experientia alioqui ſola, ſenium ſecūdum naturam eſt & neceſſarium, ſicut interitus, quem qui liberius pronunciant,& nata omnia neceſſario mox interitura dicunt,neutiquam monſtrarunt. Vnde experientiam ſophiſtis oppugnare ſupereſt. Quam rem efficere credo ille ratus eſt,qui ſeneſcere & mori inſcitia animal dicebat. Sed ſatius forte ſit cauſam,ſi qua eſt demum,cur animalia & plantæ ſenectutem ineant,rimare. Arida enimuero fieri videntur: qualis affectus ſenectutem præſtat:quanquam ſecus aliqui credentes, frigidos eſſe ſenes & humentes dicant. Verum quòd falſi ſint,in libro De temperaturis demōſtrauimus. Num vero vt quidam,propterea ſicceſcant, quòd innatus animalium calor ignis inſtar,ex quo fomite accēſus eſt,augeatur,inde paſtus amoueri nequeat, vnde omnia ſortitur? Enimuero quæ nuper genita ſunt animalia,cūcta humore affluūt, vnde illius copia,ſuffocatus ferè calor fumidus, tardus, & motui ineptus vix erumpit: ſpatio autē victo fomite,validior effectus,non turbidus,nō fumeus,ſed ſerenus,& lucens iam euaſus,munijs proprijs quibuſcunq;(vacans obice) fungitur. Et flammis par, quæ humidioribus lignis inhærentes,humoris affluentia obrutæ, initio exiguæ ſe præſtāt atq; imbecilles: ſpatio feruntur ſenſim,atq; augentur,mox potiores fomite fiunt: eo demum ſubacto, quod ipſarum ſit vigor, in immenſum creſcunt: ab hoc abſumpto fomite languent,& intereunt. Hoc exemplo inquiunt, naturalem calorem,corpori viuo tanquam fomiti coniunctum,initio humidum eſſe,atq; imbecillum:mox auctus ad vigorē vſq;,excādeſcit,augetúrq;,& ignis imitatus flammas,molem in maiorem fertur:demum alimenti egenus(quod ſeneſcere eſt) languet pedetentim: poſtremo (quod eſt interitus) penitus extinguitur. Sermo hic

nequaquam verus,ab omnibus penè tum medicis iunioribus, tum etiam philoſophis probatur,quòd me iudice, male viuentium calorem cum flamma ignis cõferant:obliti quòd vnde pendent,flammis ex corruptione fomitis eſt ortus. At non ſic à formatore ſuo,innato calido,animalia dependent.Sed ſicut quæ augeri ab ipſo poſſint,ac moderabũda:nullo nec tempore hic radicali humido calor nõ inhæret,non formare tantum,ſed alia complura potens. Trahens enim alimenta,digerit,apponit,vnit,ſimilitudinem etiam adijciens.Et vt omnia paucis complectar,in ſubiecto fomite,cõtrarium ac flammæ omnino emolitur. Quæ enim flamma,cui ſit alligata materiam accreſcat? Quæ alimenta materiæ potius quàm ſibi ſimilia efficiat?Quæ quo fomitem ſeruet, tot organa reperit? partes has veſtiẽs,& eo vſq; contegens,nequid extrorſum redundare poſſit. Aperiens ecõtrario alias, latáſq; & riuorum plenas faciens, his alimenta trahens, illis ſpirituũ calorem cohibens: excrementa hinc craſſa,inde tenuia deriuans. Traducam hoc ego imprudens loco,ſi omnes naturæ operationes ordine nunc repetam, integrum de vſu partium volumen. At opinionis auctores eius,innatũ calorem,& naturam pro eodem habent. Quocirca cum flammis illum parum recte comparant. Quòd ſi Hippocratẽ,vnde gignimur,calorem corpora corrumpere, & interimere, nos dicentem aſſerant: quòd non ſit Hippocratis legitimus liber aſſeremus:ſiq; Hippocratis fuiſſe mentẽ hanc dederimus,quorſum ſic dixerit,declarandum eſt,& demõſtratione aliqua firmandum.Cæterum ſi quòd demonſtrare nequeant,tantum fidei ſibi arrogare velint,liquido aberrant.Quòd enim innato calido corpora ſeneſcunt,& ſenio confecta corrumpuntur,verum eſt.At quo fieri exemplo monſtrant,eſt non verũ.Non enim ac flammę tigna,ſic calor viuentiũ corpora corrũpit.Horũ namq; exemplum magis proprium forte his ſit,qui conſumuntur febribus,quam rem, repetitis antea verbis Hippocrates planè inſinuauit. Quòd autem naturæ progreſſu corpora ſiccentur,quódq; innatum id calidũ efficiat,vt primo de valetudine tuẽda demonſtrauimus,& neceſſario nũc repetemus,eſt vndequaq; verum. Effectrix enimuero animalium & ſtirpiũ natura, neceſſario corporeũ aliquid generationis & opificij initium aſſumit: cũ quæ ſunt omnibus ex nihilo penitus oriundi principiũ non ſit.Inde exorſa,ſcopo quem ab initio in generatione propoſuit intenta,perfectum ſcilicet quod generandum eſt(animal aut planta ſit) efficere.Perfectum autem id eſt,cui nulla propriarum actionum deeſt.Firmioribúſq; eſt inſtrumẽtis opus. Vnde reperiantur viuentibus duriores multæ partes eſt operæpretium:contrà quàm in perfecto animali ſint,initio molles neceſſario.Vt apta enim ſit materies,tractabilis,& vſquequaq; ſequax opifici eſt operæpretium. Propterea quãuis durum ſemen,ſymmetro humore madidum, initio tenera ſtirps euadit, vt pro ſemine mox natura fiat. Si animalis igitur fœturam ex ſubſtantia initiari molli & perfecta, euadere in duram eſt operæpretium,in miſtura conſtituentium elementorum prima,humidum ſiccúmq; præſter, eſt opus.aquea natura humido ſanè refertur; ſiccum natura duplex, & à terra, & ab igne prouenit. Quòd ſi initium animalium fore humidum maxime requiritur,à principio copioſior terra admiſceri nequeat. Sic ignis in animalium prima generatione, & ſtructura pollet. Si naturæ igitur vbi ad ſummum vigorem animal plantámve prouexit,totidem rurſus æquis viribus elementa inſerere pariter liceret,ſcitum moderatorem nacta,opificium ſuum citra ſenium & incorruptibile feciſſet: ſed ex malo victu,neque ſic etiam nequeat

corrumpi,quo Aegyptius loco ſuper poſſibili re, artem ſuam demonſtraſſe dicat. Nunc quando inſeri,& mutari animalium & plantarũ prima fœturæ elemẽta nequeunt, vltra vigorẽ exiccari corpus eſt neceſſum, citra ſiccantem cauſam nõ potens,ſed modica ſtatim in inclinatione ſiccitas,pleroſq; quòd non ſit dũ tabes,pręterit.Senium autem non genere,ſed ſola aliud quantitate eſſe,manifeſtũ noſcitur. Hæc neceſſitatis cauſa,ſpatio integram viuentiũ ſiccitatem,nõ ignaris penitus demonſtrat: quídq; ab ortu euitari, aut quid vltra protrahere non liceat. Quî enim quæ primordia generationis animaliũ neceſſario ſequũtur,fieri vetet quis? aut facta infecta reddat? Cæterum quod ſit ſenectutis initium, quandóve primũ id obire corpora incipiant,cenſere nunc pręſtiterit.Enimuero qui vigoris inclinationem primam,ſiccam ac frigidam eſſe arbitrantur,ſenum autem humidã & frigidam,ſenectutis initium in hac cõmutatione conſtitiſſe credunt. Ipſi quòd libro De temperaturis,ab exacto vigore ad extremũ finem, corpora cuncta ſiccari demõſtrauimus:cum integrum intercidens ſpatium ſiccum ſit,iure vnde ſenectæ initium auſpicari liceat, hærebimus: cum à vigore maior, minórve huius aut illius ſiccitas, vbi corpus illius plurimum adeptum ſit,pro initio ſenectutis capi nequeat.Illud/plurimum/nanq;,ſoreticam litem agitandam ſuſcitat. Licétq;,vt pluries & neceſſario accidit,dubietas ea vt vana explodatur,certis tamen terminis, ſi poſſit,res finire quis debet,potius quàm quæſitis inutilibus aſtringi.Notæ autẽ apertæ indecidente ætate ſunt & ſenio,humidorũ excrementorũ redundantia. Vnde qui ſeniũ propterea eſſe humidũ monſtrarũt,falſos eſſe dixi.Inualidas hinc actiones,hinc latentes ad interitum greſſus, ab inclinãte ætate præcipites conſpicias. Hinc hypothetica ſophiſtarum problemata inſurgunt.Morbum etenim eſſe ſenium alij ſupponunt:alij ſtatus ſanitatẽ illius:alij neutrũ quid:alij quòd à natura ſit:præter naturam alij:& hic nonnulli mediũ,& neutrum quid,eſſe ſeniũ affirmant: vnde nõ à natura,non præter naturã,ſeniũ volentes,tertio excogitato nomine,nõ naturam, ipſum eſſe aſſeuerant.Cæterũ huiuſcemodi lites alio tempore licet perpendamus.

Verum enimuero ſenij maraſmum nunquã ſoluas: iuuare autem vt diu producatur, poſſis. Quam rem pars ea medicinæ præſtat, quæ ſenũ valetudini prouidet, γηροκομικὸν dicta,ſcopum pro natura rei habens, obſtare, & quoad poſſit, ſiccitatem eam à corpore cordis inhibere,quæ proprijs fungi munijs ipſum nõ permittat. Id nanq; vitæ ſupremũ eſt, cordis officiorũ quies. Quoad enim motibus cor proprijs mouetur,animal aperire nequit.Si itaq; cordis corporis ſubſtantiã,vel iecoris reddere humidiorẽ liceat, ſenium profecto euitari poſſit. Sin autẽ quis iecur valeat, vel cor humidius efficere, cum ſemetipſis indies, magis magíſq; non modo viſcera,ſed arteriæ neceſſario venæq; ſicceſcãt, ſeniũ euitari nequeat:licet eius properatio tardari.Homerum cũ alia ſanè quãplurima, tum hæc de ſenibus phanatice dixiſſe iudices:à balneis vbi comederint,molliter(quod ſenes decet)dormiant. Humectãt enimuero balneæ, mollis ſtratus,& ſomnus,præcipuéq; cũ primis alimenta.Siquidem quæ aluntur,ſubſtantijs corporũ(hæc aſſimilata ſola)partes fiãt:alia tuendo à ſiccitate partes ſimilares,vel interualla earum irrigando, augendóq;,humectantium facultatem & nomen ſunt adepta.Quo iecur exemplo,& cor humore quo irrigantur aucto,vt dixi, licet humidiora fieri. Ea in attenuatis iunioribus corporibus pluries toto corpore liquido abſumi accidit:accidit idem quandoque, & iecori, & cordi. Quòd vero viſcerum iſtorum, arteriarum & pulſus alterum

origo ſit, venarum & nutritionis alterum, monſtratum eſt quo loco Platonis & Hippocratis placita cenſuimus. Hæc enimuero viſcera, non niſi ab extrema totius corporis ſanguinis penuria, mediocri alimento carent: iecur quòd ſanguis totus inde initium habuerit: cor facultate trahendi vehemẽti. ſua nanq; ſibi mẽbra quæque alimenta, licet impari vi trahũt, in egeſtate propterea ſanguinis impariter tabeſcunt: Cor nanq; cũ valentiſſime attrahat, non prius quàm vltima ſit mẽbris omnibus inopia, caret alimento, vt ne credamus, quando ex diuturna mala valetudine corpus emarcuerit, cor eſſe & iecur pariter partibus alijs attenuata. Id vel in alijs volens animalibus inſpicias, ſi diuturna fame maceratum diſſeces: tenuatas, & penè ſiccas alias partes videris: iecur vnà cũ corde, in naturali ferè ſtatu. Qui enim ob inediam pereunt, non tanta alimenti ſolidorum corporũ inopia, quanta qui iugulantur ſpiritus. Sic mollibus ſunt & humidis partibus ęque ac viuentes, cũ quãtum humidi aderat, alimento iam proximi, integrum ſeruetur. Qui autẽ propter famem pereunt, veram Hercule tabem propius accedunt. Vnde vbi non exactum adeo ſermonem occaſio requirat, maraſmatos eos nominabimus cũ tabidi reuera nondum ſint, ſaltẽ vniuerſis partibus, quæ omnia maraſmus verus ſimul, vnde & ad principia etiã traducitur. Eſt vero in ætatibus/hic/ſenium, in affectibus præter naturam febris tabida. Eſt & ſenio aſſimilis alius affectus, quẽ ex morbo ſenium ſi dixeris, non vt Philippus, qui vnã ex tabidis febrẽ eſſe dixit, deterius enuncies. Febris enim nõ eſt/affectus/ in quo cor fiat debito frigidius. Quòd autẽ eius tẽperaturæ ſit, notã non minimã ex paruo & raro pulſu, vt etiam Philippus tradidit, habebis. In negotio enim de pulſibus, eſt declaratũ iſtiuſmodi pulſum fieri ex frigore. Atqui ſpiritus ſic affectis, ac pulſus pariter paruus, rarus, & per interualla tangitur, ipſe quoq; eorum quæ circa cor ſunt, frigiditatẽ indicans, quã rem in libro De dyſpnœa etiã monſtrauimus. Spiritum enimuero nõ calidum emittunt, frigefacti principij notam euidentem, vt calidi cõtrarium. Quomodo igitur ſi febriunt, neq; thorace, pectoréve, ſub alis, aut coſtarum curuis, ad ſpinam vſq;, aut aliunde calẽt? Quæ omnia Philippus nihilominus cõfitetur. Pulſus tamen duritiẽ, febris notam præ ſe ferre aſſerit, quam præſcripſerit febribus omnibus Archigenes. Verũ enimuero ſi de vera pulſus duritie intelligit, cũ eadem ob arterię ſiccitatem tabidis maraſmatíſve etiam contingat, nihilo magis nota febriũ extiterit. Si autẽ quẽ durum Archigenes, tenus nomine vocauit, rem cui nomen indiderat non habens: fuſius ego id in negotio De pulſibus explicui. Ex morbo vtiq; ſenium, cum ſiccitati frigiditas adiuncta ſit, febris non eſt, at alia ſpecies exurens, maraſmus profecto eſt, ſicut & qui cum ſyncope, cui eſt frequens atq; paruus pulſus. Peculiare autẽ maraſmi exurentis eſt, vt expirãtes, quod ex ardore capias, ſpiritum calentem mittãt, cui ex calore & ardentiſſimis febribus, in ſicco ſtatu potiſſimum eſt ortus. A ſyncopoſis vero maraſmis habiti, vbi diſcrimen vehemens euaſerint, dudum reliquijs etiam affectus detinentur. At frigidus maraſmus ſenio aſſimilis, ex permutatione oritur febrium, quæ ſecus quàm oportuit refrixerint, tum frigidæ potu, tum medicamentis id genus, præcordijs thoracíque adhibitis. Inopportunitas autem adhibitorum, eſt bifariam. Immoderatus enim frigidorum vſus, & non congruum tempus, & ambo ſimul, affectum excitare poſſunt. Quòd autẽ legitimus maraſmus, ſiue tabes, curationem nõ recipiat, antea cum loqueremur de ſenio diximus, & modo repetetur. Simile enim legitimum ſanare maraſmum profitẽtibus

contingit,& putridas iam luxatas costas restituere. Quantum enim vterque, affectuum naturam ignorarunt,ardua rantum astruxisse arbitrati sunt. Attenuatos certe nonnullos curauerunt, quorum cum duplex habitus existat, priuatim de ambobus dicam. Fit enimuero attenuatorum,altera affectio, vbi corporum solidorum absumptus humor sit, quem proprium alimentum eorum dicebamus, & molliores carnes extabuerint:altera quando prima quidem similaria dicta, solida corpora attigerit: hæc procurationem non admittit,sicut nec senium etiam. Prima autem maximi vtiq; discriminis, curationem tamen penitus non respuit, sed communi genere cum alijs omnibus communicans,præsidia quæ aduersentur affectui exposcit. Non autem vt aliæ plures tuta est. Humectare profecto has tres affectiones est necesse ob siccitatem, rem omnibus communem. Vna vt calefiat eget,quam senio assimilauimus:sicut & refrigerari vna,quam deurentem marasmum aut tabem diximus.Syncoposa sola non quæ iam facta sit (id enim nunquã obliuisci velim) sed quæ etiamnum fiat, ex innati solidarum partium humoris duntaxat dispendio, curatione mista eget. hi sunt curationis scopi. At quo quis pacto præsidiorum materiam reperiat,simúlque rationem vsus,est modo perpendendum.Melius enim fecerit Philippus missis quæ volumine primo De marasmò scripsit,de affectus origine,de differentijs,de perturbatione eius, quo dignosci pacto debeat, & de curatione nonnihil tradidisse. Nunc vt videtur, prætermisit omnia. Ego nanque plutibus vtique annis, secundũ de tabe librum quærens,non reperi, nec quenquã qui legisse eum fateretur audiui. In primo enim libro,quem ne primum etiam aliqui inscribunt,sed quòd secundus nusquam sit,De marasmo simplicitet inscribunt,de vsu balnearum meminit, non quòd sint illæ vtentibus præsidium, cum tabidos lædi ab ipsis arbitretur,quasiq; de illis præter rem meminit,nec aggressus rem est,neq; vt sui est moris,de præsidio quicquam exacte pertractauit. Nihilominus,humectare tabidos liquidò cognoscitur,vt licet videas in ijs qui sub æstiuo sole iter fecerint, modóve quouis alio exercitatis, & excandescentibus:hos inquam omnes,& sitientes humectare,& à siti liberare nititur:alios præterea quomodocunq; exiccatos vigilijs, solicitudinibus,venere, cibis, siccante pharmaco,aut ira,humectari ab ipso videas & refici. Tamen balneas vere tabidis, quibus præsidia alia non sint, vituperare Philippus mihi visus est, vt bifariam à sententia eius dissentiam:quódque tabidos vere curari aliquos crediderit: & quòd balneas vituperet.Certam nanq; efficaciæ eius vim,in non deplorata tabe licet experiri. Hos forte nec tabidos exacto nomine aliquis vocauerit: sed quando rem oratione clara explicare possumus,nominum neutiquam satagimus. Tres etenim primæ & communissimę differentię febrium cum sint,diarijs nunc missis,de ijs quæ fiunt ex humore dicam & de hecticis. Quas enim febres puttis excitarit humor,coctione facta, balneæ procurant. Hecticis etiamnum solis, & absque febris vllius implexu,balneæ perpetuo medentur.Sicut præterea putridarũ febrium hectica implexa sit:eædem à coctione prosunt. Nec diuersa propemodum, frigidæ præbendæ tempora censeo. Si aberretur autem, fiet cum iactura maxima: vbi ijsdem (ni vires imbecillæ obstent,) est absque discrimine, vsus balnearum: ipsiq; plures creditos marasmo affectos esse, ijs præsidijs curauimus.quoniam autem primo De differentijs febrium libro, dictum est quòd ex diarijs aliquæ cum hecticis genere communicant, nec primo die exacte satis, sed secundo, aut certę

tertio noſcuntur:à cognitione ſtatim, valente adhuc robore, diſcrimine omni procul eſt gelida præbenda: quòd robur, quòd ſanguis copioſus, adhuc adſit. Spatio enim euadunt imbecillæ vires, & minori ſanguis quantitate ſupereſt. Quocirca duplex plerunque nocumentum accidit: quódque frigidæ potu, partes percutiuntur aliquæ, & refrigeſcunt: quódq; debita quantitas, dum exhibentes præterit, non modo alia ab intenta, pars frigida euadit, ſed illa ſimul quæ febris initium extiterit: Síque vnà cor largius refrigerarint, ſi humorem/id/innatum ſeruet, virtutis caſus accidit: ſi ſicceſcat autem, ſenio ſimilis affectio ſequetur. Quóq; tempore, hecticæ primæ cognoſcuntur notæ, frigida (quaſi febrium cauſis) applicita extrorſum, ſumme proſunt. Sed de his inferius mox exacte diſſeremus. Nunc ad balneas redeo, ſqualidis febribus cunctis, niſi implicitum aliquid obſtiterit, maxime præſentes: etſi in toto animali ſqualor exuperet, vel proprijs in laribus, pharmacis frigidis etiam præſtantiores, fèbris lares, hanc viuentis partem inquam, quæ immodice proprijs ſolidis partibus, primo excandeſcit. Cor enimuero primum, modũ calidi excedens, febrem hecticam accendit: mox non ſeipſo (more cordis) iecur: ſed quòd agatur in conſenſum (vbi affectus cor cauſa nõ ſit) à proximis corporibus. ab his eſt venrer: & à ventre, quotquot largius calefaciendi cor habent facultatem. Quod ex vicinia vero fir, à pulmone primo calefactum cor, hecticam & ſiccam febrem concitaret, cuius maraſmus vtiq; eſt comes: at humor viſceris, & ſpiritus refrigeratio, affectum hac fieri cauſa impediunt. Cæteris autem ex viſceribus, vt plurimum ab affecto loco in ventrem redundans bilioſus ſuccus, hecticas ciere febres poteſt: vnde Philippus tabidorum plurimos ab eryſipelatoſo affectu ventris, male haberi arbitratus eſt. Quòd ſi in ventre, in iecore etiam fore eſt credendum, cum his affectis, tabem fieri cenſeat Philippus. Sed & non raro, ipſe nullo horum affecto, maraſmum fieri ex corde nonnullis conſpicatus ſum, quam rem qui præterierit non video, qui nec iecore, ventréve, duntaxat affectis, vt tabida febris fiat (corde illæſo) demonſtrare valeat: verum non modo in hoc vno, deceptum eum eſſe credo, ſed quòd ex alijs partibus, tabem committi poſſe non crediderit, cum venter ſolo eryſipelate febrem eiuſmodi committat. Abſque hoc etiam cum corpus, citra bilis ſuccum arſerit. Pars etiam alia ſimiliter afficiatur licet: quæ ſi id genus ſit, quæ in conſenſum caloris, cor trahere poſſit, ne febrem affectione ſua non committat nequit fieri, eáq; non ſoluta, tempore hectica, penitus maraſmum inferat. Veruntamen quod prius dixi, litigandum de nominibus non eſt, ſed vt quæ corpus ſiccant affectiones omnes dignoſcantur, probéq; curentur, incumbendum. E quibus vna ignei caloris eſt: quam (ſi ſit ſola) balneæ procurant. Diximus nanq; ab eryſipelaroſo affectu hecticam oriri, & maraſmum, refrigerantis cibi apprime, poruſque egentem, non minúſque extrorſum alijs applicitis. Hæ citra implexum alium, vt ſiccitates omnes, calidæ frigidæve ſint, balneas deſiderant. Mirũ enim opus balneæ hoc præſtant, quod ſiccitatibus calidis pariter ac frigidis occurrunr. Veluti ſitibundos qui non ſitiant efficere, & liberare à ſiti qui ſitiuerint, quæ omnia citra rationem prouenire ab ipſis apertiſſime cognoſcitur: qui ab itinere nãque & ſole calefacti & ſiccati ſunt, lotos modo miro frigidos fieri conſpicias, atque humere, nec diſſimiliter rigentes vehementi gelu calefieri. Fit item vt qui propter iter & ſolem ſint ſiticuloſi, ſi lauerint non vltra ſitiant, & qui non ſitiunt, à balneis bibere deſiderent, qui in illis diutius debent immorari,

illi lauari ſemel:qua ratione iſtiuſmodi euentus fiant, alibi explicuimus. Nunc eſt ad inſtitutum redeundum, quòd febribus quibuſcunque tabidis, vbi immiſtæ ſint, balneæ proſunt. Cum eryſipelate vero, aut inflammatione, putrentibúſve, & incoctis circa corpus ſuccis, lædi balneis contingit, nō vtique ob hecticam: vt nanque febris eſt, potu extingui ſemper, & balneis iuuari eget, ſed ob implexum affectuum læduntur qui laborant. Efficaciſſima præſidia, & apprime præſentanea, quę maraſmum amoliri valeant, quibus audentiſſime contra tabidas vtaris febres, iſta ſunto: at ſi eryſipelatoſus ſit affectus, eſt balneis parcendum. Vbi vero conſtiterit, eſt frigida agoniſtice præbenda. Sic nanque dum tradimus copioſam, dicere ſolemus. A qua (niſi conſuetudo, & operoſa ſitis tolerantia vetuerit) inter initia erit temperandum, & admouēda extrorſum quæ refrigerent, & niſi iuuerint, intus vel coacte danda. Præcipue autem humidæ lactucæ & nouellæ proſunt, puro frigore ſic aſſumptæ aduerſiſſimæ. Quòd ſiquando inſuauitatem oblationis earum mulcere laborantibus egemus, oxycrato (vini modo vires abſint) madidæ poterunt concedi. Cuti etiam lactucæ illitus ſuccus eſt ex vſu, ſedi etiam, ſereos, & frigida quæcunque. At præcipuus ſuccus eſt ex immaturis vuis: quarum cremor portulacis admiſtus, contuſus, & expreſſus, demum in vaſe pleno gelidæ impoſitus, vbi ſit opus, ad eiuſmodi vſus nobis eſt familiaris multum. Efficaciórq; ſi niuis quicquam inſit, cuius ad illitum albioris farinæ aliquid adiungimus. Et duplici etiam linteo ſuperlito, quando oporteat, extra præcordijs appoſito, non dimittentes dudum, ſed quoties tepere cœperit auferendo, alio ſimili adacto, id vſque agentes, quòd intus patiens ſeſe refrigerari, atque à ſiti minus laceſſiri ſentiat. Atque interdum, ex acerbis oleis oleum aut rhodelæon adiungimus: ſiquid præſertim inflammationis in hypochondrijs extiterit. Hoc vtique ingenio eryſipelatoſi affectus ſunt refrigerandi. Sciendum tamen, cum illis non poſſe exactam hecticam coniungi. Hectica enimuero principio, incremento, vigore, & omni particularis acceſſionis inclinatione vacat. Diximus autem in libro De differentijs febrium, præter alia, hecticas eſca ſola, veluti calcem inſperſam aquis ebullire, eáq; abſente irritatione, ſtatum eundem reſeruare. Quòd ſi quando incrementum quāuis breuiſſimum, aut acceſſio intercidat, videndum eſt, humorum putredóne aliqua, aliúſve prope cor locus, antea fuerit affectus, qui non ſimplicem, aut hecticam affectionē habeat, ſed inflammationis aut eryſipelatis participem, & hoc exemplo ſua cuiq; affectui eſt curatio molienda. Deurentis ſanè maraſmi initijs, cum ab ardente ſit, refrigerantia præſidia occurrunt, ſuper affecto loco tum poſita, tū interius aſſumpta. Quòd ſi ex morbo ſenium prouenerit, ſi exactum iam ſit, vtiq; præſidia non ſentit: ſi nondum abſolutum eſt, ſed propè fiens, reſumptionem vnicum curationis inſtitutum habet, quam etiam refectionem appellamus, quæ & ex pluribus eſt particularibus operibus plurima obſeruantia egentibus, de quibus ſi nunc egerim, ſermo prolixus nimium euadet, ſed in medēdi methodo de his abunde dictū. Satis nunc ſit, quòd ſolidorum corpotum ariditas alimentis reparatur. Quòd autem alimentum non ſeipſo ad ſingulas partes corporis digeritur, ſed ab his trahitur, quæ enutriri valeant: in negocio De naturalibus potētijs monſtrauimus. Hæc autem cum imbecilla ex maraſmo ſint, & propter ſiccitatem inualida ad attrahendum, frigore accedente, mortua ferè euadunt. Alimēto idcirco quod ſine negocio trahatur egent, vt quod robori deſit, alimenti infirmitas rependat. Facile autem

quod tenuibus partibus sit,& natura calidis, attrahitur: sed ferè nihil nutrit. Demonstratum est enim alimenta crassitie ea,& glutinositate esse oportere,quæ non facile in halitum soluantur, sed promptius alendis corporibus assimilentur. Hæc vero proposita cum inter se sint maxime aduersa,alimenta vtrunq; probe præstantia nō habeas. Nihilominus quod aliquo hæc efficiet pacto,est studiosissime vestigandum. Ad hæc autem, nihil mihi lacte præstantius sanè videtur, si præsertim mammam sugere quis ori impositā minime abhorreat, vt in phthisicis Euriphon, & Herodicus præcipiunt. Sin autem ab asina,calidum capiendum adhuc est,quod quàm minus possit ambienti fuerit expositum. Idem de alimentis institutum,nō modo similem affectum senio habentibus,atque marasmo syncoposo expedit:sed huic etiam,quem deurentem Philippus appellauit,in quibus alimentorum materia,non vt in senio calida,sed frigida est operæpretium: media ambarum esto quæ syncoposis exhibetur. Lac igitur,ptisana,& chondrus, his est tribus affectibus ex vsu, sed ex aceto chondrus, & ptisana per corpus promptius digeritur. Mel vero in frigidis affectibus est maxime idoneum, econtrario calidis aduersum, iisq; item sic habens quibus iam dicti immineant marasmi. Deurentibus nanque penitus aduersum est: affectu senio simili periclitantibus admodum expediens: syncoposis, ni sit impedimento venter, & solum, & cum cibarijs alijs potest vtiliter concedi. Balnearum vero si opportunus sit vsus, cum ad prædicta alia, tum ad alimenti digestionem est efficacissimum præsidium: non tamen ab inedia diuturna, sed à coctione vtentibus. Huic enim qui nuperrime cibaria ingesserit, balneæ adhibitæ, crudis corpus succis & incoctis implent, ijsdem ab inedia eliminantur vites. In alijs autem corporis conditionibus in mox citato præcipue lauacra sunt à coctione adhibenda. At vini vsus in frigido marasmo est apprime vtilis, à quo in deurente est abstinendum maxime. In syncoposa locum medium obtinuit, quòd medius & mistus etiam affectus sit, frigoris nonnihil atque febris retinens. Eo enim in aduersa mutato, vt frigus & pulsus nunc casum,& vt semel dicam, quæ propria sunt syncopes adducat, modo calorem & pulsus deurentis similis adeo, vt pro vincenti re curationem commutare sit operæpretium: Syncoposis vinum, quæque temperate alant, exhibentes, nec non quæ corpus totum vniant atque adstringant: in deurente autem, ea quæ omnibus his rebus sunt aduersa. Sed qui congruat vsum singulorum,exercitatus in negocio methodi medendi promptissime reperiet: hic nanque non quibusuis, liber, sed habentibus aliquem artis habitum, est editus.

Claudij Galeni Pergameni De Marasmo specie tabis libri finis,
Nicolao Lauachio Medico Florentino interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMATE LIBER, NICOLAO REGIO CALABRO INTERPRETE.



Vid vtique significet comatis nomen apud Hippocratem, vtrum eam quæ ad somnū cataphoram, sicut quidam cōmentantium dixerunt: aut sicut alij somnolentam cataphoram, etenim ita nominant quidā, in compari * nuncupatione commentationem facientes: quidam aut nullum quidem horum, sed lethargicam cataphoram coma à viro nominari aiunt: ab alijs quidem antiquis nullū fier vtiq; magnum testimonium. quamuis enim illi maxime de alia re hoc nomen inferant, nihil prohibet Hippocratem differenter eo vti. Mox enim à poëta Homero videtur vtiq; somnum significare, hoc nomen: ait enim, Quem, dolorose patientem molle coma coopetuit. Et alibi, quoniam ego molli comate tegar. Sed Hippocrates non videtur vtens sic. demum & cum vigilia multoties coma ait fieri, & phreniticis assidere. In principio enim prorrheticæ hæc scribit: Qui comatosi in principijs fiunt cum capitis, lumbi, hypochondrij, & colli dolore vigilantes non phrenitici sunt. In tertio vero Epidimiarum, vt concepimus ab aliquo confesso germanorum eius librorum testimonium, ita qualiter dixit quasi intelligebat, Comatosa autem erat, vrinæ multæ, nigræ, vigil: deinde consequenter ait. Hæcq; vrinarum erant omnino nigra, & subtilia, & aquosa, coma assequebatur, incibabilis, inanimosa, vigil. In omnibus enim prædictis seriebus vigiliæ & comatis videtur memorans. Alium autem infirmū consequenter scribens in eodem libro ait: Huic dia teleos, ex quo ego vidi, vrinæ nigræ, comatosus, vigil. Quare quasi immediate videtur manifestum esse, neq; somnum neque cataphoram ab eo significare comatis nomen. Quidam autem cōmentārium à comazare, id est, crapulose ebriari, aiunt comatosos nominari. vigilant enim qui comazant, vigilant autē & qui comatosi: sed delectabiliter, sicut qui comazanr non valde viuunt, & maxime oculis (humidi enim illi sunt, & rubei, & infirmati, & conuertenres se) tamen totum corpus ambobus fallax est motibus, & incontentibile. Propter hoc igitur Hippocrates de toto concursu ambigit vtrum oporteat phreniticos eos nominare, vel aliud quid: phreniticos quidem verens nuncupare, cum non desipiant, omnia vero symptomata videns phrenitica: etenim caput, lumbum, hypochondrium, & collum dolent, & alia quæ phreniricis eis adsunt. Hæc autem quandoquidem habenr suasibile, nullus vtique contradicet. Sed mihi quidem etiam cum demonstratione fouere dicēdum videtur: oportet enim ex Hippocratis ipsius dictis exposirionem facere dictionis, vt nō solum quoniam suasibiliter dicta est dicere habeamus, sed etiam quoniam secundum ipsius mentem. Non enim, vr puto, oportet solum bonū cōmentatorem, vr suasibiliter & bene dicat, sed etiam menti hæreat conscriptoris quod nondum in præcedentibus, quamuis pars aliqua sicut eius, quòd hoc nomine menris veteris manifestum est per series in quibus vigilia esse coma videbatur: fortassis enim habere iam totum putabis, sed si parum expe-

* al. cōposita

ctaueris & audieris ex eius libro tertio Epidemiarum ſeries alias nedum totum, ſed nec medium totius teipſum inuenies ſcientem. Intendo igitur quod in quadã muliere dixit: ad aliam ex corruptione circa quintum menſem veni mulierem, quam ignis accepit, incipiens comatoſa, rurſus vigil: videtur enim opponens coma vigiliæ ceu contrarijs. Rurſus autem in peſtilentiali conſtitutione Comatoſi ait, ſunt multi, & rurſus vigiles. Et poſt parum, Semper autem plures graue coma ſequebatur, vel paruis vel ſubtilibus ſomnis dormire. Et rurſus, In Thaſo pridem iacebat puer Artemiſij, febris acuta cepit, continua, arſiua incipiens, comatoſa, & rurſus vigil: in omnibus enim his opponit vigiliam comati. Conſuete igitur interpretans inuenies quoniam contrariarum rerum meminit hoc modo, pauca vero de multis ſcribam ex eius libro, melius enim videtur mihi omnia de vno exemplo accipere. Duas ergo mulieres lege quas ſcribit ante peſtilentiam. Conſequenter autem in peſtilentia multos infirmos ſcribit, & primum omnium illum cuius parum ante memini varie & inæqualiter ægrotantem, & multis multoties ſiccis & aridis ad contraria tranſmutationem facientem, incipit autem hoc modo. In Thaſo pridem iacebat puer Artemiſij, febris cepit acuta. Sed nõ eſt opus ad præſentia primarum dierum, earum autem quibus indigeo rememorabor. Vndecima ſudauit non per totum, infrigidatus eſt, cito recalfactus eſt, &c. quæ vſque ad ſexageſimam diem. Vide autem & ea quæ conſequentur, quarta die febriens venter. Rurſus, Si enim deficiebat, & alleuiabatur, cito rurſus reuertebatur: contrarium enim eſt hoc ſcilicet /alleuiari/ huic ſcilicet /reuerti/. Et ea quæ ſecundum ventrem, ait, conſiſtebant, & iterum ſoluebantur: hoc enim ſcilicet /conſiſtere/ contrarium eſt huic ſcilicet /diſſolui/. Conſequenter autem alium infirmum proponens, Octaua, ait, multa deſipuit, & in ſequentibus, & iterum cito intelligebat. Et rurſus conſequenter, Vigeſima parum circum infrigidata eſt, & cito rurſus recalefacta. Et iterum, Vigeſimaſeptima vigil, & venter detentus eſt. non multo autem tempore poſt iſchij dolor fortis tempore multo, febres deficiebant, demum conſequenter inuocilis, & rurſus intelligebat, & loquebatur. Sed cur oportet prolongare ſermonem omnium memorando multoties millium exiſtentium, cum iam multum ab eo manifeſtum ſit huius interpretationis ſpecies, quoniam quando dicit comatoſus, & poſtea vigil, manifeſte opponit vigiliæ coma? Sed ſi vigiliæ cataphoram ad ſummum habes opponere, hæc autem nihil videntur differre à ſignificato comatis: quid erit cum dicit? Detinebat autem eos coma continuum, non ſomnolentum, qui cum dolore vigilabant. Et nanque hæc ſpecies interpretationis propria eſt Hippocratis, ſubintelligere quidem quæ conſequi conſueuerunt, non autem dicitur in ſermone ſicut cum dicit, Cauſi quidem pauci facti ſunt, & minime laborantium ij intellexerunt, neque enim hæmorrhagiabant niſi valde parum, & pauci ſic deſipientes. Et poſt parum, neque mortuum vllum vidi tunc à cauſo, non phrenitica accidentia ſunt facta, per quæ multum ex naribus hæmorrhagiam, non tangere mentem, neque acute obuiare pericula ſignificabat. Et quod infert ſcilicet, / neque phrenitica vidi facta / ſecundum eandem dictum eſt rationem. In eiſdem enim conſtitutionibus & eiſdem cauſis fiunt, & cauſi, & phrenitides: vnde ſecundum horam abundat æſtiuam, & in regionibus calidioribus, & in ætate adoleſcentium, & in naturis calidioribus & diætationibus, ſimiliter etiam & adinuentionibus: & phrenitica tunc abundare dignum eſt, vt in

ſermone ſignificatur:& decipitur qui putat phrenitides quidem omnino non fieri, cauſos autem multos: ſecundum eandem enim mentem dicta ſunt & illa.Erat autem conſtitutio cauſorum qui fiebant,ſic. Incipientes comatoſi, faſtidioſi, phrenitici valde. hi autem deſipici. Et poſt parum, hæc non hæmorrhagiabant bene, neque aliqua alia aſſuetatum apoſtaſium facta eſt critica. Rurſus autem coma videtur inferre de cataphora ſomnolenta cum dicit. Erat autem coma continuum, non ſomnolentum,ceu ſomnolento debente eſſe eo,& tali ſemper fiente.Quando autem in eodem libro ſecundum tertium Epidemiarum in Pythione dicit, Comatoſus,faſtidioſus,manifeſte & hic coma cataphoram aliquam ſignificare videtur. Sed non eſt poſſibile aiunt ſimul cataphoram pati & vigilare:hæc enim mirabiles commentatores dicunt,neſcientes quoniam duæ ſunt ſpecies cataphoræ, ſicut approbatiſſimi medicorum ſcripſerunt, & teſtantur ea quæ fiunt. Commune enim ambarum eſt,quia eleuare non poſſunt oculos, ſed mox grauantur, & dormire volunt. Proprium vero alterius,quia ij quidem dormiunt mox & profunde & diu, ij vero vigiles verſuti ſunt,alia ſuper aliam phantaſia adueniente,& mentem mouente, & ſomnum intercidente. vnde ſemper quidem vigiles manent,ſurgere vero nõ poſſunt,& agere ea quę vigilantium,ſed deficientius ſe habent quàm vt ſi vigilatent, & grauantur, & cataphorant, vt ſperes ſi conceſſeris eis, faciliter vtique eos dormire:conceſſo autem eis hoc,nedum nõ dotmiunt,ſed neque ſpem quam habebant vt dormituri, ſeruant. Hic igitur intellige coma velut commune amborum, id quod vocare conſuetudo eſt nobis cataphoram. ſi vero ſomnolentam ſolum intellexeris, peccabis: non ſomnolentam enim cataphoram priuabis à nuncupatione:non minus quàm alteram indigente comatis nominis nuncupatione.Siue igitur ſomnolenta,ſiue vigil fuerit cataphora,coma vocare conſuetudo eſt ei. Et nequaquam ſibi inuicem repugnant ea quæ ſecundum partem,ſed rationabiliter quandoque quidem in vigilijs paruis inuenitur coma, quandoque autem in ſomno. Etenim cataphora quandoque quidem ſomnolenta eſt, quandoque autem vigil. Quare non habes dicere de cataphoram patientibus quòd vigilant. Vel non tantum tamen differunt, quoniam plures eorum dormiunt: pauci vero eorum qui ita habent,inſomnes permanent: vnde licet amborum ſit paſſio,tamen familiarior multum dormientium inuenitur. Propter hoc igitur dicit, Erat autem coma continuum,non ſomnolentum.ceu vt plurimum ſomnolento fiente. Si igitur commune eſt amborum coma, & ſomno magis familiare, rationabiliter quando vult ſomnolentam ſignificare cataphoram,ſimpliciter dicit comatoſos:quando vero rurſus vigilant,non ſimpliciter,ſed communium ait comatoſos vigiles. nouit enim alterutra, & quoniam familiare eſt ſomno coma,& eius naturæ magis aſſimilatur:& quoniam cum vigilia quandoque conſiſtit. Et ſi quidem hoc ita habet,mirabile nullum eſt ſi non lethargicis ſolum, ſed etiam phreniticis coincidit. Somnolentũ vero coma his quidem non eſt ptoprium, aliquando autem fit: inuenies enim multos phreniticos ſurgentes, neque eleuare oculos omnino potentes, ſed in eodem loco manentes ſimiles lethargicis. vnde hos plurimi & indocti medici neque quod oportet vocare ſciunt, ſed omnino ambiunt, & extranea videtur eis eſſe paſſio hæc,& innominata. Quidam autem permiſtam ex lethargo & phrenitide æſtimant,& vocant eam typhomaniam.Et quod eſt deterius omnibus, quidam Hippoctaticorum ſe eſſe ſimilantium dicunt hoc. Et ni-

mirum aperte ita & manifeste Hippocrate scribente non in dubitato libro, sed vt aliquis alius germanotum esse credito, tertio Epidemiarum, Neque maniacus factus est phreniticorum aliquis sicut in alijs, sed in quadam cataphora pigra caput grauati perierunt. Non solum enim quoniam cataphora phrenitidibus aliquando coincidit nunciauit, sed quoniam & pigra multoties. Quæ autem est pigra, memor eris primo diuisionis, si debes præsentia non obaudire, quando cataphoram aliam quidem somnolentam, aliam vero insomnem vocabam: & illam quidem somnolentã propriam esse lethargicorum, & semper inesse eis: alteram vero neque propriam esse phreniticorum, neque adesse eis semper. Somnolenta igitur quantum ad præsens ipsis lethargicis coincidit: insomnem vero quæ phreniticis aduenit tentabo distinguere, vt possis inuenire dictam ab Hippocrate differẽtiam. Non enim erat eorum qui vane imponunt nomina vir iste: neque stultæ adiacet cataphoræ, hoc scilicet/pigra/: neque dicit sicut Homerus, Humidum oleum, & lac album, nullius determinationis gratia: etenim omne lac est album, & oleum humidum: sed vnumquodque vocabulum & syllaba omnis rem aliquam significat ab eo. De phrenitide igitur loquens quod est ad præsentia vtile docere eos qui consuetudinẽ eius discere volunt, quandoque quidem ita scribit/delirauit/, quandoque autem ita/ transductus est/, quãdoque autem rursus/intercise locutus est/, rursus autem/desipuit/& rursus/egressus est à se/, & iterum/ maniacatus est/, &/ supermaniacatus/, &/ non intelligebat/, &/ præterloquebatur/. Hæc omnia læsam habentium mentem sunt: quos vniuersos tu quidem desipientes vocas. Hippocrati non sufficit dicere genus solum, sed vnicuique magnitudini speciei desipientiæ, proprium adinuenir nomen. Homo enim ait calefactus est, cœnauit: non fuit ausus dicere febrem tanta caliditate in qua quis cœnare potest. Rursus autem magnirudinem volens ostendere febris dicit, ignis assumpsit eum. Occupatus fui in ostendendo diligentiam viri in vocabulis, sed vt iam scientibus & suasis ad id quod quæritur accedam. Duæ sunt species insomnis cataphoræ. Nominatur altera quidem pigra, cuius nunc Hippocrates meminit: Reliqua vero nomine generis vtitur. Commune autem ambarum est, quæ & maxime differunt à somnolenta, quoniam loquuntur & delirant nulli hærentia menti, & ad assurrectiones promptissimi sunt: Quorum nullum in lethargicis existit cataphoris: neque enim seorsum quid loquuntur, & versute sunt difficile sentientes, neque acclamantes & pungenres excitantur faciliter. Coma vero phreniticum quidem & insomne extra hanc est dissensibilitarem & immobilitatem: etenim surgunt faciliter audientes vocem & sonum omnem, & si retigeris partem corporis, mox oculos eleuant, & ad tangentem aspiciunr. In ipsa autem cataphoratione vel manum mouent vel crus, vel vniuersum corpus eijciunt irrationabiliter & repente, & desipice exiliunt ad instar spasmi, & hæc omnia faciunt cum eo quòd loquuntur aliqua non congrue: Quorum nullum qui sunt lethargici cum cataphora faciunt, immobiles enim semper & inuocibiles iacent, eis qui profunde dormiunt assimilantes. Ipsorum autem qui non somnolenter cataphorantur, alij quidem ita facile & multum mobiles existunt, vt neq; deficianr clamantes magne, & moueant aliquam particulam vehementer, sed si excitaueris eos aut loquaris aspiciunt inconuenienter, & magis egrediuntur à se, & malum facere rentant, & omnino in audiendo promptissimi fiunt nihil relinquentes ab his qui summe desipiunt. Alij vero

econtrario ſurgentes magis intelligunt,& non multum mouentur,& tunc magis deſipiunt quando commiſeris eos comati: & ſecundum hoc maxime licet eos diſcernere à cataphoris lerhargicis. Hæc igitur eſt quæ ab Hippocrate dicitur pigra caraphora. Quoniam autem aperte didicimus quòd non ſolum hoc ſcilicet cataphorari quibuſdam phreniticorũ accidit,ſed etiam hoc ſcilicet pigre, de hoc vtiq; maxime aliquis dubitabit,ad reliquã tranſeamus dubitationẽ:cuius ſi quidem aliquam inuenerimus ſolutionem,habebimus iam totum.Eſt autem dubitatio hęc: poſtquam meminit Hippocrates in prorrhetica comatoſorum vigilum, dubitat vtrum phreneticos eos aut aliud quid vocet.habet autem ſeries ita:Qui comatoſi in principijs fiunt cum capitis,lumbi,hypocondriorum, & colli dolore vigilãtes, num phrenetici ſunt?Scribitur autem dupliciter hæc ſeries:in quibuſdam quidem exemplariorum ſic:in quibuſdam autem abſque hoc ſcilicet,ſunt num phrenetici?Sed nunc quidem primo ſcrutemur cur duæ ſint ſpecies primæ comatis, & altera quidem lethargicis ſemper,reliqua vero phreneticis aliquando concidat. dubitat nunc Hippocrates,ſi oportet ita habentes nominare phreneticos: hoc nanq; nedum dubitabile, ſed econtrario facile inuenibile & promptũ videtur eſſe:quando enim ſunt comata,& ſomnolento quidem proprio lethargicorum non potẽte intelligi(hoc enim ſcilicet/vigilantes/adiacens non permittit id ſignificari)de reliquo comate an phreneticum ſit videtur enuntiare: qualiter igitur dubitat? Syllogiſtica eſt hæc/num/aduerbium,& non dubitatiua. Sed hoc quidem ſi non haberet barbaram interpretationem & omni conſuetudini græcæ extraneam,fortaſſis vtiq; acceptarem:quia vero neque alij Græci,neque ipſe Hippocrates tali compoſitione propoſitionum inueniuntur vti: qualiter ſuſcipiam ſyllogiſticum eſſe /num/aduerbiũ? ante enim quàm aſſumptionibus vtamur in ratione,& præloceemus eas concluſioni,non eſt ſyllogizare: puta vt quod dicitur manifeſtum fiat etiam minus exercitatis:hoc ſcilicet, num dies eſt?&,num veniet hodie? dubitandi habet aduerbium.ſi vero ratione enuntiate eis voluero vel ſimpliciter dicendo ita abſque omni demonſtratione,veniet hodie:vel cum demonſtratione,hoc modo: ſi ſol ſuper terram eſt,dies eſt:ſi ambulat,ergo mouetur.quando vero ſine demonſtratione enuntiamus quid,non indigemus aduerbio ergo:ſuperfluus enim eſt ſermo:& nullus dicit ita,dies eſt ergo:neq; ſic,ergo eſt dies:cum liceat dicere ſic ſimpliciter,dies eſt:neq; ſic in demõſtratione poſſibile eſt vti hoc ſcilicet/ergo/ Qualiter enim erit demonſtratio, omni demonſtratione ex aliorum aſſumptionibus aliam aſſumptionem comprehendenre? ſed nullam videtur nunc aſſumptionem ſyllogiſticam ad demonſtrationem accipiens: qualiter ergo/num/aduerbium fiet pro dubitatione ſyllogiſticum & illatiuum?cum aliquibus enim neq; eundem locum obtinent dubitandi aduerbium, & ſyllogiſticum & illatiuum vocatum:ſed dubitatiuum quidem proponitur ſemper,ſyllogiſticum vero & illatiuũ inter nomen & prædicatum locatur:dubitãtes enim ſic dicimus:num dies eſt?ſyllogizantes aut ſic:dies ergo eſt.Qualiter igitur nunc prælocatum eſt? ceu non ſyllogiſticum exiſtens prælocatũ eſt:non enim eſt dictũ ſic: phrenitici ergo ſunt:ſed ſimpliciter num phrenitici ſunt?dubitante manifeſte Hippocrate & non audente enunciare firmiter de eis: ſicut quippe & in multis faciens: ſufficiet autem vnum vel duo exempla ponere, vt non immoremur amplius in ita apertis rebus. In primo igitur Epidemiarum ait:Poſt hoc dyſentetici facti ſunt:ergo(quoniam mixerunt

aquoſa)ſcrutandum?In hoc enim hoc ſcilicet/ſcrutandum– adiacẽs non permitrir vt aliter audias– ergo/aduerbium quàm vt dubitando ceu verum enim air ſić, In ſexto vero Epidemiarum,Congregatio ait poſt vrinationem infantibus : ergo quoniam in caliditate?In ipſa vero prorrhetica air,In phreniticis alba ſeceſſio ma lum:ergo in his pigrities.Et iterũ, Inuocalitas ſpiritus in his qui ſuffocantur non eſt promptum malum : num & deſipientibus non tale?Si ergo oportet caput imponere ſermoni:& neq; alius quis Græcorũ ita vſus eſt/ num/ aduerbio,neq; Hippocrates ipſe,vt ego nunc oſtendi,inturbabir vtiq; quis,vt puto,eos qui conãrur id non vt dubitãdi aduerbiũ eſſe, quàm difficiliorem me videam facere rationem. Cum enim determinata ſit ſomnolẽta cataphora, à nõ ſomnolẽta phrenitide iam exiſtente:qualiter nõ cõuenienter abſurdum videbitur nõ certe enuntiare phreniticos eſſe hos? Sed minus quidẽ curæ eſt mihi de difficultate quæ in verbis quàm de veritate:& quoniam dubitatiuũ eſt aduerbium fateor,& oſtẽdam cauſam propter quam non fuit auſus phreniticos enunciare hos tales Hippocrates, ſed ad hæc dubitar. Hoc enim ſcilicet/in principio/adiacens, totam habet ſermonis virtutem:quod relinquunt plurimi commentatorum,ceu vane præſcriptum. Simile nanque accidit pluribus incipientibus ægritudinibus : quale aliquibus ebrijs eſt videre fiens,quando comatoſi ſunt,& falluntur,& grauantur capite, & neq; ſi cogantur,eleuare poſſunt palpebras: propter hanc eandem aurem grauedinem dormire non poſſunt : anxiantes & vertentes & proijcientes ſeipſos, & permutantes aliàs ad aliam figuram.Hęc enim eſt videre multoties ebrijs fientia,repleto in ipſa ebriatione capite,deinde præ grauitate ad coma tracto, ſimul autem & à ſomno prohibito.Ita igitur & multitudine indigeſta caput comprehendẽte,vigiles ſimul & comatoſi ſunt.Et hoc ſecundum principia quidem eſt videre fiens (ſicut & ex vino)ſed hic quidem neque lethargus,neq; phrenitis ſecuta eſt: poſtea vero acris fiens,ad phrenitim terminatur : multis autem id quod ſubtilius eſt digeſtum vel diaphoratum,euacuarum eſt:remanſit autẽ quod groſſius,& ita lethargus factus eſt procedente ægritudine.Hæc talis igitur diſpoſirio,ſicut nos demonſtrauimus, prope phrenitim eſt:ſicut autem qui miſtam eſſe paſſionem ex lethargo & phrenitide introducunt æſtimant,illi eſt magis cognata.Vtrum autem eos qui ita habent nominare oporteat phreniticos, vel eos qui parum poſt futuri ſunt eſſe:hoc alterius vtique eſt ſcrutarionis non iuuantis in aliquo ea quæ nunc præiacent : & etiam quia neſcio cur cum quidam apponant huic,ſcilicet num phrenitici hoc ſcilicet ſunt,quidam non apponunt.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE COMATE libri finis,Nicolao Regio Calabro interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE CAVSIS PROCATARCTICIS LIBER, NICOLAO REGIO CALABRO INTERPRETE.



Ntiqui quidem phyſicorum iuuare ſtudēres humanum genus,non ſolum mouebāt & proponebant aliquid eorum,quæ manifeſte cognoſcunrur, ſed quæ immanifeſtorum conabantur admuenire multa,& augeri quidem in eorum inuentionibus ſecundum illa tempora abhinc maxime proueniebat. Eorum vero,qui poſt eos venerūt, medicorum & philoſophorum,quidam quidē appetentes gloriam: deinde, vt iuſtum eſt, deſperantes non fortunati ea,conari ſunt aſtuti fieri.Quidā vero non potentes ſoluere ea,quæ ab illis propoſita ſunt,ſophiſmata,duorum alterum paſſi ſunt: vel enim crediderunt eis,vt veris,vel de omnibus dubitare iuſtum fore putauerūt. Vtrum autem aliquod eſt eorum,quod eſt de primitiuis & procararcticis nominatis ſophiſma?vt quidem coactis ipſo prioribus propter cauſam eorum,qui venerunt,alios quidem in dubitationem conſtituerunt: alios vero credere ſic aſſerunt, vt neceſſariam & vtilem theoriam ſufficientem exiſtentem ſecundum ſeipſam, & ab Hippocrate dictam eſſe hanc artem longam, adhuc puto longiorem faciant hi mirabilibus ſophiſmatibus.Cum autem ò Gorgia licet deriſeris huiuſmodi medicos,& maxime nuper videns quendam ſpretum & valde redargutū ab ipſis operibus artis,rogaſti nos ſubmemorationes ſcribere tibi de procatarcticis cauſis, quas vtique & occaſiones multi antiquorum nominant : fiunt enim maxime circa animalium corpora,quando imbecilliratem manifeſtant, occaſiones ægrirudinum dignum æſtimauerunt nominare. Nullus igitur euectātium cura à gelu infrigidatus,vel à calore æſtuarus,vel amplius exercitatus,vel triſtatus,vel aliquod tale ægrotauit:ſed ſola imbecillia corpora,huiuſmodi cauſæ tangunt,& exinde puto occaſiones argumentationum præberi ſophiſtis demonſtrare conantibus, quoniam ſi aliquando non nocent imbecillibus,neq; tunc nominabuntur iuſte cauſæ. oportet enim (ſi quidem ea eorum natura agūt,& agere à ſeipſis habeant,& nō ab imbecillibus corporibus) ſuper eas apparere effectiuas. hoc autem non ita habet: ſed ſicut videmus in theatro:contingit enim mille ſedentibus,æſtuare quatuor,& horum ipſorum vnum aliquem febrire,& nō omnes: ſicut & amicum noſtrum Menādrum pridie exire quidem à ſtadio poſt agonem dicentē & caput dolere,parum vero poſt febricitare incipiens.Hunc enim viſitantes nos ſecunda die mane iuſſimus quidem,vt noſti,fomentare rhodino caput, deinde dormire, & poſt balneari plurimum,nihil timendo & ſi adhuc videatur aliquid febris remanere : alijs vero medicis expectare videbatur & videre eum,qui per tertiam paroxyſmum qualis erit.Verbis igitur pluribus motis,quorum gratia tibi ſcribi à nobis poſtulaſti hęc, quia neque illi nos,neque nos illos poteramus permutare,autoritarem electionis in laborante committentes,omnes receſſimus ſimul.Parum vero poſt quidam famulus Menandri veniens ad nos,redire ad domū rogabat domini ſui,& nos obedimus. erat autem Menandrus ille rector non ſic rudis exiſtens,vt rationes dictas

non aſſequeretur:vel non cognoſceret plus poſſe veriores,quòd diſſonãtiam,quæ in rationibus experientia maximus iudicare ignoraret, nec obliuiſceretur eorum, quæ perfecta ſunt, quando eum,qui in labore febricitauit,iuuenem in balneo lauans ſanaui confeſtim, alijs medicis prohibentibus. Alium vero,vt noſti,ſimiliter illi dicens ab æſtuatione febrire,ſanaui balneis pluribus:ac quoniam dubitantibus illis primo,& timentibus,& ignorare confitenribus,ad quid finiret ægritudo iuuenis,qui deſipiebat,ridens ego hæmorrhagiam patieris parum poſt ex naſo dixi, & totaliter liberaberis ab ægritudine:illis vero deridẽtibus,& talia diuinare dicentibus eſſe impoſſibile,repente dexter naris effluxit ſanguinem:& quoniam ſudorem prædixi,& prouenit:ſic & per ventrem euacuationem multam,& vomitum,& coma,& multa alia talia de natura ægritudinũ & cura. Illi vero tanto deficiunt confidere aliquod tale opus, quòd cõfitentur diuinatorum eſſe magis,quàm medicorum,omnes huius prædictiones.Et propter hoc nõ debebat eis credere.Ego autem à principio nec vocaui eos,nec vnum ex eis,ſed neſcio qualiter & hoc admirãdum agunt inter alia maxime: per ſe vocati enim vadunt ad ægros. Dixit igitur mihi, qualiter iubes vti rhodino? & quæ poſt balneum offerre cibaria? nuncia mihi,propter hoc enim te vocaui iterum. Ego autem de his iubens,quæ mihi viſa ſunt,abij ad quendam agrorum,qui iuxta ciuitatem.rediens vero ſecundo die,& videns ſine febre eſſe certitudinaliter hominem, rurſus iuſſi balneari plurimum, & conſueta agere,& ſic præoccupauit ea,quæ ſecundum naturam,omnia facere, antequam famoſam expectare diatritum. Noſti autem & alium adoleſcentem paulominus pereuntem ab huiuſmodi medicis,qui exiſtens cholericiſſimus & calidiſſimus,deinde ambulans cõtenſe per æſtum multum,& regionem profundam & arenoſam, venit ad gymnaſium iam ſiccatus. Cum autem eſſet vnctus, & fricatus (etenim gymnaſticus erat adoleſcẽs ille) alius,qui ſimilis ætatis eſt,complexus eum, ſicut plerunq; fit, exacerbauítq; eum intantum,vt obliuiſceretur, quoniam poſtquam eſſet fricatus vnctuoſe præiacebat,& luctauit amplius. Cum etiã eſſet balneatus, & iret domũ,tertium ei multo maius inconueniens anterioribus contigit:obuians enim quibuſdã amicis rixantibus & iam ſe percutientibus, conatus fuit eos diſſoluere.Exinde igitur ſiccatus eſt totaliter,& horrorem patiens,iam & aduri putans, ad ſuam iuit domũ,& decubuit.Sequenti igitur die ad hos mirabiles medicos incidens, neceſſario eum,qui ad ſequentem diem tertium debentem eſſe à principio paroxyſmũ expectare iuſſerũt,nobis tamen cõſulentibus quàm citiſſime balneare eum maxime pinguiſſime,& cibare humidiſſime.Noſti igitur qualiter immittẽte eo,qui per tertiam,paroxyſmo,omnifariam ſine pulſu factus eſt,& infrigidabatur, & moueri & transferre ſeipſum nõ poterat, à ſiccitate autẽ ſimul & imbecillitate, quæ ſecundũ virtutem,neq; os mouere poterat adhuc,& neq; linguam,neq; loqui quantũcunq; modicum.Venit autẽ ex neceſſitate ad nos famulus,rogãs ire & iuuare adoleſcentem feſtinanter: poſtquam autem ipſum maraſmatum vidimus, vix ſanauimus pluribus deinceps diebus ſicut noſti & ipſe,qui vidiſti. Hoc fiens, inopinabile viſum eſt omnibus medicis: ſcriptum enim non eſſe id ab aliquo anteriorum aiunt, & æſtimant noſtræ temeritatis eſſe, ſcilicet ante immiſſionem paroxyſmi cibare ſimul & vinum dare adoleſcenti. Quandoque etiam eorum vi os aperui, cibum largiens. Quando vero melius ſe habebat, non dedi cibum ei ante immiſſionem paroxyſmi, vt crederes qualiter exſolueretur, & infrigida-

retur,& prope impulſualitatem veniret,& qualiter his factis vix ſuaſi credere medicis,qui tunc erant præſentes,hoc eſſe maxime,quod ſaluauit hominem, ſcilicet ante paroxyſmum cibari & vinum offerre. Qua autē ratione hoc faciebam,interrogabant, & de eo,quod fiebat mirabantur. Sed non erat,vt puto,iuſtum eis mox reſpondere, ſecundum principia artis confeſtim errantibus, & nec ex quibus elementis corpora animalium,neque qualis ſit ægritudo febris ſcientibus. Sed de his & per alia monumenta ſcriptum: & non oportet nobis maius fieri illud,quod poſt opus præiacente conſideratione, licet ſit maxime vtile. Inſtituimus enim non dicere aliquid inutilium per hos ſermones, ſed abſcidere,quod eſt prauum, ſimile agentes his,qui veterem viam emundant ſpinis & rubis plenam: non enim eſt illis ipſa intentio rubos vel ſpinas abſcidere:ſed quidem ante feſtinantes proijci & puncti ab his ſylueſtribus plantis,abſcidere primo eas cogūtur, deinde ſic ad id,quod præiacet à principio redeunt:ſi vero non rubos ſolum vel ſpinas,ſed hamos & occupatoria quammulta habet via: multiplici vt puto tempore detinebit eum,qui emundare ipſam deſiderat.Sunt autē in nunc præiacente conſideratione alia quidem ſophiſmatum velut ſpinæ, quædam vero rubis prohibentia, alia vero hamis aſſimilantur,& improuide quis ſe habens,ſi ceciderit,comprehendetur. Quocirca & odire iuſtum eſt ſicut eos,qui in via,per quam gens ambulat,talia deponunt,ita eos,qui ad artem benignam impediendam conſtruunt ſophiſmata. Igitur & nos alia quidem eorum abſcindamus:alia vero emendemus:alia vero teramus,purgantes antiquam viam non ad ciuitatem ducentem,ſed ad artem omnibus ciuitatibus vtilem.Interrogemus igitur primo eos, qui nunquam ægritudinum cauſam æſtimant eſſe infrigidationem immoderatam, neque æſtum,neque repletionem,neq; aliquid aliud talium,ex qua vnquam ratione ſapientiæ & vnde inuenientes ſuadēt nobis?non enim à terra habitabilibus:nullus enim eſt hic,qui non aduertit & fugit in æſtate media & maxime in ortu canis meridiem calidam,& regiones ſuffocatiuas, & ſine ventis, & multo vtique magis ſi annuales venti non flant.Si vero incontriſtantes eſſent immoderatiores æſtus,quæ vtilitas eſſet domorum frigidarum?quod autem commodum aquarum frigidarum?quęvero vini & balnei fruitio?quid autē deuiatio vult,quæ iubet domo vmbroſa vti?vino vti modico?quis non iubeat vino madefacere pulmonem?vel cannam pulmonis exſolubilem fieri? ſi vero impericuloſa eſſet æſtus conuerſatio, vanum eſt fugere eam. Deijciat igitur mulier quidem pileum:& bubulcus, & quicunque alius paſtor viridis plantæ coronam deponat:nullus vero viator ferat in capite cooperimentum: auferantur etiam à cōuiuijs æſtiualibus hederę extremitates,& coronæ de roſis, & aura flans, & aliæ vniuerſæ conſolationes æſtus:doceo paſtores & bubulcos in meridie non fugere ſolem, & neque ad vmbroſas & verſus boream regiones ducere animalia. cur enim fugiunt intriſtabilem rem?cur nam remedia quærunt eius,quod contriſtat? ſed neque his ſuadebis, neque alia docebis edita à natura fugere,quæ contriſtant.Vnde venis?ex quo mundo?dic.vniuerſa enim animalia,quæ ſunt apud nos, operibus ipſis redarguunt tuam delirationem: quæcunque enim longe peregrina ſerpunt,per multa ſtadia abſcedunt fugientia æſtate caliditatem,hyeme vero frigus: quæcunque enim nequeunt abſcedere omnino, vtique alicubi effugiunt æſtum & frigus, mutationibus locorum per cauernas vel habitacula vel aliqua alia cooperimenta, vtentia. Vellem autem teipſum ô ſophiſta generoſiſſime in

media æſtate,quando oritur canis,in aliqua regione profunda,& abſq; ventis,ſtare nudo capite,non per totam diem,neq; in multis conſequenter, ſed in vna ſolum: nam rribus horis ſolis,verſus meridiem non eſſes ſolum adurẽs,& febriens,ſed & deſipiens,& inanimatus efficereris magis quàm nunc bonũ etiam eſſet die hyeme in diſcooperto loco te ſtare ningente vel pluente multum,& non ſimpliciter ſic, ſed balneatum prius in balneo tepido:tunc ſentires euidenter,quicquid eſt infrigidatio, & quæ omnino cauſa ægritudinis ſequetur. Mirandum autem eſt & de eo, quòd vituperas balnea,ſeu male lauantia. Sed quid eſt aliud male balneari quàm non habere commoderatam caliditatem?ac etiam ſi non nocemur & à calido & à frigido,cur viruperas ea,quæ à temperantia quidem egreſſa ſunt,calidiora vero & frigidiora decenti exiſtunt? cur autem ſi in balneo quis claudatur,moritur? propter quid vero multi infrigidati in vijs anticipauerunt mori,antequam ad omnicapulum venirent?an mori quidem aliquos immoderationibus caliditatis vel frigiditaris occupatos verum eſſe æſtimas,nõ autem verum noceri? & poſſétne vnquam aliquis non nocitus mori?Hoc audientes iniqui ſophiſtæ deceret eos intrare ſub terra,& nunc demum prius verecundari,& deponere,quæ male opinantur: ſed intantum deficiunt hoc facere,vt ſophiſmata,quæ inuerecundiorem ſimul & promptam habenr inconuenienriam , non pigritent tangere , dicentes diſceptare noui,quoniam nullus nocerur ab his talibus omnibus.Sed quoniam non eſt cauſa nocumenti,ſi eſſent cauſæ,ſemper eſſent hæc talia . Rurſus igitur nos oportet & horum ſoluere compedes in nomine ſolum propter locurionem & nõ in rebus facientes.Si enim eſt aliquid,quod poteſt quidem inferre nocumentum,non ſemper autem, hæc ægritudinalis cauſa eſt. Si vero tu non vis,quod aliquando nocet in illo temporaliter,concordare cauſam nominare,nequaquã in re eſt,quod quæritur,ſed in nomine tranſit ſophiſma.Sed nocere id dic,non ramen nocumẽti cauſam exiſtere:& nociuum nomina,non concedens rationem nuncupationis:nuncupatio enim eſt nociriui ſicut & ſanatiui:ratio vero,quæ æqualiter ponirur nuncupationi,non eſt aliud quàm nocumenri cauſa:Pone eam aliquem non intelligere: quid dicis ? nociuum dices,quodcunq; eſt nocumenti cauſa. Sed non eſt nociuum ſimiliter,quod mihi nocet:cauſa enim ſemper:ſed nũc demum,quoniam voce nocumenti cauſam neceſſarium eſt id dicere eſſe huic corpori,quod nocetur.hoc autem erat id,quod quæritur.Sicut enim,ſi ſemper noceret,ſemper diceretur eſſe cauſa nocumenri,ſic quia non ſemper,ſed aliquando nocet,manifeſtum eſt,quoniam tũc ſolum dicetur cauſa.tu autem ſi non ſic vocare volueris noceri hominem, nihil eſt hoc ad ipſam rem,ſed de nomine eſt litigatio.Quid enim eſt de re litigare, dicendo quoniam hic,qui nunc febrit homo,propter ſolem calidum,vel gelu frigidum vel propter ampliora exercitia nocitus eſt?hoc enim eſt quærere de re.ſiue aurem cauſam oportet nominare id,quod nocuit,ſiue non,de nuncupatione eſt diſceptatio.Sed ſi & hoc acceperet aliquis:nihil quidem ad medicatiuam oberit:non tamen cõcedimus præceprum.Poſſumus autem faciliter exponere,quid ſignificat Græcis nomen cauſæ & cauſa:& hoc iterũ ſic eſt paruum,vt nullus in lingua Græca nutritus ignoret ſignificatũ.interroga enim aliquem euntem ad forum ſic:quæ cauſa te duxit de domo?& cõſidera reſpõſionem:dicet tibi proculdubio,quoniam emprurus aliquid venir,vel vt amico loqueretur, vel quid tale aliud: in omnibus opporrunitatem indicãs eſſe cauſam operationis. Vnum vtiq; eſt hoc genus,quod

siue id,propter quod fit,volueris nominare,siue vtilitatem generationis eius,siue finem,siue intenrionem, nihil differt: inrelligere enim volo re id,quod dicitur, & non semper vocabula. Vnde & si non vis exempla alia,sustine. pone enim te interrogare carpentarium perforantē lignum,vel dirigentem,vel dolanrem,vel compaginantem: propter quam causam sic facit: illum vero respondere gratia lecti facere:& eam iste primo intentionem actionis respondit,cuius gratia vniuersa desinit actio.Ita aurem & si textorem interrogaueris,propter quid fila sint staminis vel deponit lanam,vel carmina:finem actionis respondebit tibi:gratia enim construćtionis indumenti hæc dicet fieri:Indumentum autem ipsum interrogante te propter quam causam construitur: omnino dicet gratia cooperimenti corporis, vt frigoris causa omnibus assuetissimum. Aliud non minus isto consueto,quando causant materiam: etenim carpentarius increpatus,quoniam paruum construxit lectum,causam lignis attribuit:& formator terræ:& pictor coloribus. Quis non audiuit multoties interrogantes homines, quæ sit causa,propter quam lectum ab applicationibus solutum est? quæ autem sit,propter quam obtusa quàm cito picturæ floriditas facta est? quæ vero sit causa cadēdi cito domum? respondētes autē, quoniam viridia compaginata fuerūt ligna:& deinde siccata euersa sunt. illū vero, quoniam colorum idoneorum copiam non habuit.illum autem,quoniam lutum vel calx vel quid aliud fuit prauum. in omnibus enim talibus causauit materiam. Sic, & rursus in his organa causans: propter quam enim causam praue compaginauit lectum carpentarius bonus? ille vero respondit,quoniam praua vsus fuit dolabra,& grosso terebello:& limatricem non habebam: & martellum amisi: & securis erat obtusa: & alia huiusmodi.Sicut puto & librorum scriptor interrogatus, propter quam causam scripsit praue: chartam inueniri dicet asperā, & incaustum fluidum esse:pennā obtusam:& applanatorium non habere,vt insigutaret melius. rursus & iste in charta quidē & incausto causat materiam: organa vero vituperat, pennæ & applanatorij memorās. Quoniam autem & ipsos artifices causam ponūt delictorū,quę in facturis, quando non habent organa vituperare, quis non nouit? ac bonorum effectuum causam enunciauit conditorem maxime. alius enim fuit causa,vt pulchra fieret statua, Phidias. alius autem fuit causa statuæ Iouis,quæ est in Olympia. causam autem & medicum sanitatis æstimant,quam ægris fecerit: & gubernatorē nauis,quam influctuantibus fecerit: & compaginationis nauis nauifactorem:& lecti carpentarium. Et primę deinde & principalissimæ causarum sunt duę:hæc intētio,cuius gratia fiunt ea,quę fiunt,& conditor,à quo fiunt: tertia vero & quarta significatiuè sunt causæ: scilicet organa,per quæ, & materia ex qua. In humanis itaq; artibus vniuersis non conuenientibus causis,nunquam vtique proueniret effectus. nisi enim esset vtilitas lecti, nunquam carpentarius lectum construeret. & si vtilitas quidem esset,nō autem adesset ei serra,& dolabra,& terebellum, & alia præparatio carpērariorum organorum: ac etiam neq; & si hoc habet, lignis vero careat,poterit vtique componere lectum. & si organa quidem adsint, & ligna, & vtilitas generationis eius properet, solus vero artifex non adsit: non poterit vnquam fieri lectus. Ita autem est & in alijs omnibus artibus: gratia enim alicuius agunt omnes: & materia erit aliqua: & organis indigent. Quæ vero aliter fiunt secundum aliquam causam, vno quidem priuata sunt genere causæ, scilicet eo,propter quod:hoc enim est id,quod à casu:nullius enim fit gratia.priuantur

autem aliquando & eo,quod per quod:hoc autem eſt organum. id enim, propter quod fit,quod fit, eſt vtilitas generationis eius:per quod autem,organum: à quo vero, conditor: ex quo autem, materia. Et manifeſtum eſt, quoniam nullum eſt, quod non indigeat omnino materia,ex qua eſt:& effectiua cauſa,à qua eſt.Vnum nulli eſt contrarium:ſed ſemper indiget conuentu patientis quidem, vt materiæ: agentis autem alicuius circa eam,in ratione conditoris: & aliquando quidem organo indigentis, & agentis gratia alicuius:aliquando vero ſine organo,& nullius gratia.Calcitratus enim quis in pugna , & interficiens calcitratum, efficiens quidem eſt iſte, & vtique dicat quis mortis:organum vero eius crus eius factum eſt: & materia corpus calcitrati:& ſi quidem ſponte hoc fecit,omnino gratia alicuius. Si vero nullius gratia,non inde bona fortuna coaducta eſt. Si vero ex continentis nos aeris frigore vel æſtu eſt nocumētum:effectiua quidem cauſa,qui cōtinet,eſt: materia vero,corpus,quod patitur?Nullum igitur effectiuum abſq; conuentu alicuius patientis & efficientis ſperes inuenire . Si enim,quod patitur,auferas,ex quo fit,quod fit,interimes efficiens,à quo fit:oportet autem vtraq; conferre ad generationem eius,quod fit:& quæ conferunt, hæc cauſæ eius iuſte dicantur. Quæcunq; enim ex ſui natura ad generationem eius conferunt, hæc cauſas vocāt omnes homines.tu autem ſi vis ex ſui natura dicere,vel principium dicas.In omnibus autem his opponitur,quod accidens.carpentarius enim,terebellum,& lignum ex ſui natura conferunt quidem ad vaſis generationem:in ipſo enim,quod cōſtructum eſt, licet oſtendere & ligna,& foramina à carpentario facta per terebellum.Locus vero,in quo iacebat lignum,quod artifex comprehendit,& is,qui in circuitu eſt,aer: ſecundum accidens vtique & non primo dicentur cauſæ.quia enim homo erat artifex,neceſſario contingit continere aliquem locum. Si vero hoc & nō oporteret, eſſe corpus ſolidum inter eum & lignum omnino indigebat: prohiberetúrque ſic agere circa id . palàm igitur eſt,quoniam vel vacuū eſſe omnino id,quod in medio oportebat, aut ſi non vacuum, tamen plenum corpore cedente . Quo & manifeſtum eſt,quoniam & aer ipſe ad vaſis generationem confert.Diſces autem euidentius ſi excogitaueris artificem tranſire per totam materiam , ſicut natura tranſit: & non ſicut nos, extra eam tangentem : palàm enim,quoniam neque loci vtilitas fiet conditori præter eum,qui materiæ:neque aeris,qui in circuitu aut vacui: propere igitur in medio lapidum : aliquando in terra generantur animalia eundem locum occupante conditore cum eo,quod fit.Indiget igitur carpentarius,vt agat aliquid circa lignum non impedita intermedia diſtantia , non inquantum eſt carpentarius,ſed inquantum habet corpus locum alium comprehendens,quàm materia eius,quod efficitur . Hæc igitur ſecundum accidens ſunt , & rationem habent eorum,ſine quibus non : accidentia quidem ſi non affuerint , generationem prohibent eius : ipſa autem nihil in eſſendo præſentia cooperantur:magis autem * valent abſcidere dices ea actum , quando non affuerint,ſed in eſſendo in præſentia : corpus enim ſolidum,quod eſt inter medium carpentarij & ligni , prohibet carpentarium circa lignum: ablato vero eo , ſecundum accidens ſecutum eſt inter medium locum aere repleri:quia enim in hoc mūdo vacuus aere nunquam conſiſtere poteſt locus.propere derelictus à ſolido corpore non remanſit certitudini vacuus:ſed eo,qui in circuitu eſt,aere fluente in eum,repletus.Manifeſtū igitur eſt,quoniam ſecundum accidens indiget carpentarius aere: planum etiam eſt,

quoniam qui ambulant, solido quidem aliquo corpore subfirmato, circumeffuso vero aere cedente. Quia enim ei accidit, non inquantū est ambulans, licet inquantum corpus, rapi versus deorsum, id est, versus centrum mundi:& iterum non posset alte ambulare, anticipans deorsum ferri versus rerram, neque etiam procedere versus ante, non cedente continente: recte igitur hæc quicunque de virtute curant, rationem eorum, sine quibus non dixerunt habere, & non causas generationis eius, quod fit, existere ipsius: cum ambulationis vtilitas, & impetus animalis, & crura dicuntur existere: causæ vero, sine quibus non existere extrorsum quidem circumeffusum, quod cedat, ab inferius vero locatum, quod resistat. Mihi quidem determinatus est vniuersus, qui de causis, sermo, quot sunt, & quales, & qualiter ad inuicem, & ab his, quæ secundū accidens, vel eis, sine quibus non, differunt. Si vero non vis ò sophista rursus causam generationis lecti dicere carpentarium: responde nobis: à carpentario dicis fieri lectum: & hoc quidem concedas: disceptabis autem de nuncupatione. Si enim quod prius adhuc nobis respondetur sponta-nee, vel ab aliquo factum est: vtroque modo redargueris delirans. Si verò à nullo factum fore cōcesseris: ambiges autē de nuncupatione: verecūdare primo quidem non de re sed de voce litigans: deinde autem totam vitam euertens & confundēs. Si enim dixeris, quoniam à carpentario lectū factum est: non tamen est causa carpentarius lecti: vel quoniam ab hoc quidem iste occisus est: mortis vero causa non est, qui occidit eum: vltimam putaberis maniam pati. Delectabiliter autem audirem à re & iudicium dicente sic: ò viri iudices Dion iste occidisse quidē confitetur Tiphonem: non tamen est causa mortis. Si enim à quo fit aliquid, hæc omnino est causa: erit vtique Dion causa mortis Tiphonis. Si vero aliud quidem est, à quo fit aliquid: causa vero aliud: ab hoc quidē mortuus est ille homo: ille autē nō est causa mortis: non constituunt causatorem reum: absoluetur vtiq; ipse. An igitur non sunt iuste delirationes hæc, & stultitia longa? Et melius nos iam ab his abscedendo sophismatibus, ad quandam aliam transire delirationem, residuum viæ mundantes. Est autē aliud genus sophistarum, qui fieri aliquid, & corrumpi, & noceri omnino, & alterari concedunt: & vniuscuiuscunq; talium causas aliquas esse putant: tamen verecundantur de procatarcticis nominatis causis, nec ab æstu, neque à frigore, neque à repletione, neque à labore fieri vnquam ægritudinem dicentes: de quorum quidem magis miror amentia, quàm eorum, qui negant, ac si non esset: sophisma enim horum transponentibus mentem nuncupationis factum est: illorum vero hoc sophisma omnino est: sed si oportet verum dicere, magis circundatio: omnino enim si aliquid æstimant esse causam: oportet tamen adiungere, circa quam aget, an passibilem ponunt esse materiam non patientem. Sed siquidem impassibilem: an manifestum est, quoniam neque materiam ipsam custodient: in patiendo enim & regulandam essendo faciliter ab efficiente, est ipsius materiæ. Pati autē si confiteantur materiam: nequaquam vtiq; fient quidem minus: hanc autem pati magis negabunt: quoniam etiam & si efficientis in eam causæ aliquam quidem fortiorem esse concedunt in materia imbecilliore. & si confiteantur omnia: quam rationem habebunt dicere, quoniam mille in theatro existeribus, nullus alius febriuit præter quatuor: num contingit hos exuri solos? Si enim non decem, sed vnus solus esset, qui febriret: nihil prohibet solem ipsum aptum esse, vt noceretur à tali passione in tāto tempore: aliorum autem alios quidem & ipsum

æſtum negligere euexia corpotis: alios autem imbeciliores quidem exiſtere, reſpectu roboris æſtus: ſed tamen vt in febrem nocumentum terminetur, indigere tempore longo. Adducamus igitur in medio eum, qui primo de his inuerecundatus eſt: dicat per ſuam ſeriem ſic: Cauſas enim febrium plurimum quidem & nunc etiam prius quæſierunt ab infirmis audire, & diſcere volentes, vtrum infrigidato vel laborante, vel repleto, vel ex aliqua huiuſmodi cauſa principium ægritudinis accidit: neque vere, nec conuenienter quærentes cauſas ægritudinum. Si enim eſſet frigus cauſa febriendi: qui magis infrigidantur, magis febrient: non fit autē hoc: ſed quidam ad vltimum periculum venientes ex gelu, & ſaluati ex hoc, ſine febre permanent. Similiter autem & in labore, & in repletione idem fit. Multi enim in multis fortioribus laboribus & repletionibus immiſſi, nequaquam aliquando febrierunt. Hæc quidem ſeries ex primo lib. Eraſiſtrati de febribus. propter aſſequentiam enim dogmatis ſuppoſiti, ſicut parū poſt oſtendemus, coactus eſt inuerecundari. Mirari autem dignum eſt de Eraſiſtrato, qui deſiderio gloriæ, innouauit multa, & proſtrauit multa eorum, qui ante fuerunt. Sed de his, qui gloria cum eo non ſunt potiti, & imperitis cōmunicauit. Si enim ſponte ipſa agunt, maniaci ſunt euidenter: ſi non volentes, indocti exiſtunt: non cognoſcentes enim verum, decipiuntur. Et nimirum non multa indiget ſyneſi & dialectica theoria ſui ſolutio ſophiſmatis: ait enim, ſi frigere eſt cauſa febriendi, qui magis friguerūt, magis vtique febrient. Sed non eſt ita. Si enim efficere quidem poteſt effectiua cauſa abſque patientium ægritudine: qui magis friguerunt, magis febrient. Sed non omni corpori gelu potens eſt febrem inferre: nam ſolos illos, qui magis friguerunt, non neceſſe eſt magis febrire: ſed quidam eorum nec omnino habent febrium ſemina. quæ autem ſint febrium ſemina, nunc non præiacet dicere. Ad magis frigere enim magis febrire non ſequitur ex neceſſitate. Poteſt etiam aliquis propter magis frigere, magis febrire: Poteſt autem & non omnino. Sicut & tertium contingit fieri, ſcilicet infrigidari quidem magis, minus vero febrire. Et quartum autem cum his non impoſſibile, id eſt, infrigidari quidem magis, ſimiliter autem febrire. Ac etiam hoc, id eſt, magis frigere poſſit, non omnino febrire. eſt enim aliquis, qui non febriuit quidem, ſed apoplecticus, vel torpoſus, vel tremulentus, vel ſpaſmoſus factus eſt, vt Alexander in tempore balneatus in Cydno. Neque igitur eſt verum fieri, ſcilicet ſi magis frigeret, magis nocitus eſt: ſolummodo enim & ſimiliter diſpoſitus, qui magis friguit, magis nocebitur. Neque hoc, ſcilicet ſi magis nocitus eſt, magis febriuit: contingit enim aliquem noceri quidem magis, non aurem febrire, ſed etiam non omnino febrire. Si enim ad febrem ſolam nocumentum definit, magis nocitum, magis febriret. quia vero multi modi nocumenti ſequuntur ad frigentes, alij alijs: falſum vtique oſtendetur mulriformiter eſſe, magis frigentem, magis febrire. Si vero qui magis friguit, non ex neceſſitate febriet magis, nec nocebitur magis: vanum eſt dicere eundem hominem, quando riguit, vel febrire magis, vel noceri magis. Si enim ſimiliter diſpoſiti eſſent prius & nunc: neceſſarium, vt quando magis frigue rint, magis febrirent. quia vero non ſimiliter: nec febrire neceſſarium eſt, nec omnino noceti magis. Hæc quidem ſcripti libri ab Eraſiſt. ſeries praua euidenter eſt, non extinctiua ſophiſmatis, vt credit, fidem habens coadiutricem: ſed iuſtitiam multorum temerariſſimam, vt mihi videtur, rē facientium. inexercitati enim exiſtentes in logica theotia, & neque ptomptiſſima

ſophiſmatū cognoſcere potentes, de dogmatibus veritatis enuntiare audent. deinde ſimile quid patiuntur dubitantibus, ſi omnino eſt motus: quoniam rationem, quæ eſt de eo, non poſſunt habere. Melius autem Diogenes Cynicus ludebat: aduerſus huiuſmodi rationes de his, quæ motum negant, interrogatus, ait: Ego quidem miror, qualiter non exiſtente motu, nauigatores clamant quotidie ad Rhodum & Chium & Co. Sed Diogenes quidem neque tentabat ſoluere ſophiſmata, quæ repugnant his, quę manifeſte apparent: Dialecticis vero maxime in his præiacet exercitari. Quoniam enim falſa ratio eſt ex manifeſta repugnantia aduerſus illud, quod apparet, immediate ſciunt: adinuenire vero conantur, vtrum in dignitatibus, vel in figura eſt mendacium. & in dignitatibus, vtrum in omnibus, vel in aliquibus, vel in aliqua, & quomodo. Si vero in figura, rurſus & hic conſiderant circa quod facta eſt deceptio. & quanuis falſa exiſtat propoſita ratio, tamen committit quandam phantaſiam veri: non enim æſtimant iniuſtum nec infallax eſſe, examinare rationes, quæ immanifeſtum aliquod concludunt, qualiter habent veritatis, antequam immanifeſte falſis ſufficienter exercitati ſint. Multos vero hominum vidimus nec per hanc artificialem viam volentes incedere, nec per illam compendioſam Diogenis: ſed conantes quidem iudicare vere falſō ſermones, non perfecte autem nec recte hæc poſſe facere. Si enim eſſent aliqui Diogenici philoſophi, immanifeſtorum quidem nullum tentarent his, quæ immanifeſte apparent: & rationes eis repugnantes ſpernerent, abſque quòd inquirerent, vbi fallunt. Si vero eſſent dialectici, faciliter cognoſcerent ſophiſma. Nunc autem de vtriſque licet eos increpare, de ea, quæ circa rationes temeritate, in quibus non ſunt exercitati, & de obliuione eorum, quæ manifeſte apparent. Memoraris ò tu, quoniam non ſolum ſapientiſſimi homines, ſed etiam ruſtici omnes, paſtores ouium, & bubulci, & cum his ipſæ oues & gelu immoderatum fugiunt: & multi mortui ſunt in horum exceſſibus: non fuiſti nocitus vnquam tu ſolus ex hominibus male balneatus? Sed non potes ſoluere Eraſiſtrati rationes aduerſus procatarcticas cauſas: & non has ſolū, ſed nec eas, quę aduerſus motū, nec eas, quæ aduerſus demōſtrationē, neq; eas, quæ aduerſus doctrinā vel diſciplinā vel inquiſitionē vel inuentionē, ac etiam nec eas, quæ aduerſus cauſas ipſorum. Nunquid igitur hæc omnia ſpreuiſti ceu non entia? aut credēs his, quæ euidēter apparent, fieri aliquid dicis ab alio: & eius, quod fit, id, quod eſt efficiēs, & cauſam nominari? An ab immoderata frigiditate vel æſtu nihil fit: ſed moriuntur ab eis multi? An autem moriuntur quidem, non nocentur vero? & qualiter hoc contingit? An vero per alias quidem cauſas poſſibile eſt noceri, propter æſtum autem & gelu non eſt poſſibile febrire? Sed oportet his, quæ fiunt, attendere mente, nam indiget res demonſtratione. apparet enim plerunque * in febrem vel ad aliud quidem deſinere nocumentum, quod ab æſtu nullum eſt videre, quoniam enim memorantur, vt puto, eorum qui ab ipſis accidunt, derident de his, qui talia delirant. Iuit quis ad theatrum nihil ſentiens eorum, quæ circa corpus ſymptomatum: deinde acredine ſolis inuadente, caput paulatim calidius habebat, & magis plenum: deinde dolens ſimul & exuſtus abſceſſit quidem doloroſe omnibus, quæ circa tempora: ſentiebat autem mox & cutim, quæ eſt circa frontem & caput, eſſe difficulter mobilem & aridam & inæqualem & ortoſam: deinde febris eum accepit: & ſequenti die medicus veniens, & oleo infundens omphacino caput, vel rhodino frigido, & balneari iubēs ſanauit. quid æſtimas in his conjectu-

rari de sophismatibus tuis idiotam? Quid etiam? si aliquis bene digerens certitudinaliter, & nullo symptomate omnino in eo apparente, gymnasium incurrit: à quadam vero lite plus coactus exercitari, confestim quidem sentiebat articulos calidiores, deinde parum post & totum corpus inæquale & aridum: & si moueretur, phantasiam doloris vlcerosi præbens, deinde febriuit? in his declinante febre balneans medicus eruditus ab Erasistrato ad consuetam dietam misit. Núm igitur putas nunquam his credibile fore, quoniam non febriunt homines, qui laborant? Fortassis autem admirabitur aliquis, qualiter idiotæ quidem nulli suadere sufficiens est Erasistratus, medicis vero quàm multis suasit? Sed quia multi talium, melius esse dicunt patriam prodere magis, quàm aliquod dogmatum, non puto admirari aliquem. Quæ igitur est proditio? & qualiter redarguuntur Erasistratiorum dogmata: qui horum talium causam existere concedunt? quando omnem febrem ex phlegmone putat, omnino habet ostendere, qualiter curatus, demum similitet sanis diætatus sit de reliquo: hoc enim scilicet fieri præsente solú phlegmone, insuasibile est: hoc autem, scilicet à cibotum & à vini oblatione, adhuc insuabilius. Necessarium est igitur ei fieri duorum alterum, vel transponi aliquid non ratione habitorum, vel sophistizari. Sed non sustinetur primum: quoniam in opinione habetur, & euidenter: quoniam & si omnia sequantur antiquos, nulla ei fiet ab hominibus gloria. Manifestum igitur est, quoniam coactus est reliquum subsistere, scilicet mentiri & astutizari: & præterea necessarium fuit Erasistrato & his, qui ab eo, ingeniare non hoc solum, sed etiam ea quæ de hypostasi vrinatum. Si enim assuefacerent discipulos dignoscere & discernere hypostasim saniosam ab ea, quæ quotidie fit in omnibus vasis sanorum, redarguerentur & in hoc faciliter in solutione phlegmones conuersæ videlicet in sanie per vrinas saniosas. Sed quæ fiunt in febricitantibus solutis febribus, nequaquam illis assimilantur: sed subsidet his quid album, nec fœtotem illorum saniosorum habens, nec colorem certitudinaliter eundem seruans, neque viscositatem consistentiæ. Vt igitur certitudinaliter non redarguantur: deridere se fingunt de his, qui obseruant ea: & tinctores appellant eos, qui ex vrina aliquid cognoscere conãtur: aliquando autem & per submissas vrinas decipiunt: vt videlicet mirabile illud saluetur dogma, scilicet quòd (potius frigida) omnes febres in phlegmone fiunt. Sic enim in frigidam aquam concedunt, date potum his, qui ab arsiua febre detinentur: sudántque confestim, & liberantur ab ægritudine, si in tempore quis eis offerat potú: & hoc vidisti nos infinities ò Gorgia facientes: si non contingit phlegminantem particulam fortiter vt videtur: sed oportet coniecturare de magnitudine febrium., repente solui bibita aqua frigida. Non bibatur igitur, iubent, vt non habeamus omnia, quæ possint soluere nostram hæresim: & alia multa talia huius artis abiecerunt auxilia: redargutionem, quæ ex ipsis timentes. Vnum autem horum est id, quod de procatarcticis causis: non enim contingit ostendere, qualiter æstuante vel laborante vel irato vel tristato homine parẽptosis sanguinis ad arterias facta est. Cõplicant igitur hic sermonem, & sophistizãtes, & ingeniationes adinuenientes insidiatur illis, qui prius veniunt quidẽ ad doctrinam spe discendi artem benignam & vitam commodam. Aduenit autem eis ex illorum insidia, contrarium ei, quod prælegerunt. Rudes enim existentes idiotæ in commune omnium mentem custodientes, & his, quæ manifeste apparent, assueti credere, intantum adducuntur & auertũtur intempotaliter à mitabilibus so-

phismatibus,vt decredãt his,quæ manifeste apparent,quando nesciunt soluere sophismata. Mirabile etenim hoc ingeniatũ est ab huiusmodi medicis aduersus discipulos, vt neque in sola experientia permittant eos manere : neque ad rationem trahentes concedant ire ad dialecticam:vt habeant,sicut puto,eos conuincere minimis sophismatibus: illi vero,qui non exercitati sunt ad soluendum sophismata, admirantur de doctoribus,vt de dijs. Nosti enim,quoniam quidam,qui ab infortunio inciderunt in tales medicos,confitentur multoties,quia quando memorantur eorum,quæ passi sunt, confitentur, quoniam labor & æstus & omnia talia febres accendere consueuerunt: cum vero ad Erasistrati sermones aspiciunt, decredunt. Sed si horum aliquis adhæsisset viro dialectico, prompte vtique cognosceret eius sophismata:ait enim:Multi in multum fortioribus laboribus & repletionibus aduenientes,quoniam quando aliqui februerint,infirmitatem effugerunt.Num igitur ò sapientissime propter eos,qui maioribus occupati laboribus,non februerũt: impossibile est minori labore, occupari febre aliquem alium? Adducamus & nos ad medium iuristam aduocantem quidem pugnatori,qui percussit anum : deinde interfecta est:& accusato ab aduersarijs(accusatore enim hoc solũ probante: quoniam ille quidem percussit: illa vero mortua est) qui pro accusato adducat, quoniam quidem non interfecit:neque hoc tentet à principio:sed quoniam ille neque fuit causa mortis,tenetur probare, in sophismatibus Erasistrati confidens. Sit autem sermo eius talis:vos ò iudices hunc hominem vidistis in stadijs millies pugnantem,& percutientem maximis plagis agonistas,sicut & ipsum ab illis vicissim hoc patientem:sed tamen non isti ab illorum aliquo,neque illorum aliquis ab isto percussus,mortuus est:non est causa mortis plagatus:si esset causa, qui magis plagaretur,citius moreretur:sed non oportet hoc. Maximas enim iste cum acceperit & dederit plagas,nullum interfecit,nec ipse mortuus fuit.Qualiter igitur credere debet aliquis propter plagam ab eo factam moderatam existentem, mori anum? Si enim vna moderata mortem inferre posset, oporteret hunc mori infinities, ceu multoties & vehementes plagas suscipientem.Quid vtique æstimas facere iudices audientes?deridebant hoc palàm:primo quidem & maxime de aduocante: deinde autem de eo,qui conduxit talem iuristam:promptum enim esse puto omnes percipere athletarum quidẽ robur spernere multas & magnas plagas:anus vero propter imbecillitatem nec aduersus vnam posse resistere.Iste itaque iurista ipsis Erasistrati sophismatibus vsus est solis:sed nihil obtinuit,nec decepit iudices.Alius vero sapientior illo, adhuc respirantem & post paucum debere mori ab hoc adolescente percussam,contingit:deinde accusant,qui attinent sibi, similiter de homicidio hunc hominem: oportebat autem, vt puto, causa non fuit impingere mortis anus.Si demum tota vita ei est iuuare & recipere: nullum autem antagonistarum interfecit,nec ipse mortuus est:sed imbecillitati anus magis iustum est attribuere causam mortis.Si enim vna percussio potest mortem operari:multo magis fortiores & multæ:sed non est ita:mortua enim est anus propter eius imbecillitatem.Iste iurista multum est priori suasibilior: ceu non solum absoluens causam, sed etiam transiens ad aliud : nihil autem proficiet & ipse,qui in iudicio, donec confiteatur, quod percutiente adolescente mortua est anus. Non igitur Erasistr. fuit vsus tali modo dicendi : & nimirum Erasistr. quæ secundum nos vtentibus & transponentibus causam,quæ ex adustione & infrigidatione patientium, quoniam suasibilis

ſermo in prima prolatione conuincit magis auditorem ad aliud tranſponens cauſam. * Sed quoniam his, qui immorantur ei, & diligenter inſpiciunt, inueniretur dicere quid non conuenitium. Conſentiendum enim eſt, & quoniam & in conuentu amborum, frigiditatis verbi gratia & imbecillitatis patientis prouenire, effectum vero à caſu aliquo vel ſponte, ſed quòd plurimum adhuc vero frigus ſecundum imbecillitatem laborantis conferre: hoc autem non confert Eraſiſtrati dogmatibus. ſi enim omnino quodcunque horum confiteantur conferre ad febrem infrigidationem vel æſtum vel laborem, interrogabitur qualiter & quomodo: deinde non habens reſpondere, turbabitur. & hoc quidem paruum eſt reſpondere reſponſioni rationabili: & hoc ſcilicet deuinci manifeſte ſuppoſitiones eius à talibus omnibus, adhuc difficilius. Qui enim æſtuatus eſt, ſentit manifeſte à capite incipientẽ febrem & diſtribui per totum corpus, ſicut à lare aliquo pertincta, quæ paſſa eſt accenſa: laborans autem alius ab articulis ad totum corpus caliditatem extenſam ſentit. Qui autem non ſenſit millies ambulans amplius calidiora crura? & ſi ita ca leſiant à motu, vt adiacentes particulas calefaciant ſibi, neceſſe eſt febrire hominẽ, aſcendente ad viſcera caliditate. In omnibus autem his febris manifeſta eſt omnibus hominibus, quoniam in abundanti caliditate habent ſubſtantiam ſemper procatarcticarum cauſatum. euidẽter appatet huius caliditatis augmentum exiſtere labor. Sed neutrum vult Eraſiſtratus, mentẽ enim huius paſſionis mox acceptat. & palàm quoniam & ſubſtantiam & omnem febrem antecedere ait phlegmationem. Sed ſi mentem ſeruaret huius paſſionis, quam omnes ſeruant, & cauſam generationis, quæcunque apparent manifeſte, ab experientia diſceret, ad alia autẽ ex his procedẽs nihil vtiq; dixiſſet de Hippocrate. non itaq; eſſet neq; ſermo eius. Sed oportebat aliquid dicere, & hoc ei præiacebat: manifeſtum igitur eſt, quoniam neceſſariũ fuit nouifacere & ingeniare & ſophiſtizare aduerſus ea, quæ manifeſte apparent: ſicut & hos nos ceu nihil habentes neceſſarium agere, in Eraſiſtrati vocamus aſtutijs. Rationabiliter igitur ſicut dixi ipſe quidem Eraſiſtratus non conceſſit in nocitorum infirmitate cauſam nocumenti, quam ſi quidẽ omnino cõceſſerit, aliqua ſcilicet procatarcticarum cauſarum fieri aliquid circa corpus, euertẽtur manifeſte omnia eius de febribus dogmata, & apparebit eorum inconuenientia. Quia enim continet ea id, quod eſt ſecundum intellectum cauſæ, eſt indefinitum & confuſum. Quidam enim nihil melius dixerunt exiſtere cauſam. Quidam vero dubitauerunt ſi eſt, aut non, ſicut empirici. Quidam autem ex ſuppoſitione acceperunt, ſicut Herophilus. Alij vero quidam, quorum ipſe fuit dux, procatarcticas cauſas amouetunt, vt male creditas. Vniuerſi enim ij ſignificatum, quod eſt ſecundum nomen permutantes, occaſiones faciunt argumentationum. Si enim quoniam & vtilitatem eorum, quę fiunt, cauſam dicunr homines, & effectiuam cauſam, vnde principium, & cum his adhuc materiam, & organa: faciliter vtique inuenirentur, quòd ſophiſtizantur: etenim hoc ſcilicet nullam procatarcticarum nominatarum cauſarum exiſtere, & alia vniuerſa, quæcunque de dictatum cauſarum natura dicta ſunt male, ab hinc dependerunt omnia. pro eo enim, quòd ſingulum eorum, quæ quodcunque efficere dicũtur, nõ in omni materia videtur efficere, putant concludere, quòd nihil eſt cauſa alicuius. & mitũ non eſt hoc, quod concluditur. ſed nulla cauſarũ per ſe perfecta eſt, ſi demũ matetialis ſemper efficiente: efficiens vero, matetia idonea appareat indigens. Quoniam autẽ neque, quæ ab Eraſi-

ſtrato ſcripta ſunt cõtra procatarcticas cauſas ex alia cauſa habent ſuaſibilitatem, quàm ex eo, quòd trãſmotum eſt ſignificatum huius vocis, ſcilicet cauſæ: iam per præcedentia monſtratum eſſe apparet. Euidentius autẽ oſtẽdã tibi proponẽs eius dicta. Si eſſet infrigidari cauſa febriendi: qui magis infrigidati ſunt, magis febriẽt. hoc id, quod deeſt, adijciẽtes, quod omiſit ſponte Eraſiſtratus, compleamus rationem: & oſtendamus, quoniã propter id, quod omiſſum eſt, ſophiſtizauit. itaq; quod omiſſum eſt, apparet: vt vniuerſa ſeries habeat ita. Si autem eſſet infrigidari ſolum cauſa febriendi, qui magis infrigidati ſunt, magis febriunt. quia vero ſolum non eſt Eraſiſtrate infrigidari cauſa febriendi, ſed cum patiente natura: eſt verum eum, qui magis riguit, magis febrire, ſicut eum, qui magis calcitratus eſt, magis noceri. Videtur igitur hic ſermo contra procatarcticas cauſas dictus eſſe, ſecundum veritatem autem non contra has ſolum, ſed ſimpliciter contra omnes cauſas eſt. Qualiter igitur nõ erit difficile hoc ſobtijsfientibus oſtendere ſophiſtis qualiter vita tota vtitur nomine cauſæ: ſiue qualiter non erit difficile, & non ambigere (illorum nomina ſequendo) de manifeſtis, palàm eſt ò Gorgia, quoniã ipſa tibi fiat res. Sicut enim ſemper dixi, non pręter aliquas abſque quòd ei videatur in dialectica theoria indeceptus manere omnino videris. Et qui ab empiria medici obſeruant ſuper aliquos alios ea, quæ ſecundum vitam proponentes, tamẽ à ſophiſmate deuicti ſunt ita, vt dubitarent de procatarcticis cauſis, & nihil enunciare auderent de ipſis: ſed ij demum vſque in tantum ſobrij fuerunt, vt cuſtodiri aliquam cauſalitatem in eis confiteantur. Eraſiſtratus autem pro eo, quòd omnes interimit, manifeſtum quoniam nec cura nec experientia neque ex ratione aliqua in eis, quæ ſic, laborans adinuenit, & oportet eum, qui in æſtu febriuit, diem tertium & quartum expectare ſi ad Eraſiſtratum medicum inciderit: ſimul & potẽtem infra tertium diem habere iam bene, ad ægritudinem longiorem incidere, vel ad periculum aliquod: ſicut ille adoleſcens, de quo prius memini. Attendere igitur oportet non hoc ſolum, ſed etiam ſecundum alios ſimplices ſermones ſophiſtarum: ſciendo, quoniam quamuis paruũ videatur hoc, ſcilicet non vti in omnibus ratione, ad nouiſſima plerunque aſſueuit ſophiſta deſinere. Depoſco autem & te exercitari in hoc libro ſi putas eruditi vniuerſam dialecticam theoriam. Sufficiẽtia quidem ſunt & hæc ad redargutionem ſophiſtarum. Sed quoniam omnifariam redarguere eos propoſuimus rurſus ad Eraſiſtratum redeamus, ſimul cum alijs cauſis procatarcticis interimentem & repletionem ceu nunquam fientem cauſam ægritudinum: hic enim ait: Sicut materia quoniam non eſt proxima cauſa ægritudinum niſi prius operetur aliquid aliud, nullus dubitat: oportet igitur ex repletione eorũ, quę comedũtur & bibũtur, in venis generari multitudinẽ: ab illa vero rurſus parẽptoſim, id eſt, caſum ad arterias fieri: procedit enim nobis ſermo in pręſenti per illius dogmata. In parẽproſi autẽ cor mutans vehemẽtius, id eſt ſpiritũ proponere ſemper parẽptoſarum ſanguinem, & impellere ad fines arteriarum in quibus incuneatur & phlegmonẽ operatur, & materia eſt, quæ per mediã plethorã parẽptoſis demum incuneatio fit: ſed ſic & ſi nõ proxima cauſa eſt plethora phlegmones, ſed prima ſecũdum ordinẽ & tempus ad prædictã, conſequentiã cauſarum acceptans, & fieri dicens à repletione plethoram (ita enim nominat eã, quæ in venis multitudinem) ab ea vero paremptoſim, deinde ab illo incuneationem & phlegmonem confitens non vult concedere cauſam ægrotatiuã exiſtere repletionẽ, de

nomine diſceptat: & multo alijs enormior fit inuerecundia hoc, ſi repletio quidem plethoram operatur, & illa paremptoſim ſanguinis ad arterias,& illa phlegmonem,& his ita habentibus repletio non cōcedatur vllo modo cauſa phlegmones exiſtere.Ruſus igitur & nos dicamus,quoniam iſte,qui percuſſit in venis colli hominē, non eſt ei cauſa mortis, qualiter & quomodo à materia proxima cauſa mortis emanatio ſanguinis eſt,non qui percuſſit. Adueniat vtique & huc aliquis iuriſta Eraſiſtratius eripiens de homicidio eum,qui fecit,& dicat hoc modo:(in omnibus enim determinatis ſermo fiet apertior) non eſt cauſa mortis Oreſtes Clytemneſtræ:manus enim ſuas mouit ipſe:& hoc & nos cōfitemur: quoniam eſt cauſa mortis manus ſua, Oreſtis ipſæ manus acutum mouerunt enſem, & non Oreſtes.& hinc iam oſtendimus inſontem eſſe Oreſtem : & multo magis ex eo,quòd inciſæ ſunt,quæ in collo venæ:ab enſe enim illæ diuiſæ ſunt, & non à manibus Oreſtis.ac etiam influxionis multi ſanguinis diuiſio venarum fuit cauſa,& non Oreſtes.quoniam autem & ipſa mors Clytemneſtræ ex venæ apertione & multifluxione ſanguinis facta eſt,hoc puto & ipſos accuſatores confiteri. Non igitur eſt cauſa mortis Clytemneſtræ Oreſtes:non potentibus oſtendere accuſatoribus,quoniā idem eſt ſanguinis multifluxio & Oreſtes.ſed ſi quidem non eſt idem:alterum vero deductum eſt in confeſſione cauſam eſſe mortis:manifeſtum,quoniam reliquū inculpabile oſtendunt.Qualiter ſimul & fluxum quendā ſanguinis cauſam mortis eſſe aiunt,ſimul autē & Oreſtem? non enim fuit cauſa fluxionis ſanguinis Oreſtes,ſed venarū inciſio:ſicut & huius enſis.Si vero,quoniam motionis enſis cauſa fuit Oreſtis prohæreſis, inculpant eum : videbuntur ſic & ipſam Clytemneſtram inculpare. ei enim,qui concedit primam & proximam eius,quod factum eſt cauſam,& hac ſuperiorem aliam quęrit,& illa aliam:ad infinitum proceſſus fiet.Quid igitur non ſufficit tibi Clytemneſtræ mortis cauſam dicere euacuationem ſanguinis:ſed quoniam non euacuaretur ille,ſi non inciderentur venæ:illæ vero non inciderentur,abſque quòd enſis adueniat: enſis autem non adueniet abſq; Oreſtis manibus:hæ autem non mouerent enſem abſq; quod iuberet Oreſtis electio? Supergrediatur igitur ſermo ac ſi nos diſputaremus, & ſimiliter vt tu dicere potentes, quoniam nec ipſe Oreſtes eſſet,ni Clytemneſtra ipſum genuiſſet: & ſic dicere cogeris Clytemneſtram ſuæ mortis eſſe cauſam: cum liceret reſtare in prima,& non adhuc diſceptare,nec procedere in ſermone in proxima cauſa Clytemneſtræ mortis domata.Talis quidem eſt & iſte iuriſta oſtendens tibi manifeſte,quoniam licet copiam inuenire ſophiſmarum,cum ſemel aliquis inuerecundus fiat.Concede autem mihi & ſecundum enarrare iudicium,quod oportuit dicere prius. Accuſatus eſt medicus,quia dedit pharmacum deleterium: ſed qui emit id,famulus erat mulieris,quæ indigebat eo: illa vero poſtquam obtinuit pharmacum, adoleſcentem miniſteriorum,qui famulabantur ſuo priuigno dare ei bibere fecit: per illud puberem interficit. Omnes igitur condemnati ſunt: nouerca:qui dedit pharmacum: & qui emit:& medicus,qui tradidit. Ceu igitur habentes aduocatum ab Eraſiſtrato eruditum,dicerent vtique,quoniam mortuus eſt quidem puber, nullus contradicit:non tamen à famulo,qui dedit ei potum,mortuus eſt, ſed à pharmaco. Inconuenientiſſimum igitur eſt ſcientes mortis cauſam, ad inculpabilem hominem referre: non enim eſt idem pharmacum & homo, ſed alterum : neque cum pharmacum datum mortem operatur,iuſtum eſt reliquum moleſtare:adhuc autem incō-

uenientius eſt incuſare nouercam hanc,quæ tribuit calicem : & multo magis eum, qui tradidit.neq; enim ſi funẽ dedit aliquis:deinde qui accepit,ſuffocatus eſt per eũ: iuſtũ eſt accuſare eum,qui tradidit.Singulum, vt puto, horum capitulorum ſurſum & deorſum vertens:& maxime ſi aſtutus fuerit in dicendo,ſuaſiſſet iudicibus dimittere ab accuſatoribus medicum : ſed nihil horum dixit: non enim fuit conuerſatus cum Eraſiſtratijs diſceptantibus fortiſſime & docentibus nos,quoniam non plethora cauſa ægritudinum. Quis igitur prohibet omnes repleri cibis ſimul & potibus?cur autem remouemur ab indigeſtione? cur non exercitamur? cur autem ordinate diætamur?Hæc igitur deponamus eruditi ab Eraſiſtrato,& frigus & æſtum negligamus,ſimiliter autem & vigiliam:etenim hæc prima flegma indigeſtiones:& ſi hoc efficere eſſet ſufficiens,vtique omnino ſecundum aliam rationem facile ſpernibile fieret,indigeſtione ipſa quam operatur nihil nocere potente. neq; enim febris indigeſtione fit (omnes enim,qui indigeſtionem paſſi ſunt, febrirent) neque ſpaſmus (omnes enim cauſa,qua indigeſtionem paſſi ſunt, ſpaſmarentur.) manifeſtum autem,quoniam non paralyſis,vel aliqua aliarum ægritudinum.vnus enim in omnibus ſermo. Volo ſplendidum quoddam nobis veritatis inuentiuum ab Eraſiſtrato datum eſſe.& mirari dignum eſt de benignitate huius viri, abducẽs nos à ſuſpitione vana omnibus hominibus fruſtra in opinione habita,& multum vitam lædente.Nequaquam igitur exercitantem ſe aliquem per totã diem & noctem prohibemus, timentes laborem , neque à vigilijs prohibemus, vel à ſole æſtiuo remouebimus, vel famulis indumenta perhibebimus, vel calciamentis indigebimus:non nocente enim in aliquo labore,neque vigilijs,neq; caliditate,neque frigore,vane hæc ſuſpecta ponemus.at vero neq; eos,qui replentur & inebriantur, increpabimus: ſicut quando vane opinabamur à repletione fieri aliquas ægritudines . Cur igitur non delentes circũſcriptiones antiquorum medicorũ & philoſophorũ indigeſtiones & repletiones & frigidationes & æſtus inculpantiũ,ſtatuã auream Eraſiſtrato conſtituentes,in Delphis eã reponimus,gratias agẽtes,in quibus iubet & docet, ſicut primo,qui inuenit veritatem ſuper tantos viros ſic glorioſos & paucos?(Non enim Diocles,neq; Polybus,nec Hippocrates potuit adinuenire talẽ rationem contra gelu & æſtum & laborem & repletionem) & omnia ſimpliciter negligimus?Sed philoſophis quidem videtur,ſicut eſt Ariſtoteles, & Theophraſtus,& ante hos adhuc Democritus,& Empedocles: & alia multitudo aliorũ minorum philoſophorum cauere iubent ab exceſſibus:at Eraſiſtratus nobis nihil horũ timere:& oportet adorare ipſum vt deum.Vnum autem ſolum cum his vellem diſcere,ſed non habeo,quos interrogẽ:mortuus enim eſt Eraſiſtratus : ſi vero viueret,faciliter vtiq; nos doceret,à quibus oportet cauere. Ego enim neq; à labore neq; ab æſtu neq; gelu neq; à repletione neq; à vigilia vel ira vel triſtitia vel aliquo alio tali,prope immortalitatẽ venio.Et fortaſſis oportet me ne occidãt: & ne aliquod pharmacũ interficiat me:quoniam ab alijs,quæ anteriores timuerũt, nullus mihi adeſt timor:ab omnibus enim ereptus ſum per Eraſiſtratũ.Nõ increpabo adhuc balneum,ceu male balneans: non cooperiam caput,vel pedes:vel domibus in hyeme indigebo calidiſſimis , vel indumentis calidis : non commoderatione aliqua ciborum vel potuum vel exteriorum . Eraſiſtratum itaque gratia horum omnium honoremus vt deum. De Herophilo autem,de ea,quæ circa ſermones ſapientia Eraſiſtrati,oportet mirari , & increpare eum de timore. Dubi-

*

tans enim de omni causa fortibus & multis rationibus : postea ipsemet inuenitur vltimus,eas dicendo multis hominibus sic videri:summe enim timidi est dimittendo rationem,vt hominibus videtur sic æstimare . Quid igitur ait? Causa vero vtrum sit, vel non,non est quidem inuenibile: existimatione autem puto infrigidari,æstuari,cibo & potibus repleri.Quæ autem argumenta sunt ex significati transpositione, posuerunt in dubio capitulum : & cum his adhuc ea,quæ de modo generationis vniuscuiusque eorum,quæ qualitercunque sunt.Ad hæc autem & hoc scilicet vtrum in corpore existens causa incorporea alicuius alterius factiua corporis existit, aut corpus existens incorporei alicuius est effectiua : & vtrum mora moti,aut manentis:& vtrum præsens præsentis , vel præsens futuri. Deinde postquam dimiserit,probare singula eorum,quæ ex diuisione nequit:& sic consequēter syllogizat non esse aliquod alicuius causam.Ait enim, aut corporea corporis: aut incorporea est causa:& alia,quæ ex diuisione inuenta sunt:nullũ autē horũ apparet existens:manifestum quoniam omnino non est causa. Sed ò sophista cito omnia,quæ secundum vitam conuertes , sic argumenta mox in ijs,quæ manifeste apparent:aut veniente aliquo ab ijs,quæ videnrur,ad oculos nostros: aut aliquo à nobis ad singulum eorum:aut omnino eo,quod à nobis exit,id quod ab eis fertur contingente, te videmus . Neque enim illis aut ex illis ad nos, nec à nobis ad illa loco aliquo,sed per intermedium(sicut per baculum)sensatio nostra de his fit. Ac etiam neque id,quod est primum,nec secundum,nec tertium, nec quartum, de vnoquoque horum dubitatum est multiformiter : non igitur videmus. Si vero distingat aliquis , aut est corpus,quod videt & quod videtur : aut quod videtur est corpus,quod autem videt,est incorporeum:aut econuerso: aut ambo incorporea: deinde ostendens,quòd nullum ipsorũ est verum , inferat nihil à nobis videri,rursus secundum alium modum dubitabit . Sic proposito iuste distinguens : aut manentis manens: aut manentis motum : aut moti manens: id quod videt eius,quod videtur,facit sensum: deinceps quoniam secundum nullum prædictorum est suasibile sentire,dicat videre nos nihil.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE CAVSIS PROcatarcticis libri finis,Nicolao Regio Calabro interprete.

CLAVDII GALENI DE VRINIS, IOSEPHO STRVTHIO POLONO INTERPRETE.

VRinarum differentię multę quidem particulatim existūt: primæ tamen ac præcipuæ sunt duæ, humor scilicet, & ea quæ humori inhærent. Humorem autem voco id quod re ipsa vrina est: inhærentia vero ea quæ diuersa à superfluitate humorali in vtina apparent. Rursus vero humoris ipsius differentiæ in totidem secantur partes, duæ siquidem sunt, substantia nempe & color. Vtrunque autem horum in diuersa pattiri licet: sustantia enim alia est tenuis, alia grossa, alia mediocris. Eam vero quæ mediocris est, cum secundum naturam se habeat, diuidere non licet. Cæterum tenuis & grossa bifariam diuiditur: vrina enim tenuis, aut mingitur tenuis, & petmanet tenuis: aut mingitur tenuis, sed turbatur tandem, & efficitur grossa.

Quid indicet vrina quæ mingitur tenuis & manet tenuis: quæ mingitur tenuis sed turbatur.

Prior quidem extremam indicat cruditatem, natura enim nondū coctionē incipit: altera autē quæ ex tenui reddita est turbida, indicat naturā iā primo aggressam esse coctionē. Et tenuis quidē vrina ita diuiditur, idq; quod diximus significat.

Quid significet quæ mingitur grossa & permanet grossa: quæ mingitur grossa sed redditur clara.

At grossa simili modo aut mingitur grossa & permanet grossa, aut mingitur grossa, sed redditur tenuis: prior quidem indicat vigorem agitationis, quæ est in humoribus grossis & flatuosis, cum qua adest vel affuturus est dolor capitis, propter conturbationem ac euaporationem humorum. Altera autē ebullitionē grossorum humorum, sed tamen naturam incipere secretionem eorum indicat. Et hæ quidem sunt humoris quo ad substantiam differentiæ. Cum vero in priore partitione mentionem etiam fecimus differentiarum quæ à coloribus capiuntur, iam deinceps eas exponamus, Prima igitut est vrina alba, hanc sequitur pallida, deinceps rufa, quarta est flaua, post hanc rubra, vltimo nigra. Et extremæ quidem sunt duæ, alba & nigra, reliquæ autem mediæ inter has. Est igitur pallida proxima albæ, rufa autem longius distat ab albo, propior pallido: è diuerso autem rubea proxima est nigræ, longissime distans à rufo & pallido. Flaua autem peculiarem ac propriam habet mistionem, ita vt gemini coloris esse videatur, partim rufi, partim rubei: + Quare in libro de Crisibus non abs re huiusmodi vrinam ad splendorem vergere diximus: *splendorem enim à rufo, nitorem autem à rubeo accipit. Ergo ordine quodam mutuo à se inuicem vrinæ hæ coloribus differunt, alba, pallida, rufa, flaua, rubea, nigra. Fit autem pallida cum modicum choleræ serosæ humiditati accedit: rufa autem fit quando plus choleræ additur: rubea fit à sanguine, nigra vero à nimia exustione, & ab alijs causis, vt paulo post dicetur. Alba autem indicat extremam cruditatem ac desperatam coctionem. Hæ igitur sunt vrinæ, quatenus humor est, simplices differentiæ in substantia & colore: reliquum est vt complicatas connexásque dicamus, quales scilicet sint, quæ deinceps simul connecti possunt, quæ item non possunt, & si connectantur quid significent.

+ ὅθεν καὶ στίλβον αὐτὸ κέκληκεν ὁ Γαληνὸς ἐν τῷ περὶ κρίσεων. εἰκότως γὰρ καὶ στίλβει. id est, *Quare & in libro De crisibus splendentē ipsā appellauit Galen⁹. Neque enim abs re ad splēdorem uergit.*

De tenui & alba vrina.

Sit igitur vrina quo ad ſubſtantiam ſuam minime cocta, talis vero eſt tenuis: cui ita permanenti tenui, annectatur color exquiſite albus, vt ſit ea vrina tenuis & alba: hæc multa ſignificat. Aut enim imbecillitatem virtutis oſtẽdit, ſicut in ſenibus, & in morbis diuturnis in quibus vt plurimum apparent vrinæ tenues & albæ. Tales etiam in nonnullis qui natura imbecilles vires habent, videntur. Interdum ſignificat obſtructionẽ renũ, quod cognoſcetur ex dolore loci affecti: aut obſtructionem hepatis, vt in iis qui quartanis affligũtur febribus. Groſſitie enim ſua melancholici humores obſtruentes vias, ſolent huiuſmodi vrinas efficere. Indicãt vero tales vrinæ & aliud diuerſum ac ſummum malum. Si enim in cauſonide, & vrente febre appareat vrina tenuis & alba, ſignificat phrenitim. Cum enim febris ipſa vrens indiciũ faciat plenitudinis & abũdantiæ bilioſi humoris, vrina vero non tingitur, manifeſtũ eſt quòd bilioſus humor nõ retinetur in vaſis, ſed leuitate ſua cerebrũ inſilit. Si quidẽ igitur nõdũ adeſt phrenitis, vrina exiſtẽte tenui & alba, febre vero cauſonide, prædicimus phrenitim futuram: ſi vero adeſt phrenitis, vrina vero eiuſmodi eſt, prædicimus mortem vt plurimum. Neque enim poterit virtus cerebri ſeruari, cui ingruit tantus acutæ mordaciſque choleræ impetus. Hæc igitur ſignificat vrina tenuis & alba.

Quid ſignificet tenuis & pallida.

Sit iterum vrina quo ad ſubſtãtiam, cruda, id eſt tenuis. quo ad colorem autem, modice cocta, quæ ſit tenuis & pallida, talis debilitatem virtutis ſignificat. Quamuis enim vrinæ quo ad colorem facile coctionem habeant, longe tamen eſt deterius incoctam eſſe quo ad ſubſtantiam.

Quid indicet tenuis & rufa.

Sit vrina tenuis, cui annectatur color rufus: talis melior quidem eſt priore, eſt tamen cruda quo ad ſubſtantiam.

Quid indicet tenuis & flaua.

Sit vrina tenuis & flaua: hæc nõ ſolum malam coctionem indicat, ſed etiam defectum alimenti: id quod in iuuene ieiuno reperitur. Interdum oſtendit calorem multum in profundo, bilioſum ſuccum gignere: id quod in febre tertiana, indicat & vigilias: ac animi perturbationes. Hæc omnia flaua vrina efficit.

Quid ſignificet tenuis & rubea.

Proponatur item vrina quo ad ſuſtantiã male cocta, tenuis, rubea, talis nunquã reperitur. Si enim rubeus color in vrina à ſanguine fit, ſanguis vero à perfecta coctione, coctio autem ſubſtantiam ingroſſat, manifeſtum eſt quòd rubedo in vrina cum tenuitate cõſiſtere nõ poteſt. Quòd ſi aliquando reperiatur tenuis vrina cum rubore, color ille exquiſite rubeus nõ eſt, ſed eſt quiddã cruentum ſimile ſanguini.

Tenuis nigra.

Vltima autẽ eſt cõnexio tenuis & nigri: hæc etiã nũquã reperitur. Color enĩ niger fit, propterea quòd melãcholicus humor per vrinas purgat: aut fit à frigiditate nimia, aut à nimia ſanguinis aduſtione: hæc vero tria groſſitiem ſibi vendicant.

Quomodo tenue cum nigro non poteſt conſiſtere.

Quòd autẽ tres, quas diximus, vrinæ nigræ differẽtiæ, groſſam ſibi ſubſtantiam vendicẽt, manifeſtũ eſt. In remiſſione enim febris quartanæ, & ſolutione melãcholici humoris, vrinæ apparẽt nigræ: reddũtur autẽ nigrę, propterea quòd humor ni-

græ bilis per has expurgetur,qui ſua ſubſtãtia terreus eſt & groſſus : quare & vrinas efficit groſſas.Simili modo & hæ vrinæ quæ ex aſſãtione aduſtionéq; ſanguinis nigrę fiũt,groſſas eſſe oportet. vſtio enim nimia exiccat humiditatẽ ſãguinis:vnde cõſtat quòd etiã groſſam efficit eius ſubſtãtiã:quare & vrinæ groſſæ fiẽt:à ſanguine enim & coloris immutationẽ accipiunt,& ſubſtantiæ vſti ſanguinis groſſitiem referunt. Frigiditas vero, quia ingroſſat alimentum, etiam vrinæ ſubſtantiam faciet alimento ſimilem:ita igitur vrinæ fiunt groſſæ,vt docui.

Groſſa alba.

Et de connexione ſubſtantiæ tenuis cum diuerſis vrinæ coloribus, hæc,quæ diximus,ſufficiant:ſupereſt vt de altera ſubſtantiæ differentia diſſeramus. Sit igitur vrina groſſa,cui ita permanenti groſſæ color albus accedat, talis vrina maximam eſſe in corpore crudorum humorum copiam indicat.

Groſſa rufa,groſſa flaua,groſſa pallida.

Proponatur groſſa & pallida,hæc non poteſt in cõnexionem venire.Neq; etiam groſſum & flauũ ſimul cõſiſtere poſſunt.colores enim hi propter defectum nutrimẽti fiũt ac debilitatem virtutis:groſſum autẽ à cõtrarijs fit cauſis.quare manifeſtum eſt quòd rufum,aut pallidum,aut flauũ,ſimul cũ groſſo permanere nequeũt.

Groſſa rubea.

Sit vrina groſſa,& rubea(huiuſmodi enim vrina reperitur)ſignificat plenitudinem ſanguinis.vt fit in ſynochis febribus.

Groſſa nigra.

Sit groſſa vrina & nigra(talis etiam reperitur)& ſignificat euacuationẽ humoris melãcholici: id quod multoties fit in declinatione quartanarum, & aliàs in ſolutione melancholici humoris. De vrinis vero nigris, quæ fiunt aut ab aduſtione aut à frigiditate,poſtea dicemus. Et hæ quidem ſunt groſſi cum ijs,quos diximus, coloribus connexiones:iã vero incipiamus agere de ijs quæ inhærẽtia vocauimus.

De eo quod reſidet ab vrina,& eſt album,planum,inæquale.

Eſto igitur primum in ordine eorum quæ dicturi ſumus id quod reſidet,(quod ſedimentũ vocemus) album ſuprẽmũ locũ occupans,planum,ſed inæquale,id eſt, vno die coctum , poſtero die non coctum : tale debilitatem indicat virtutis, quæ non poteſt ex æquo omni tempore materiam concoquere.

Sedimentum album non planum.

Sit vero quod reſidet albũ inferiorẽ locũ tenẽs,nõ planũ,ſed diuulſũ, hoc deterius eſt priore:illud enim oſtẽdebat naturã capacẽ eſſe inęqualitatis in ſpatio multorũ dierũ,hoc vero in vna coctione, id quod deterrimũ eſt, ac veluti autũnus. propterea malus eſſe dicitur quòd eſt inæqualis : ſi tamẽ inæqualitatẽ ſuã operetur in ſpatio quatuor vel quinq; dierũ minus eſt malũ,ſi vero vna die,lõge peius eſt.ſic & ſedimenta diuulſa peiora ſũt:quoniã indicãt naturã in vna coctione defeciſſe ob diſtractionẽ. diſtrahitur vero natura à flatibus qui inter ſuccos intercurſant, ac dirimũt continuitatem eorum,adeo vt reddãt illos rebelles.Si igitur ſupponamus ſedimentũ habere ſe ſecundum naturam quo ad colorem & locum,præter naturam autem in ſubſtantia,quis dubitabit longe deteriorem eſſe defectum ſubſtantiæ?

Non planum æquale.

Primum ſit de numero æqualium ſedimentorum id quod eſt diuulſum,tale procul dubio malum eſt : indicat enim copiam groſſorum flatuoſorúmque humorum, qui à natura extenuari nõ poſſunt.

Non planum inæquale.

Sit aliud diuulſum & inæquale,id eſt alio tempore tale apparēs,alio diuerſum: hoc priore eſt melius, indicat ſiquidem flatuoſos ſuccos eſſe paucos, quos natura cito diſcutiet & tenues reddet. Et mirum ſanè eſt inter opera naturæ inæqualitatem aliquando meliorem eſſe æqualitate, quod merito ſanè ita euenit.mala enim ſi eūdē perpetuo vigorem habeant,deterrima ſunt.Sicut & pulſus arteriarum ſi ſemper & continuo debilis exiſtat, periculoſus eſt: ſi vero aliquando debilis, aliquando non debilis, minus eſt periculū. eodē modo ſedimentū diuulſum inęquale minus malum eſt ſedimento diuulſo & ęquali. & hæc quidē de ijs dicta ſufficiāt.

Suſpenſum album æquale planum.

Sit aliud diuerſum à prioribus ſedimen, quod quo ad colorem ſit coctum & ſit albū,non obtinens locum inferiorem, ſed medium, planum in ſubſtantia,æquale in tempore, tale indicat bonam coctionem, ſed tamen non omnino perfectam: id enim non eſt hypoſtaſis,loco tamen ſolum differt ab hypoſtaſi:cauſa autem diuerſitatis loci eſt abundantia flatus qui immiſcetur ſuccis: ſi enim flatus ipſe groſſus ſit nec exacte per coctionem extenuetur reſoluarúrque, id quod reſidet ab vrina, ſua quidem craſſitie tēderet deorſum & ſubmergeretur,ſed flatus ipſe trudit illud atque attollit,aut ad ſupremam ſuperficiem & tum vocatur nubecula,aut ad mediam regionem,quod tum vocatur ſuſpenſum. At vero ſi nulli ſunt omnino flatus, ipſum quod reſidet profundiore parte inferiorem occupat locum, vocatúrq; hypoſtaſis:& de ſuſpenſo quidem id mihi dicendum fuerat.

De hypoſtaſi & nubecula.

Tria hæc igitur quæ diximus diuerſa ſunt tātummodo ſitu:ſitus autē variatur per flatū,flatus autē generatur coctione,coctio vero quando ſufficiens & perfecta fuerit flatum reſoluet & exinaniet: propterea hypoſtaſis perfecta perfectam indicat coctionem. ſi autem ventoſitas illa præ groſſitie extenuari reſoluíq; non poſſit,relinquetur in humoribus, quæ erit veſtigium coctionis humorū nō equidem perfectæ,ſed mediæ inter crudos & coctos.hæc autem ſi non multa fuerit,propellet ſedimentum ad regionem mediam,ſi multa,ad locū ſupremum,erítq; nubecula,quæ etiam ſignum eſt coctionis:quidcunque enim fuerit quod ab vrina reſidet coctionem ſignificat,eam tamen minus bonā,ſi multum & groſſum fuerit.Clarū eſt igitur quòd ex ſitu ſedimētorum nihil plus diſcimus quàm modū & menſurā coctionis.Si tamen nigrū erit id quod reſidet,ſignum eſt pernicioſum:minus vero eſt pernicioſum,ſi ſolum id nigrū eſt quod in medio iacet,ac multominus etiam ſi nubecula.ſi vero id quod in infimo eſt veluti hypoſtaſis,longe eſt pernicioſiſſimū. ſufficiant vero hæc dicta de ſitu,qui neque bonum neq; malum ſignificat,ſed modum & menſuram boni & mali.Cum autē in eo quod reſidet quatuor nobis conſideranda ſint,color ſcilicet,locus,ſubſtantia, & tempus,ſupereſt vt de colore iam differamus,cum de ſubſtantia tempore & loco iam ſatis diximus.Color autem alius eſt naturalis ei quod reſidet,& eſt albus, alius præter naturam, qualis eſt niger,fuſcus ſeu liuidus,pallidus,rubeus,de quibus iam agamus.

Color ſedimentorum rubeus quid ſignificet.

Sedimentum rubeum fit à copia cruoris, id eſt ſanguinis incocti: ſignificat autem coctionis defectum:non tamen mortem, cum enim ſuccus is ſit benignus & amicus naturæ,magnum periculum inferre non ſolet:quia tamen indicat crudita-

tem,faciet morbũ diuturnum:id autem ex eo quod dicturi ſumus,intelliges.Humores quidã generantur ex phlegmare ſicut phlegma,& id quod proprie dicitur cruor:quidam generantur vnà cũ ſanguine,ſicut flaua bilis & nigra bilis.Quando igitur in vrina ſedimẽtum videtur rubeũ,indicium eſt quòd à cruore colorem accepit:cruor autem fit antequam ſanguis fiat. ſi ergo natura nõdum proprio colore tinxit ſanguinem,manifeſtũ eſt quòd nondum perfecte coctus eſt,eo tamen indiget natura,vt progreſſu temporis ex illo faciat ſanguinem.quid igitur ſignificet ſedimentum rubeum iam diximus.

Quid ſignificet nigrum.

Sedimentum autem nigrum aliquando frigiditatis eſt indicium , interdum caliditatis.diſcernetur vero alterum ab altero hoc modo: ſi anteceſſit liuidus,poſtea ſubſecutus eſt color niger,indicationẽ facit frigiditatis:ſi vero anteceſſit croceus, ſubſequitur vero niger,caliditatem indicat.

Quid ſignificet liuidum.

Liuidum autem frigiditatem indicat & internirionem virtutis.

De ſpeciebus oleaginorum.

Ex oleaginis vrinis alia eſt elæochroa,alia elæophanes,alia elæodes.prima principium indicat colliquationis adipis totius corporis,eſt vero ea colorem olei retinens:elæophanes autem habet aliquid magis ſimile oleo,quod ſupra vrinam inſidet:ſignificátque augmentum colliquationis.elæodes eſt quæ tota ſui ſubſtantia, & vndequaque eſt veluti oleum, quæ indicat ſtatum & ſummum vigorem colliquationis.Sunt autem hæ vrinæ etiam ex colliquatione adipis renum: extant tamẽ cautiones quibus hoc diſcernas, quarum meminit Hippocrates in aphoriſmo de reſolutione adipis renum , vbi dicit, Quibus inſidens pingue ac ſimul totum, ijs renum vitium acutum ſignificatur . ipſemet docuit diſcernendi modum cum addidit Simul totum . in colliquatione enim totius corporis adipes colliquati paulatim , id eſt tarde , & non vniuerſim cum vrina exeunt:recipitur enim adeps à venis membris vicinis, deinde ab ijs quæ continuantur , & rurſus ab alijs & alijs , donec tempore protracto ad renes & veſicam perueniat : adipis vero in renibus colliquari propter vicinitatem tranſitus celerrima eſt excretio ; & non paulatim . hoc igitur eſt quod dixit Hippocrates, ſimul tota, id eſt celeriter. hæc de oleaginis.

Quid ſignificet hypoſtaſis oroboides.

Cũ autẽ caro ipſa liquatur diſſoluitúrq;,facit hypoſtaſes oroboides,id eſt ſimiles orobis:quas vt bene diſcernas,animũ aduerte ad coctionẽ aut cruditatẽ,aut febrẽ præſentẽ. Si enim adeſt febris, liquatio erit carnis totius corporis:ſi vero nõ aderit febris,erit vitium renũ:& rurſus ſi adeſt cruditas vrinarũ, totius corporis liquatio eſt:ſi coctio adeſt, ſedimenta vero orobina appareant, vitium eſt renum. Nec ſine cauſa cruditas inceſſit quando morbus eſt totius corporis : ea enim vaſa quæ coctionẽ conficiunt,male etiã affecta ſunt:in vitio autẽ renũ cruditas nõ adeſt:renes enim non ſunt inſtrumenta coctionis vrinæ.hæc de colliquatione carnis & adipis.

Quid ſignificet hypoſtaſis petaloides.

Quando ſolida membra male ſunt affecta, abraduntur primum vtplurimum,& reddũt vrinas petaloides , id eſt habentes hypoſtaſes veluti ſquamas : ſunt tamen & hæ aliquando à vitio veſicæ . diſcernes autem hoc ex ijs quæ iam diximus de

vitio renum:ſi enim adfuerit febris,totius corporis eſt vitium: ſi non adfuerit febris,vitiũ eſt veſicę:ſi cruditas adſit,totũ corpus eſt affectum:ſi coctio adſit,veſica.

Quid ſignificet pityroides.

Quando febris,profunda corporis vaſa corripit ac dilacerat,hypoſtaſis ſit pityroides,id eſt quæ habet quiddam ſimile furfuri:quod exilius quidem eſt ſquama, ſed groſſius:id vero etiam vitium veſicæ aliquando indicat.diſcernitur autem hoc eo quo diximus modo: ſi enim adfuerit febris, vitium eſt totius corporis: ſin minus,veſicæ.

Quid ſignificet crimnodes.

Poſteaquam vero febris ipſa longe latéque maiori vi quàm in ſuperioribus vitijs ſolida membra corripuerit,facit deteriora ſedimenta,quàm erant illa quæ ſpeciem furfuris referebant,quæ vocantur crimnodea,id eſt farinæ ſiue etiam ſpumæ ſimilia.hæc vero duo ſignificant,aut cremationem ſanguinis, aut liquefactionem ſolidorum nimiam : & ſi quidem alba fuerint quæ reſident, ſolidorum membrorum eſt vitium:ſi vero rubea extiterint,ſanguinis crematio.

Quid ſignificet cruenta fruſtuloſa.

Indicat hepar eſſe vlceratum,cuius ſubſtantia diſſoluitur, & partes quidem huius ſedimenti ſubtiliores, habent colorem cruoris, craſſiores autem ſunt ſimiles ſandaracæ,quæ vtplurimum portendunt mortem infirmis, aut, ſi ſuperuixerint, hydropem.

Quid ſignificet fœtida.

Fœtidæ autem vrinæ indicant putrefactionẽ & internitionem virtutis futurã. Reſtat vero nobis ſpeculari de humoris vrinarij cum ſedimẽtis connexionibus, ac dicere quid ſignificent. hæ enim connexiones quas hucuſq; explicauimus erãt vel ſolius humoris vrinarij,quas primo loco ediſſeruimus,vel ſolius ſedimẽti quas ſecundo loco expoſuimus: nunc autem & humoris & ſedimenti ſimul connexiones complicemus, & exponamus quid ſignificet quælibet complicationis differentia.

De tenui & albo.

Proponatur igitur primo vrina non cocti humoris qui eſt tenuis, nec cocti coloris qui eſt albus:in tali vrina nunquã poteſt exiſtere ſedimentum:tenuitas enim ſignificat defectũ materiæ nutrimenti ex qua fit id quod reſidet. Ad hæc in tenui quod permanet tenue eſſe ſedimentũ,ſimulq; eſſe vrinam pallidam,aut rufam,aut flauam,eſt impoſſibile: in ijs enim natura priuata nutrimẽto cõuertit ſe ad colorẽ faciendum. quare ſi volumus conficere connexiones humoris vrinarij cum ſedimentis,tenue abijciamus à propoſito,proponamus vero groſſum.

Groſſum album non planum.

Sit vero vrina colore alba, ſubſtantia groſſa, in hac poteſt reſidere ſedimen, quod ſit album ſed non planum,id eſt diuulſum : in talibus enim crudorum ſuccorũ copia colligitur,quę licet coctionẽ coloris admittat,ſubſtãtiæ tamẽ minime.

Groſſum rubeum non planum.

Sit alia groſſa cui inditus ſit color rubeus(pallido enim rufo & flauo ob eas quas diximus cauſas groſſum connecti non poteſt.) ſi igitur rubeo miſceatur groſſum, id quod ſępius accidit in ſynochis febribus,ſignum eſt malę coctionis & in humore & in ſedimento, tum quo ad ſubſtantiam tum quo ad colorem vtriuſque, humoris ſcilicet & ſedimenti.

Grossum nigrum non planum.

Sit vrina alia grossa & nigra, hæc non cocta est nec colore nec substantia, tam humoris vrinarij quàm sedimenti. Et hæ quidem sunt connexiones vrinæ grossæ quæ remanet grossa. Sit vero vrina quo ad substantiam mediocris, cui annectatur color aliquis, hæc alba esse non potest: si enim alba est, cruda est. Esto tamen appareat vrina mediocris substantiæ, & alba, mirum profecto erit quomodo natura mediocrem substantiam faceret, colorem vero non decoqueret, cum illud maioris sit negotij & difficultatis. Mediocre igitur cum albo consistere non potest. Raro autem cum pallido, nisi abundans humiditas aliunde cholerae aduenerit. Color quoque rufus aut flauus cum mediocri vrinæ substantia non potest communionem habere, quòd si aliquando habeat, in illis tamen nihil residet, proinde & has vrinarum cum sedimentis complicationes vt inanes omittamus.

Quæ vrinæ sunt malæ.

Virides seu liuidæ, nigræ, cruentæ, nimium grossæ, rufæ supra modum, rufæ simul tenues, carentes hypostasi: periculosæ sunt fœtidæ, pingues, oleaginæ, & hæ quæ excedunt copiam potus.

Nubeculæ & hypostases malæ.

Liuidæ, nigræ, obscuræ, varijs coloribus distinctæ, diuulsæ, & hæ quas ante vocauimus crimnodes, cruentæ, biliosæ, & exustæ, phlegmaticę & fœtidæ: vrinę verò in quibus nihil residet, sunt malæ. Hæ igitur species vrinarum significãt plurimas causas diuersorum morborum, eorúmque augmenta, declinationem, discrimina, prosperitatem, coctionem, cruditatem, modum insuper periculorum quæ futura sunt, eorúmq; causas, quarum multitudinem & vim considerare debet medicus caueréque siquid vltra modum delinquitur.

De differentijs vrinarum in hominibus sanis.

In morbis febrilibus vtilissima est vrinæ indicatio: quoniam autem omne quod est præter naturam, cognoscitur per id quod est secundum naturam, idcirco vrinarum notitia incipere debet ab ijs quæ secundum naturam se habent. Optima igitur vrina est in ijs hominibus qui sani sunt, & bonam corporis habitudinem sortiti sunt, subrufa aut subflaua, mediocris crassitiei, talem colorem perpetuo obtinens qualis à principio visus est, hypostasim retinens planam æqualẽ, albam, multitudinem autẽ pro mensura & ratione potus. In mulieribus tamen vrina secundũ naturam albioris coloris esse debet, quàm in viris, haberéque hypostasim maiorem. In puerili vero ætate necesse est grossiorem esse hypostasim propter edacitatem puerorum, & motus eorum importunos ac inordinatos. Quãdo autem Hippocrates dicit hypostasim planam, vult significare non diuulsam sed continuam: quando dicit æqualem, vult significare tum eam quæ per omne tempus similis est sui, ita vt si vno die sit cocta, postero die non sit cruda, tum eam quæ sedimentum & humorem vrinarium habet nõ distantem à se, sed totum sibi æqualem. In vrina naturali consideranda sunt hæc, substantia, color, & id quod adhæret, qualis est nubecula: suspensum, & ea quæ in fundo est hypostasis, quòd si aliquid horum in vrina immutatum fuerit, indicium erit non bonæ coctionis in venis.

Qualis vrina optima est in ægrotantibus.

Optima in ægrotis vrina est ea quæ simillima est vrinæ sanorũ hominum, subpallida, aut subflaua, habens hypostasim albã, planam, æqualem. Ab hac vero iam

deficit quæ ſuſpenſum habet album, planum, æquale. Adhuc vero magis deficit, quæ nubeculam habet albam,planam,æqualem.In quibus enim extant humores groſſi,flatuoſi,& incocti,ſi quidem pauci fuerint,permittunt ad profundũ matellæ materiam deferri: ſi vero abundantes fuerint, eueniet hoc vt flatus qui in profundo eſt,efferat hypoſtaſim ad ſuperficiem ſummam vrinæ, & faciat eam quam diximus nubeculam . Quanto igitur flatus magis diſſecauerit ac magis in altum ſuſtulerit hypoſtaſim,tanto minus cocta dicetur eſſe vrina.In tertianis tamen exquiſitis & in ephemeris febribus,ſola nubecula aut ſuſpenſum ad ſolutionẽ morbi ſæpe ſufficit,interdum ſufficit & ſolus color vrinæ bonus.

Quòd non omnis hypoſtaſis alba bonum indicet.

Sæpe autem albus color eorum quæ in vrina reſident decipit ignaros medicos, ita vt neſciant malam eſſe hypoſtaſim quæ illis videtur bona, ac è diuerſo bonam eſſe quæ illis videtur mala. Accidit enim aliquando vt albus humor & crudus excernatur per vrinam,ac in imo ſubſideat,inſtar bonæ hypoſtaſis. Aliquando affecto hepate aut renibus,pus per vrinam excernitur & ſubſidet ita vt indoctos decipiat : ſed hoc diſcernetur primũ per dolorẽ qui præceſſit in renibus aut in hepate, aut in aliquo membro alio, quod ſolet per vrinas expurgari : deinde per fœtorem quem obtinet pus. Crudus autẽ humor diſcernetur à bona hypoſtaſi per inæqualitatem ſubſtantiæ.neque enim humor crudus permanet ſibi continuus, ſed diuiditur in exiles & minutas partes veluti arenulas,neq; planus eſt omnino, ſicut vere hypoſtaſis.In bonis autem vrinis primum quod apparet eſt nubecula:deinde facto deſcenſu apparet id quod vocauimus ſuſpenſum:in fine autem poſteaquam iã carminata eſt,ſubſidet in profundo,facítq; hypoſtaſim:ex quo liquet coctam eſſe vrinam . At in crudis humoribus à principio delabitur multitudo non pauca in profundũ matellæ (interim & totius vrinæ color eſt malus)deinde ſucceſſu temporis extenuata multitudo cõcoctáque attollitur in medium, facítq; ſuſpenſum. poſteaquam vero magis adhuc extenuata coctáque (quoad eius fieri poterit)extiterit,incidet vtplurimum in alto,faciens nubeculam, quæ idiotis imponit vt opinentur morbum labi in deterius.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE VRINIS libri finis, Ioſepho Struthio Polono interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBER DE THERIACA AD PAMPHILIANVM, IOACHIMO CAMERARIO INTERPRETE. NVPER ad exemplaria græca diligenter castigatus.



Væsiuisti sæpe ex nobis, clarissime Pamphiliane, cum rationem componendi, tum vsum Theriacæ, antidoti audire, quúmq; ea quę ex tempore venere in mentem vt tibi exponeremus, neque retenta à te memoria, neque à nobis satis explanata fuisse existimem: nunc ocium nactus, illis ad memoriam reuocatis, quæcunq;, dum Romę versarer, præceptores cognoui meos huius ope medicamenti obtinuisse in sanationibus, vel ipse sum feliciter expertus: ea atq; in vnum collecta tibiq; dedicata, mittere operæpretium esse duxi. His attexui & modū & tempus & morborum diuersitates, quando, & in quibus vtiliter illud vsurpandum videretur. Admodum enim illiberale & rusticum arbitratus sum celare siquid ad salutem maxime conferat: qua in vrbe omnium principe degentes gloriantur & merito, quippe quòd priuatim beneficio, & publice ornamentis afficiantur ex operibus quæ vt ciuitati præuideant, ad communem vtilitatē præparantur. At vero & omnia oppida Cretensium satis constat dexteritatem bonitatémq; ingenij tui non solum venerari, sed diligere quoque. Quid de Aegypto, déque regia vrbe memorem? vbi tot sunt tibi vni Cretensium amici, quot non alijs vniuersis. Qua de re sæpe subit mirari quàm consentiens fortuna nomen tuis cum moribus tum naturæ, quasi prouidentia quadam amoris erga te omnium, imposuisse tibi videatur. Potes autem tu facile parare magnam copiam antidoti huius multorum opera. Sed nos tibi verum & appositum vsum indicabimus, hac re testaturi studium & beneuolentiam erga te nostram. Vt autem nihil ex hoc plus habent qui tibijs citharísve abundāt, nescientes vti: ita & antidoti, & quicquid præterea est medicinarum nihil prodest possessione sua, si vsu deficiatur. Quòd si, vt vulgo fertur, valeret antidotus hæc aduersus tantum virulentarū bestiarū morsus, & venenata pocula, poterat domi perinde ac pretiosum quid reposita, tempore & ætate euanescere, raro videlicet re vsum illius postulante: cum autem & ad illa, & insuper ad senectutem placidam consequendam, & longam vitam & sensuum integritatem, & valetudinē tuendam possit plurimum, neq; adeo in præsentia tantū molestos profligare morbos, sed etiam in posterum euenturos auertere; par, vt opinor, fuerit, ne sanos quidem negligerę beneficiū huius medicinæ, magis optantes prorsus non incidere in morbos, quàm correpti illis liberari. Proinde multi Romæ opibus & potentia florentes, lunæ prima die hanc medicinam vsurpant: alij quartam eligunt, ante per tres dies vt probe concoquant, operam dant, & alui cura habita, hora diei tertia bibunt dilutum ex hac tantum, quantum magnitudini fabæ Græcæ respondeat, in cyathis aquæ calidæ duobus, affuso cochleari vno mellis, non quo alicuius morbi malū repellant, sed potius ne quo in futurum corripiantur. Neq; eos opinio spésque fallere solet. Bonum enim hæc sanguinem reddit, nō quidem malitiam illius purgans, sed eius

contumaciam corrigens in amicam qualitatem vertit, qualitate præter naturam deuicta. Iam cum incidit, vt iter faciendum illis ſit, hac cõtra ſuſpiciones, aut loci, aut aquarum inſalubrium corporis habitum communiunt, non aliter quàm ſalutaribus armis quibus à noxa defendantur. Meorum quidem magiſtrorum natu maximus, vir nemine inferior prçſtãtia artis & animi æquitate, AElianus Metius, affirmauit aliquando cum Italia peſtilentia laboraret, multíq; mortales ſubita vi morborum interirent, perterritis autem cum medicis, tum alijs principibus ciuitatum, neque medicinis proficientibus quicquam, ſe theriacæ ſolius remedium authore vſurpari cœptum: quod qui iam ægroti hauſiſſent, eorum conualuiſſe aliquot, ſed & nonnullos perijſſe. Verum quotquot ſani adhuc illo eſſent vſi, eos nõ ſolum diſcrimen, ſed etiam ſenſum mali effugiſſe. Neque mirum ſanè hoc videri debet: ſi enim hauſta potum iam venenum ſuperat, nimirum & corruptum aerem emendabit, neque ſinet iniuriam & vim afferre vitæ mortalium. Quod ipſum fugere non vulgus tantum, ſed medicos etiam quoſdam non eſt quod mirere. Conficitur enim hæc antidotus ex ſuccis, liquoribus, radicibus, floribus, ſeminibus, caruncul is. Vt igitur vniuſcuiuſque horum tempore, ita ipſius etiam ex omnibus compoſitionis vires euaneſcere ſolent. Itaque hac ſuſpicione adducti qui medicamenta venalia habent, callidioréſque ſunt, inueteratam hanc vel venum dant, vel donant etiam amicis. Ipſi autem cum vſus poſtulat recentem, efficacémque promunt: nequit enim fieri quum illis dum opem ferunt, res ex voto ſuccedat. Atq; ego tibi definiam etiam & tempora & morbos, quibus & ad quos proſpero cum euentu adhibere hanc medicinã poteris. Nam quos vipera momordit, aut anguis, aut coluber, aut rabioſa beſtia, & vt dicam ſemel, quos virulenta bellua aut momordit, aut punxit, aut afflauit, his apta omnibus fuerit admodum illa adhuc recens. Recentem autem intelligi volo ad annum vſque trigeſimumſextum. Eadem valebit & contra omnia venena. Sed hanc ætatem ſupergreſſa, accommodata fuerit alijs morbis, de quibus mox memorabimus, cũ numero prædicto non fuerit multorum aliorum annorum facta acceſſio. Eſt autem efficacis huius medicinæ vel ſecus, probatio, ſi quis medicamentũ alicui det quod aluum, vel quod vomitum moueat, vt elleborum, aut ſcamoneam, aut quicquid validiſſimum eſſe crediderit, non ſecus ac ſi aliquem purgare vellet, móxque illi tantum huius antidoti exhibeat, quantũ eſt fabæ AEgyptiæ magnitudo. Nam nõ modo is non purgabitur, verum neque vllum habebit purgationis ſenſum. quod ſi ſecus fiat, ſciendum antidoti bonitatem tempore diminutam fuiſſe. Solet autem adminiſtrari cũ venenum hauſtum eſt, aut virulenta aliquem beſtia læſit, in vini cyathis tribus magnitudine nucis ponticæ, ſiue quis accepto malo vti, ſiue in ſuſpicione & metu præmunire ſeſe voluerit. Eadem eſt ratio, cum quis ignota de cauſa, tanquam venenum hauſiſſet in periculum venit interitus? Eadem nouam pariter ac inueteratã tuſſim ſedat, & pectoris laterúmque dolores: datúrque tum magnitudine fabæ AEgyptiæ ſub noctem, ſi quidẽ febris abſit, in mulſo: ſin adſit, in mulſa aqua: prodeſt & ſtomachi inflationibus & torminibus, & colo: & tunc datur in aqua magnitudine eadem, mane. Hæc & appetitionem cibi nimis geſtientem coheret, & iacentem excitat: deniq; omnibus in rebus ac partibus naturalem conuenientémq; modum inſtaurat. Datur autẽ ad hęc quoq; tantundẽ in aqua aut diluto, non amplius tribus neq; minus duobus cyathis. Atque hoc modo data frigus & tremores

febrium diſpellit,& gelu extremarũ partium in corpore,& bilioſam vomitionem in febrilibus acceſſionibus quæ ipſa & interdũ in paroxyſmis durat. Quòd ſi quis ter aut quater ante ſignificationes quas dare febres ſolẽt,aſſumpſerit,penitus illas excluſerit:ſi tamen victus ratio non fuerit cõtraria bonitati huius. Nullum enim eſt tam potens remedium morborum quod præſtare eam quam pollicetur opem poſſit,ſi ratione victus, aut non adiuuetur,aut conturbetur. Creditur etiam mulieribus hac antidoto menſes ciere,& educi fœtus mortuos,quos natura ſæpe eſt imbecillior,quàm vt annitẽs etiam proferre valeat:tuncq; datur ex paſſo vel aqua mulſa,in quibus ante bullierit dictãnus,aut ruta,magnitudine itidẽ fabæ AEgyptiæ, quòd ciborium, aut cithe vocant AEgyptij. Vtilis eſt & aquam inter cutem & morbum regium patientibus in decocto aſari. Hydropicis, vt quibuſdam placet,ante cibum.ſunt qui oxycrati diluant,cyatho vno:ita ad extinguendam ſitim redditur efficaciſſimum,& totum corporis habitum firmiorem facit,& abundantes humores minuit, atque naturalem ſiccitatem reducit. Reuocat hæc & interceptam vocem, cum hauſta ſola, tum retenta ſub lingua. Sed quando in potu datur admiſceri tragacanthes duplum,daríque ex paſſo vel mulſa,ſub lingua verò retenta paulatim liquari debet,vt fit de arteriacis remedijs. Vtilis eſt & ad ſanguinis ſputum,ſiue ex pectore, ſiue pulmonibus ſanguis reijciatur. Sed recenti malo datur in oxycrati tribus, inueterato in aquæ totidem cyathis. Fit vero efficacius multo, ſi detur in decocto herbæ quæ ſymphytos nominatur, ſumitúrque mane & veſperi magnitudine fabæ AEgyptiæ. Romæ etiam vidi præceptores meos in ita affectis vti medicamẽto ex ſubere,quæ efficax eſt cura,Græci τὴν διὰ φελλῶν δύναμιν vocant:cuius plexus,ſi videbitur, opportuniore tempore tibi deſcribemus, atque ita circum vbique delibuto pectore, larga hac antidoto, haud ferè non ſuſtuliſſe malum ſcio. Conuenit hæc & ex renibus laborantibus, & ex inteſtinis qui dyſenterici dicuntur, & qui calculis vexantur, & anhelatoribus: itémque quibus circa iecur aut lienem durities extitit,aliúdve inueterauit malum. Datur autem ad duritias cum aceto mulſo,idq; confici de fauis debebit,quod ipſum laudauit,vt conueniens, Hippocrates quoque. Anhelantibus datur ferè in aceti ſquillini cyatho vno & dimidio. Ad calculos cum decocto petroſelini aut apij:laborantibus ex renibus in mulſo: dyſentericis cum decocto rhu ſyriaci. Iam in comitiali morbo,ſi ſanguinis exundantia non fit, ſumitur ex aqua mulſa: ſin exundet ſanguis cum ſpiſſitudine, ex aceto mulſo. Inueniuntur & non ignobiles medici, qui hunc patientibus morbum prius gargariſmos præcipiant cum ſynapi,deinde ſub noctem adminiſtrent hanc fabæ græcæ magnitudine in aqua. Atq;,vt dicam ſemel omnia, vbi nihil aliorum remediorum prodeſt,ſuperante malo opem medicinæ,ibi admirabiles cognoſcuntur huius antidoti vires. Itaque & cholericis magnitudine doloris pereuntibus,& cardiacis extremum penè ducentibus ſpiritum, reſtituit ſæpe iam quaſi renatis vitam. Sed nec fieri profecto poteſt, neque conueniens videtur omnia perſequi enumerando,maximè cum ab his quæ expoſita ſunt,facile cuiuis in promptu futura ſint reliqua omnia,in quibus attẽtione animi adhibita,proſpero hac antidoto ſucceſſu vtatur. Quare illos quoque qui ampliores huius laudes moliuntur,dimittamus, quòd ei circulares potius quàm medicas pollicitationes attribuant,à quibus etiam hæc afferri ſcimus. Hanc ad aurium quoque dolores & auditus grauitatẽ facere,& caligines, & vuuluam,& oris vlcera quæ ἄφθαι dicũtur.

Tali enim laudatione magis antidotus hæc vituperari quàm honeſtari videtur: etenim horum ſi ſunt vilia multa remedia quibus non paulo rectius vti poſſis,ſu peruacaneum fuerit tam precioſum hoc minore ſpe etiã propoſita experiri. Nunc deinceps & confectionem huius exponemus,quæ ipſa non vulgatem requirit diligentiam & ſedulitatem, de qua Menecrates nihil explicauit. Quia vero aſſumit hedychroi quoddam magma, itémque orbiculos ſcillinos & theriacos, ante omnia horum compoſitionem trademus.

Hedychroi confectio.

Radicis aſpalathi corticis:calami aromatici, coſti, aſari, xylobalſami,phu,amaraci,maſtiches,ſingulorum drachmas ſex:iunci florũ drachmas duodecim:cinnamoni drachmas duodecim:amomi, caſiæ,rha pontici, ſingulorũ drachmas quindecim: nardi indicæ, foliorum malabathri, ſingulorum ſexdecim: myrrhæ,croci, ſingulorum duodecim.excipe hæc falerno vino,& in fingendo inunge opobalſamo,& ſiccentur in vmbra.

Orbiculi ſcillini.

Scilla circumlinatur luto, & ponatur in furnum balnearium ſubiecto igne, poſtridie eximatur, & repurgatur à luto circumlito. Huius capiantur drachmæ C X X.erui farinæ addantur drachmæ L X X X. atque ita terantur, & in orbiculos ſiue rotulas redigantur.

Orbiculi theriaci.

Viperæ flauæ quatuor aut quinque accipiantur,quæ ſi ſint recenter captæ melius erit, nam incluſæ diutius virulentiores fiunt, quod de ieiuno homine poteſt intelligi. Illis præcidatur caput & cauda ſpatio digitorum quatuor, pellíſque detrahatur,& interanea eximãtur. Ita quod relinquitur,coquatur in olla cũ anetho: poſtea carnes coctæ ſpinis cura & diligentia maxima expurgentur. Tum panis nitidi & arefacti, æquale ponderis atque carnium fuit, accipiatur, vnáque cum illis teratur accurate,& cum opobalſamo finguntur rotulæ & ſiccantur in vmbra. Eſt autẽ antidoti,authore Andromacho,à quo inuenta & nominata eſt Galene,confectio talis:à quo accepta,à poſterioribus Critone,inquam,& alijs illius temporis, vocata Theriaca fuit,propter miſtionem carnis viperinæ.

Confectio antidoti.

Orbiculorum ſcilliticorũ drachmas xlviij. theriacalium, hedychroi, cinnamomi,piperis nigri,opij,ſingulorum drachmas xxiiij.iridis illyricæ,glycyrhizę,opobalſami,roſarum aridarũ,ſcordij cretici,ſeminis buniadis,id eſt rapæ agreſtis, agarici,ſingulorũ drachmas xij.croci, myrrhę, zingiberis,rha pôtici,radicis quinquefolij, calamenthi, marrubij,petroſelini, ſtœchadis, coſti,piperis albi, ſingulorum drachmas ſex,dictamni cretici,florum iunci,thuris maſculi,terebinthinę chiæ,caſiæ fiſtulæ nigræ,nardi indicæ,ſingulorum drachmas ſex,florum polij cretici, ſtyraeis, ſeminis apij, ſeſeleos, thlaſpeos, ameos, chamædryos, chamæpityos, ſucci hypociſthidos, malabathri, nardi celticæ, radicis gentianæ, aniſi ,mei, ſeminis fœniculi,lemnij minij ſigillati, chalciteos vſtæ, amomi,acori, fructuum balſami, phu pôtici,hyperici,acaciæ,cardamomi,gummi,ſingulorum drachmas quatuor, ſeminis dauci,chalbani,ſagapeni,bituminis,opopanacis,caſtorij,centaurei tenuis, ariſtolochiæ,ſingulorum drachmę duæ,mellis attici,libras decem,ſed alij malunt ſex,alij quatuor,vini falerni ſextarios duos. Horũ igitur omnium in pila cõtunde,

ſuccum hypociſthidos,myrrham,ſagapenum, glycyrrhizam,ſtyracem,acaciam, opopanaca, & paulatim inſtillans mel commiſce, tum vinum affunde,in quo illa ſubmergi poſſint,& macerato diligenter dies tres. Tum cinnamomum, crocum, caſiam, ſpicam,rhlaſpi,malabathrũ,ſigillum lemnium, chalcitin, & eam quidem vſtam,nam vſta artificioſe hæc colorat antidotum,amomum,bitumen,caſtorium inciſum,& cribratum,tunde in mortario,& contere, ſicut collyria ſolent cum vino. Poſtea illa ſuperiora commiſce cum his omnia, & cum vino reliqua arida trita,quæ in mortario ſunt,in pilam tranſfunde,commiſcendo omnia diligenter,atq; vinum infundendo tempera:deinde mel,reſinam,chalbanum,opobalſamũ,liquefacta in olla cum illis confunde & permiſce.Quo facto in vaſculo ſtanneo aut argenteo,ad vſum ſerua antidotum. Criton etiam hoc monuit, venandas beſtias in fine aut veris aut vindemiæ, & eligendas grandiuſculas & corpulentas, coquendáſque cum anetho tantum.Carnibus autem viperarum decem admiſcendas cenſet ſiliginei panis vnciam vnam, atq; ita fingendos orbiculos. Scillam autem vult legi tempore meſſis,quo maximè ſint plenæ viribus.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE THERIACA ad Pamphilianum libri finis, Ioachimo Camerario interprete.

CLAVD. GAL. PERGAM. ASCRIPTVS LIBER AD SOLONEM MEDICVM PRIMARIVM, DE REMEDIIS FACILE PARABILIBVS nupet magna diligentia versus in latinum.

Ad capitis dolorem.

* Desideratur principium. *

Aliud. Baccas caprinas, hoc est stercus caprinum rosaceo leuigatum fronti illine, ac fascia obligato, hócque mane ac vespere facito: nam à capitis dolore ægrotantē liberabis. Aliud. Euphorbio, ac scriptorio atramento ex aceto frontem illinito. Aliud. Puer qui nondū venere sit vsus in limine ianuę ægroti fac vt mingat atque iniecto aceto vtraque commisceto ac terito donec sordium crassitudinem assequantur, atq; illa eadem hora frontem illine. Aliud. Si puerperæ caput dolet, aceto cinerem excipe, ac fronti apponito. Aliud. Lachrima hederæ ex aceto & rosaceo leuigata frontē illinito. Epithema ad idem. Nasturcium cōtrirum ex aceto & rosaceo exceptum, ac ad crassitudinem cerati redactum, frōti à tempore ad tempus imponito. nam statim à dolore liberabis. Ad eos qui altera capitis parte dolent. Acaciam rosaceo cerato excipe & vtere. Aliud. Cicorium appositum capitis dolores ac exustiones à sole factas sedat.

Ad comitialem morbum potus.

Miluum adhuc viuum combure in olla, ac bibendam cinerē exhibeto, & sanitati restitues. Aliud. Eiusdē iecur combustū ex aqua bibendū præbe. Aliud. Stercoris asinini fricti accipe cochlearia duo & quotidie bibēda exhibe, à morbo ęgrotus liberabitur. id longa experientia est cōprobatum. Aliud. Vrinā verris in fumo exicca, & potandā ex aceto mulso præbe, sit vero vrina quātitate fabæ AEgyptiæ, præfertur autem si sit apri. Aliud. Stercus hirci ad idem valet, si dentur vsque ad quindecim globuli. Aliud. Maluę syluestris succus detur per triginta dies bibendus ieiuno, & curabitur. Aliud. Mustellæ iecur aridum ex aqua bibendum dato, id vero facito cum subinde casurus ægrotus est. Aliud. Olei parumper coagulo leporis infundito, ac catapotia efficito, ex quibus quandóque vnum, quandóq; duo exhibeto. Aliud. Mustellæ sanguine illinito, ac ipsam mustellam pedibus & capite reiectis comedendam præbeto. nec secus ad strumas facit comesta mustella. Aliud. Secto mure luna silente, iecur accipe, & assum ægroto comedendū appone. prodest præterea acetū mulsum scillinum, & Iuliani, & theriaca. Aliud odorabile ad comitialem morbum. Tithymallum ex aceto & polēta tritum in placentas redige, & eas odorandas præbe ægroto, & ille non cadet. Suffimentum ad cognoscendum si morbo comitiali sit obnoxius. Gagatem lapidem suffito, ipsum circūcirca tegens ne dissipetur odor. si enim eo affectu detētus sit, cadet. Potiones ad cognoscendum an morbus is sit incurabilis. Acaciæ drachmam ex aqua dilutam bibendam dato. Si eam vomuerit insanabilis est. Si febre arripiatur, illi potio proderit. A sidere percussorum curatio. Asini vrina ipsos consperge, & bene habebūt. Si eum qui comitiali ceciderit morbo statim excitare volueris, Thymum, aut pulegium rritum naribus adhibeto. Purgantia per nares. Succum anagalidis cui flos est ceruleus, naribus infunde, ac iubeto ægrotum supinum aerem attrahere. Hoc

remedium prodeſt omnibus ex capite laborantibus. Aliud. Albæ hederæ ſuccum in nares imponito. Aliud. Succum ex nigella expreſſum naribus indito. Eodem modo iride oleo antiquo immixta vtere. Aliud. Succum radicis betæ naribus inſtillato, purgat etenim.

De aurium morbis, primúmque de affectibus in auditorijs meatibus.

Vino diluto aurem collue, ac lycium in oui putamine maceratum inſtilla. Ad inflammationes & dolores. Allij interiora capitella terito, ac cum oleo in olla calefacito, oleúmque in aurem infundito, & à dolore liber euadet. Ad magnum dolorem. Iecur anſeris ſalitum cum nardo colliquato, repurgans auri indito. Ad aures pure manantes. Alumen liquidum in aquam inijciens in vitreo vaſe, & leuigatum in aures inſtilla. * Ad aures pure manantes cum dolore vehementi. Porri ſuccum melle excipe & vtere. Aliud. Opium vino dulci diſſolutum tepidum in aures inſtilla. Aliud. Cedri lachrymam ex modico nardo imponito. Aliud. Mel cum oleo tepefactum in aures imponito. Ad teredines & pus manans. Alumen ſciſſile cum aceto & vino dulci decoctum ad mellis craſſitudinem inſtilla. efficax eſt tam in recentibus, quàm in antiquis morbis. Ad aurium ſtrepitus cum multo dolore. Cedri lachrymam melle miſtam inſtillato. Aliud. Aloem colorem iecoris referentem ex aceto leuigatã vt ſordium craſſitiem habeat, inſtillato. Aliud. Vulpinum adipem diſſolutum immitte. Aliud. Inſtilla nardũ tepefactum. Aliud. Caſſiam ex roſaceo inde. Aliud. Centipedas domeſticos, ex roſaceo coquito, ac inſtillato. Ad dolores paulatim inuadentes. Lanam ſuccidam ex aceto feruefacito, atque ex ea lana auri aliquid impone. Aliud. Succo mali punici immaturi cum melle vtitor, vel ſucco lentiſci, vel herbæ muralis, aut liguſtri, aut rubi. horum vniuſcuiuſque ſucco ſeorſum, vel cum melle miſto coctóque vtere: vel plãtaginis, vel lactucæ, vel ſanguinalis ſucco ſimiliter vtere. Ad dolores abſque vlcere. Sulphur ignem non expertum fiſtula in aures inſufla. Aliud. Opium muliebri lacte diſſolutum inſtillato. Ad grauem auditum. Abſinthio ex aqua cocta aures eo decocto collue. Ad ſurditatem ex natura. Cornu capræ nuper iugulatæ eius vrina impleto, ad fumúmq; per nouem dies ſuſpẽdito, & vtere. Ad ſonirus ex profundo. Aceto & roſaceo, ruta & cumino leuigatis vtitor cum melle. Ad tinnitus & ſonos repenre ſubortos. Acetum acre tepidum inijce. Aliud. Vitem albam, mel, album veratrum ex roſaceo leuiga, ac inſtilla. Ad aurem dolentem, ac pure manantem. Aceto, melle, roſaceo miſtis, ac tepefactis vtere. Ad vehementes dolores. Subactam oleo euthypaſti adipem infunde, & locum ſpongia occlude. prodeſt * vitijs neruorum ſi cum vulpino adipe miſceatur & cum ſuillo æquis portionibus. Ad dolores & inflammationes. Haſtulæ regiæ radicem purgaram in oleum vitreo vaſe contentum inijcito, & caloribus canicularibus per dies quadraginta ſoli exponito, & vtitor. Ad vlceraras & pure manantes aures. Lacertas paruas captas oleo mundo liquato, ac ſic auri inſtilla. curabit præterea, ſi vermes habuerit. Ad vermiculos aurium, & ea quæ in aures incidere extrahenda. Cæpam & hiſſopum in veteri lotio terito, ac inſtillato. Aliud. Internæ partis cucurbitulæ ſylueſtris ſemina cum pari portione aluminis AEgyptiæ cedrino oleo leuigata in aures inde. Ad educendas ſordes ex auribus. Lanam glande vnguentaria madidam auri impone, & lanam ſordium plenam inuenies. Aliud. Nitrum in puluerem redactum in aurem inijcito, & acetum inſtillato, ac lanam inſuper

mollem imponito, & per noctem ita ſinito, deinde ſequẽti die mulſa calida abluito. Ad aurium dolores. Salis florem cum roſaceo & aceto inſtilla. Ad aures pure manantes, & dolentes. Nitrum cum roſaceo leuigatum inijce in aurem. Aliud. Veratrum album cum vino, & aceto, & alumine in aures impone. Succum etiam ex radicibus calaminthæ cum aceto conruſis expreſſum auri infunde. Aliud ad antiquata vitia. Licio cum melle miſto vtitor. Ad inflammatas aures. Papaueris capitum cortices in mortario contundito. & tertiam eius partem cum hordeacea farina permiſtam in vino dulci coquito, ac cataplaſma apponito.

Ad vlceratas nares, polypos & oxenas.

* Spumam nitri adhibe diductis naribus, & ad odorem ſpiritus bonum reddendum, florem albæ violæ antequam è colliculo decidat collectum cum aqua terito, donec mellis habeat craſſitudinem, & locis vlceratis adhibe. Aliud. Locum attinge ærugine ex melle cocta. Ad interiores inflammationes. Adipem anſeris dilutum cum porri, ſolaníq; ſucco equis portionibus interdiu illine. Ad narium dura vlcera. Plumbum tritum infuſo vino aquę maris experte, addito oleo myrtino quantum ſit ſatis, donec ad mellis craſſitudinem venerit, adhibe. Aliud. A Eris ſquamma cum melle cocta vtere. Ad ſanguinem per nares detrahendum. Mentam melle exceptam, in collyriáque redactam naribus imponito. Ad ſanguinem è naribus profluentem. Rutam tritam, oleóq; exceptam in nares imponito. Aliud. Gummi & thus leuigata & aceto excepta impone. Aliud. Cinerula cypria aceto excepta vtere. Aliud. Spongiam cum pice combuſtam, ſiccatam & tritam linimento inſperge, ac in naribus imponito. Aliud. Iunci acuti florem naribus imponito. Ad profluuia narium quæ ſupprimi nequeunt, potiſſimum ſi his qui diutius febricitauerint id accidat. Pyrion imponito nunc aridum, nunc oblitum collyrio facto quod magnitudine narium foraminibus reſpondeat. eiſdem etiam genas, nares, frontémque illinito. Aliud. Diphryges vſtum & leuigatum cum aceto apponito. Aliud. Lanam oui albumine imbutam impone. Aliud. Lanam intinctam ſucco herbæ ſanguinalis, aut ſolani imponito. Aliud. Rutam tritam cum aceto in modum emplaſtri apponito: eam etiam ſuffito. Adhibenda ſunt ea quæ aſtringere valeant, cohiberéque impetum erumpentis ſanguinis, qualia ſunt: cicutam naribus ſuffito, illéque ſpiritum attrahat. naréſque digitis comprimendæ ſunt: aures vero cerato aut ſimili alia re exquiſite occludito. Præterea extremum penem papyro ligato, in mulieribus ſimiliter mammarum papillas. oblinito etiam frontẽ * capútque his quæ vim refrigerandi habeant, & ea inſpergito. Præſentaneum vero remedium affert cucurbitula affixa capiti, vel vena in fronte ſecta. Sed & ſternutamenta nonnunquam ſanguinem ſiſtunt, vel herbam bugloſum ſimili modo, aut aſini ſtercus ex aceto naribus imponito. Ad ſtertentes. Anetũ imponito ſub capite illo ignorante. idem valet ad proſilientes è lecto.

Ad puncta & æram appellatam ſine vlcere & cicatrice.

Locum prius nitro deterſo reſina terebinthina illinito, ſicque per dies quinque ſinito, ac deinde ſoluito, punctáque ſpecillo ſcriptorio perforato: mox thus, nitrũ, & mel pari menſura miſta vt cerati habeant conſiſtentiam imponito: poſtea ſoluito & abluito. Aliud. Emplaſtrum ex veratro trito cum pane factum appone, vel lac acidum ſolum apponito. Aliud. Tritum fici corticem adhibe. Aliud. Staphida agriam quam herbam pedicularíam vocant, appone.

Ad alphos, ephelidas, lenticulas & alia eiuſcemodi.

Cucumeris ſylueſtris ex radice ſucco trito & cribrato faciem detergito. Aliud. Alcyonio ex vino trito faciem illinito. Aliud. Vitem ſylueſtrem tritam ex vino AEgyptio adhibeto. Aliud. Radice erucæ ſylueſtris felle ouillo excepta illinito faciem prius nitro deterſam. Aliud. Elaterium cum aceto tritum ad mellis ſpiſſitudinem, ac cum cerato miſtum faciei imponito. Aliud. Cinabari ex melle faciem illinito. Aliud. Cachrys ſemine leuigato lenticulas inungito, poſtea arefactum ablue. Aliud. Cucumeris ſylueſtris radicem, ficique ſummos ramuſculos ex aceto coquito, atque trita apponito. Aliud. Faciem illine radice cotylidonis trita cum melle. Aliud. Rubia prodeſt maculis ex ſole inductis, & ad alphos, ſi ea ex oleo trita liniatur facies. Aliud. Zonchum amarum tritum ex melle inunge. * Aliud. Aneti ſemen ex vino antiquo conterito donec ſpiſſitudinem mellis habuerit, eóque faciem inungito, & finito pet noctem, mane vero illud auferto, & aliud recens reponito. Eodem etiam commaſticato lenticulas illine. Aliud. Albam violam ex aqua ad lenticulas & ephelidas adhibe. Aliud. Aphronitrum tritum cerato ex cera tyrrhenica confecto excipe, & faciei apponito. Ad alphos & album colorem. Alcyonium vſtum melli admiſceto, illitum confert. miſto præterea cum farina erui & tritici & quammaxime calido faciem deterge. Aliud. Amigdala amara aceto excepta, detracto cortice apponito. Aliud. Ocimi ſemine cum adipe gallinaceo aut anſerino trito faciem inunge. Aliud. Fœnum græcum ex aceto leuigatum & inunctum ſquammas detrahit. Ad ephelidas & lenticulas. Myrrham & crocum trita ex aqua apponito. Aliud. Purpuras aut vocatas buccinas in ollulam conijce, & in furno poſitas aſſato, ttitíſque cum melle miſtis vtitor.

Vt alba & intenta cute facies fiat.

Radices ſylueſtris cucumeris diuidito in fruſta, & ex aqua coquito teritóque, & leuigatis faciem inungito. Aliud. Faciem pellucentem efficiens. Eruum tritum ex vino odorato in cataplaſma tedigito & vtere. Aliud. Succum ex ſemidali exprimito, humorémque abijcito, id vero quod ſubſidet admiſceto oui albo ad mellis ſpiſſitudinem, & eo faciem illinito, ac oleo detergito. Faciem verò à ſole commaculatam multa aqua frigida lauato: bene coloratam die vno reddes. * Violam elixans pauco aluminis iniecto, ex lixiuio terito & vtere, multo inungens oleo: ita vt facies bonum colorem aſſequatur, ac gratum odorem. Aliud. Cupreſſi ilicíſque taleis vna feruefactis eorum decocto vniuerſum corpus illine. Aliud. Thus & pæderota paribus portionibus cum melle commiſceto, & faciem inunge: ſicque per diem ſinito, deinde abluito. Aliud. Lini fece melli commiſta faciem cum iter ſub ſole facturus es, illine: corpus tamen prius nitro confricato. Ad id vt ex ſole non exuratur facies, immo vt etiam exuſta ſanetur. Bulbo albo cum melle trito faciem inunge, quòd ſi facies intumeſcat abſque inflammatione, terram nigram tere ex melle: & faciem illine. Aliud. Alcyonio cum celtica nardo vnà trito vtere.

Ad labiorum rimas.

Galam immaturam, reſinã terebinthinam cum hyſſopo melle exceptam inunge. Ad fiſſuras profundiores. Caprino pingui mundato inunge. Aliud. Ex anſeris adipe terebinthináque tritis æquis portionibus, & additis flore roſarum, hyſſopo

ſicca & maſtiche inungatur. Vt os bene oleat. Irin vino antiquo odorato macera, eóque os colluatur aſſidue, contineatúrque in ore breui tempore. Aliud. Os vino colluatur in quo demerſum fuerit ſerpyllum. Ad intolerabiles oris odores citra vlcus. Quidam os vino meraco cum myrrha colluunt, floréſque iunci odorati conterunt & leuigant, addita cimolea cum ſale os perfricant. ſimiliter & marmore vſto cum aniſo. eodem modo & hordeum cum ſale & melle. Quidam etiam linteum cremant & inijciunt, & eo ſic leuigato vtuntur, & pumice, & nardo, & myrrha cum melle. Semidalin quoque & irin cum melle miſtam vrunt, ac ea vtūtur. oſtreis quoque, purpuris & buccinis cum myrrha . os vero acri aceto cum dormitum eunt, colluunt. quidam etiam domum exituri folia pinni commanducant, aquáque lauant. nonnulli vero & aniſum mandunt, aut radicem dulcem, aut irin, aut id genus alia, domo egreſſuri.

Ad dealbandos dentes, & ad alios eorum affectus.

Hi quibuſdam vtuntur dentifricijs, quæ ſimul & gingiuis proſunt, & dentes candidos & firmiores reddunt . Terram eretriadem appellatam vrunt, leuigatáq; ea vtuntur. hoc mirifice dentes dealbat. erui farina lotio inſperſa inunge. Aliud. Leporis caput combuſtum cum fœniculo quàm albiſſimo, ac oſſe ſepiæ tritis miſce & vtitor. Aliud. Cornu ceruino vſto & trito vtere. hoc dolores etiam dentium leuat, ac cum roſaceo impoſitū ſedat capitis dolorem. Pulegium, & frictum ſal in vnum miſce, & vtere. Aliud. Simili modo talum ouillum vre, & vtere. Aliud. Hordeum toſtum cum ſale terito & vtere. Lotio valens ad vlcera & dentes labantes & infirmos. Alicacabi radice vna cum malicorio craſſiori elixata inungito. Aliud. Albæ populi radicem, aut verbenacæ, aut eryngij, vel etiam herbam, aut polij radicem accipe, & tritam adhibeto. Ad commotos dentes. Aſini vngulam vſtam tritámque aceto excipe, indéque globulos facito, & reponito. vtere vero ſic, globulum vnum aceto diſſolurum præbeto vt colluat. dolores enim quamprimum leuat, & dentes firmat. Aliud. Cameleontis nigri decoctum, ſi eo colluatur, ſedat dentium dolores, idipſum etiam mures interficit. Aliud. Lotio ex betæ ſucco ſtatim tollit dentium dolores. Aliud. Alterci radicis calido decocto ſi foueris, à dolore euadet liber. Aliud. Rutam, hyſſopum, myrrham trita ex vino in ore detineat. Aliud. Verbaſci radicis decocto ex aceto, aut vino, aut poſca os colluatur. Aliud. Fac vt os colluat nitro & oleo, & dolor tolletur. Aliud. Cupreſſi baccas ex vino & roſa coquito, decocto os colluat. Si vero omnes dentes doleant, collue liquore cedri, quia dolor ſtatim diſcutietur. Quum dens molaris dolore tentatur, ſi cum radice maluæ vnicum habentis cauliculum tetigeris, dolor pelletur. Dolentibus dentes da mandendam radicem herbæ muralis balneas ingreſſuro donec egrediatur, & à dolore vindicabitur. Aliud. Pyrethri radix commanducata illico opem fert. Aliud. Radix herbæ pontidis vocatæ commanducata dolorem finit. Suffimentū ad dentes dolentes. Alcyonium ſuffito, & ſtatim doloré depellet. Aliud. Semen alterci ſi ſuffias, à dolore liberabis. Vt bene dentes oleant. Terito cimoliam cum ſale, & dentes fricato. Aliud. Denté canis in ignem cōiectū ſuffito, vt enim ille cremabitur, ſic dētes fient firmiores. Ad corroſos dentes. Ad corroſos verò dentes inijce album piper miſtū cum trito atramēto ſutorio, aur gallā, aut alumen ſciſſile cum melle impone corroſo dēti, & dolorem

abiget. Aliud. Limacis lapidem in frustula sesami magnitudine tere, in dentísque foramen imponito, facto ex terra operculo, & quamprimum dolorem sedabit. Aliud. Tauri iecur lento igne tostum & denti impositum statim dolorem finit. Aliud. Testudinis vnguis molari denti impositus prodest. Aliud. Fel vrsi impositum statim à dolote liberat. Sed & quoquo modo liniatur, dolorem sedat. Ad commodos dentes. Sanguis testudinis in ore detentus firmat dentes. Aliud. Indicum alcyonium, ex vino tritũ detur ad colluendũ os, & corroborabit. Ad dentes ex plaga commotos. Coralium imponito & diu cõtineto. Ad dentium stuporem. Portulacam ægrotus commanducet. Aut omphacino oleo inungat. Aut amurcã olei in vase æneo ad mellis consistentiam coquito. hæc enim valde prodest si vetusta ea inungantur. Ad dentes sine ferro, & citra dolorem extrahendos. Fermẽtum denti circumponito & paulisper sinito. postea sanguine lacertæ illinito, & cadet. Vt sponte dens decidat. Pyrethrum aceto excipito, ac sale deinde condito per dies triginta, dentíque prius mũdato circumponito. Aliud. Artemisia herba ex aceto trita dentẽ illinito. Aliud. Dentem circumfodiens illine vermiculis super extremis herbis & caulibus repertis, cambis vocatis, alios tamen dentes caueto. Si verò inferiores dentes volueris detrahere, accipe vermiculos in inferiori herbæ parte repertos. Aliud. Sandaracham ex aceto tritam siccari sinito, & sicca vtiliter vteris. sanguinem tamen circa dentem prius elice. si enim sic paulisper siueris, digitis extrahes. Vel radicem syluestris cucurbitæ denti imponito. Aliud. Mœdi immaturi radicem exiccatam in vmbra, contusam & cretam dentium radicibus appone, & paulo post apprehensos digitis extrahes. Vel lachryma AEthiopicæ oliuæ dentem tangito. Aliud. Lacertam syluestrem exiccatam discissámque contetito, ac reponito, mundatóque prius dente imponito, paulo post vero attrahito nam sequetur dens. Aliud. Grana vrticæ cum chalbano mista circumpone male affecto denti. statim enim cadet. Ad dentes citra dolorem extrahendos. Hetbæ lapæ radix calida denti apposita præstat vt digitis euellatur. Syluestres cucurbitas tundito, acetóque demergito quoad mellis spissitudinem habuerit, scalprúmq; medicamẽto intingito: quo deinde circũcirca dẽtes scarificato, & facias vt paulisper os claudat, deinde digitis apprehẽsum dentem trahito, sine dolore sequetur. Aliud. Farinam ex lacte tithymalli appone, & hederę folia superimpone, & sic sine per horam, quia citra dolotem frangetur.

Ad vlcera & putredines oris.

Melanteria contusa valet. Omphacium etiam separatim cum melle potum ad eadem facit, facit præterea & glaucuris appellatæ contusæ succus cum melle & aqua paribus pottionibus gargarizandus datus.

Ad columellæ vitia.

Galam per se tritam admoue oleo intincto digito, vel iniectam in cochleatium adhibe. Aliud. Semen spinæ AEgyptiæ ttitum atidum apponito. Caricas cum oleæ folijs exhibe ieiuno comedendas. Succum cyrenaicum arefactum cum sale apponito. prius tamen cum aqua calida gargariza, vel scissile alumen diligenter vstum adhibe. Vel stellionem vitis crematum lignis apponito. probe enim facit. Aliud. Rubi cauliculos ex melle & humida pice leuigatos administrato. Aliud. Agerati lapidis florem admistum præbe gargarizandum: vel scissile alumen succo brassicę admistum præbe gargatizandum, optime enim facit. V. stotium vuulę ap-

ponendum. Miſy & calcem viuam exceptam reſina terebinthina appone, & fac vt delineat: intra horas tres auferet. Facit item ad columellam recrementum picis quæ ex Cilicia affertur, cochleario acceptũ & appoſitum. Item omphacium cum melle, aut paſſo. Dicitur etiam quòd ſi quis vuæ acinos quotannis ieiunus deuoret, columellam integram ſeruabit, vt nulli vnquam ſit affectui obnoxia. Eiſdem præterea gargariſmatis in columellæ affectibus vtendum eſt, quæ ad affectas tonſillas facere ſcribemus. Primum inter initia iube aquam calidam tenere in ore, & gargarizare frigida, aut poſca, aut ſucco mali punici dulcis ad mellis cõſiſtentiam decocto, cum aceto mulſo diſſoluto: vel optime faciet ſuccus dracunculi gargarizatus.

Ad inflammationes tonſillarum & anginas.

Hoc bene ad tonſillarum affectus facit. Qui baccas myrti præparant melle, abſinthio & dracunculo, inungere ſoliti ſunt. hoc itaque medicamentũ illitum, aut cum aliquo gargarizatum mirifice confert. At ſi quidquam ex inflammatione reliquum ſit, tonſillæq; ſint exaſperatæ, lacte planè calido, vel ſolo, vel cum aliquo ex ſupradictis, vel furfuribus ex aqua decoctis, aut mulſa, aut furfurum decocto, aut radicis dulcis, aqua calida farina bis vel ter ſubacta, ſucco vtere, vel iure gallinæ, aut hœdi: vel ptiſanam cum paſſulis coque, & ſucco vtere, vel maluæ decocto per ſe, vel maluam cum melle coquito, aut cum lupinis, & cum paſſo vtere. Ad tonſillarũ tumores & anginas. Radicis dulcis ſuccum diſſolue & vtitor. Sin autẽ cruſtę fiant, vt illas remoueas, oportet mulſa gargarizare, aut ſolius lẽtis decocto, vel cum hyſſopo, aut iride: vel aqua oliuarum ſalitarum gargarizetur: vel croci parum myrrhæq; in modico paſſo feruefacta, vel ficubus coctis ſubige farinam ordeaceam ſuccúmque exprimens, cola & vtere: aut ficuum decocto, adiecto pauco ſinapi, gargariza, pituitam ſiquidem detrahit ac inflammationẽ ſoluit. Ad abſceſſus in tõſillis proſunt aliqua ex dictis. Aphronitro leuigato etiam locum attinge, adde etiam interdum aliquid floris nitri. nam cruſtas remouet, abſceſſus attenuat ad lauandum exhibitum. Lixiuio etiam colato ſuccus marrubij dilutus bene facit, vel ipſum marrubium, herba videlicet decocta ex mulſa: aut rutæ decoctum cum marrubio, vel per ſe ex mulſa coctum probe facit. ſuccus etiam vtilis eſt: erui etiã decocto gargariza: aut miſy cum galla immatura miſtum, aut myrtum alumini liquido & melli paribus portionibus miſce, & illinito. Hoc medicamẽtum non ſolum cruſtas remouet, verũ antiadas mire diſcutit: aut manibus ſanguine porcelli imbutis ter colum laborantis attingito. Aliud. Cochleas à teſta nudatas & in ollam iniectas combure, eúmq; cinerem leuigatum melle excipe, & inunge. vis eius ſuperat omnem expectationem.

Ad interruptam & ſubmiſſam vocem.

Bulbos duos crudos ex melle comedendos dato. Confert & ficus elixatus & gargarizatus cum thure & myrrha. bene facit, & ſulfur ignem non expertũ pondere duorum vel trium cochlearium ouis acceptum. Aliud. Accipe amigdalas amaras xx. ſeminis lini aſſi drachmas quatuor, dragachante aqua maceratæ drachmas duas, nucleos pini xxx. melle excipe & vtere. Aliud. Pulegij drachmas quatuor, ſeminis lini, piperis, calamenti, ſingulorum drachmas duas, petroſelini drachmam vnam, mellis libram vnam. Ad eos qui iamiam ſuffocantur. Humanum ſtercus in linteo deligato, exurito, ac potui dato, hoc eos iuuat qui iam ſuffocantur. Aliud.

Probe etiam facit ſtercus caprinum cum melle,& liquida pice inunctum:vel ſucco rutæ & lacte, per ſtrigilem tranſmiſſo laborantis fauces colluc. multas etenim lachrymas detrahendo morbum leuat. Aliud. Vrina frequenter gargarizata ſanat, Oportet verò vnà ex braſſica ſuccum gargarizate. Ad cruſtas puerorum faucibus innatas * inungito,mox veto ariſtolochiæ decoctum ex vino gargarizandum præbe,& citiſſime curabitur.

Ad oſſa cæteráque omnia deuorata è gutture depellenda.

Aquæ & olei æquales partes in os infundito, ac contineto quouſque res deuorata reijciatur.Siquis comedẽs aliquid deuotauerit vnde ſuffocetur,ex illo eodem partem vtrique auri indat, & ſuper caput imponat, ſic enim id quod deuoratum eſt deſcendet, & quod ſuffocabat. Ad hirudines è gutture eijciendas. Marinam aquam gargarizet. Oleum,aut ſuccum cyrenaicum erui magnitudine tritum ex vino puro calido bibendum præbeto,aut ſuccum anagalidis potui da,aut acetum acre cum thymo:poſtea aqua calida gargarizet.

Ad deſtillationes.

Caſeus antiquus in cibum aſſumptus prodeſt.quippe c... pias exiccet. oleo veteri ſæpe nares inunge:aut ſulphure & myrrha contrit... vino,oleo & melle.

Ad tuſſes.

Conferunt ficus vino meraco madefacti & in cibum aſſumpti. Aliud .Reſinam terebinthinam ex melle coctam lingẽdam dato.poſtea paſſum dilutum da ſorbendum. Aliud pueris præcipue idoneum. Coagulum purum cocto melle excipe & & præbe. Aliud. Canem lycurgum vocatum decorticatũ in eſcam dato. Aliud. Allia ex melle cocta proſunt. Aliud. Scyllam accipe,& ſummum caput excauato,intúſq; ouum inijce,& locum creta cõtege,coctámq; comedendam adminiſtra. Ad eos qui cõtinenter tuſſiunt. Hyſſopi faſciculum ex aqua ad tertias decoquito, & ieiuno ad triginta dies potui dato pueris vero cum caricis. Aliud. Perdicam contunde & excerne inſtar farinæ, & loco inſperge. idipſum etiam probe ſanguinem reiectantibus opem fert. Aliud. Sinapi tritum & leuigarum exhibe bibendum ad cochlearium ex vin cyathis duobus ſubinde per dies X. Ad nocturnas tuſſes. Mentam tritam conijce in acetum, & ſorbendum præbe. Suffitus ad tuſſim. Accipe ſtyracis,m... ches,piperis,petroſelini,ſingulorum drachmam vnam: ſandaracæ drachmas VI. baccam lauri vnam: carbonibus impone accenſis, & per calamum ægrotus excipiat fumum.

Ad ſuſpirioſos Græcè aſthmaticos dictos.

Decoctum ſcyllę ex vino aut mulſa potui dato.Prodeſt & pulmo vulpis exiccatus,tritus,& ex vino nigro potatus. Aliud. Naſturtium albũ tritũ & melle miſtũ da lingendum. Ad ſpiritum difficilẽ.Accipe ouium pilos qui circa anũ innaſcuntur.,eóſque vſtos & tritos ex paſſo potui dato. * Aliud. Sulphur nunquam ignem expertum bibat ex vini cyathis quatuor. * Ad nõ niſi ceruice recta ſpirantes. Radiculam potui dato ex aqua calida. Aliud. Sedum tritum ex melle lingendũ præbe, aut bulbum,aut abrotonũ,vel alicã ex mulſa,aut hyſſopũ ex mulſa coctũ,vel ſtœchadẽ herbã, aut caſtoreũ ex paſſo bibitũ, vel internã ſcyllę partẽ ex aceto mulſo.

Ad ſanguinem reiectantes. Sectio octaua.

Symphyti radicem quãtam poteſt comedat,nec eo die acetum attingat. Aliud. Terram ſamiam interdum cum ſucco ſanguinalis herbæ, interdum per ſe ſumat,

Dixit præterea Hippio Centaurius succum vrticæ ex cyathis tribus vini potu assumptum mirum in modum conferre sanguinem excreantibus: Iuuat etiam acetum absorptum præcipue vero scyllinum. Sed & mentæ succus cum tragacantha contentus sub lingua.

Ad eos quibus ex aliqua vi sanguis ad interiora profusus est.

Vitis cinerem aceto extinguito, insupérque plus aceti inspergito vt liquescat, deinde per linteũ excolato, ac pauca aqua immista exhibe cochlearia sex: id ipsum & locum vnde sanguis profluit, adstringit: & sanguinem concretum deuoratum dissoluit, excernítque: & sanguinis fluorem sistit. nam vim habet reprimendi sanguinem in internis fluentem. Simphytum herbam cum aceto faciei in modum emplastri apponito, si [illegible] nare erumpat: sin vero è thorace, pectori adhibe: si ex vesica, aut vtero, aut re[illegible] coxendicibus applica.

Ad sanguinem expuentes & phthisicos.

* Gummi nigrum passo elixatum [illegible] da sub lingua continendum ac deglutiendum. ex gummi enim [illegible] est, probe sanguinem expuentibus confert. Ad tollendam phthisin [illegible] solutam. Pulmonem ceruinum calamo extrahe, & exiccatum tere, [illegible] cochlearia tria ex mellis cyathis tribus: deinde paucis interpositis diebus [illegible] iterum repetito. Ad phthisicos, & eos qui purulentum sanguinem reijciunt. [illegible] caseus salitus comedendus cum pane exhibitus in hũc modum: ipsum in a[illegible] demergito ter aut quater donec tandem aqua nullam referat salsuginem. postea vero charta deligatum com[illegible] ito, datóque sine oleo parum mulsi infundens. Herophilus vero sanum caseum sine alia re cum pane exhibet: postea vero aquam bibi iubet. ait enim quòd quum sal in caseo aluum perturbet, vinum propinatum soluit. Vtimur præterea scylla cum salsamento in ea tosta, & valide purgantur. Sed & porris cum pane: vbi vero exquisite fuerint purgati, si imbecilliores fuerint, ipsos carnibus & id genus [illegible] reficimus. Eodem etiã modo rem tractamus, quantum ad purgationem attinet, vbi abscessus eruperint. herba etiam vocata piscis cum [illegible] ia [illegible] salita optime sanguinem spuentes & phthisicos iuuat.

Ad pleuriticos.

* Corticem [illegible] cis potui dato: cuminum, cuius vsus est in oblonijs aqua insperge, & bibendum da[illegible]. Aliud. Rutæ ramulos quinque contritos quotidie præbeto: [illegible] ecadis herbæ quantum potest tribus [illegible] capi. Item trifolij semen, aut panacis radicem, aut aiugam.

Ad erigendas pendentes mammas.

A[illegible] e terram scriptoriam, eámq; in melle coquito in linteolo positam à mane vsq; a[illegible] inde sp[illegible] am ex olla [illegible] addito, donec cataplasma abduxeris. hoc tu[illegible] & [illegible] istentas reddit. Quòd si velis medicamentũ efficacius efficere, crassius id [illegible] one, [illegible] lli admisce gallæ [illegible] nciam vnam. Vt mammæ plures annos [illegible] les [illegible] cicuta caristia d[illegible] taplasma apponito. Ne mãmę maiores fiant, Porcelli dissecto sanguine mam[illegible] imbue, nec amplius crescent.

Ad sudores fœtidos & alas [illegible] olentes.

Alas asaro à balneo, & mane quotidie illinito, vel alumen liquidum illine quotidie, vel ocymi semine ex vino & melle inunge. hoc omnes alarum odores tetros abigit, vel tenuem puluerem quasi cataplasma adhibe. Ad lac supprimendum.

Cretarium tritum, aceto aſperſum & appoſitum facit.

Ad ſtomachicos hoc eſt ex ſtomacho laborantes.

Cedri liquoris cochlearia duo, olei immaturi cyathum vnum, ſimul commiſta ſorbenda apponito. hoc enim omnem dolorem penitus tollit: eſt autem Serapionis, ſuperátque omnem expectationem. Aliud. Aniſum humidum in linteo liga & aqua calida demerſum ſorbendum offer. Ad imbecillos & faſtidientes. Colliculos duos mentæ vel tres ſucco mali punici dulcis incoctos ſorbendos dato. Aliud. Sambuci folia tenera ex aqua munda potui exhibeto: remedium eſt quod non fallit. Ad morſus ventriculi citra vomitum. Tragoriganum contritum ex aqua pari menſura da bibendum, redigens ad lactis temperaturam. Ad ſtomachi imbecillitates. Sinapi frictũ & ex aqua tritũ potui dato. Epithema ad affectus ſtomachi & præcordiorum. Fece arida cerato myrteo, aut roſaceo excepta vtitor. Ad ſingultum. Si ſemel ſingultum ſenſeris, tuum ſiniſtræ manus digitum quem appellant ſalutatorium, [illegible] ore contineto acetúmque ſorbeto, [illegible]ut cuminum cum alica: aut ſaltem vomito, & bene habebit, aut ſpiritum contineto, aut ſternutatione vtitor, aut rutam ex vino potato, vel micam panis aceto intinctã bibito, aut oſſiculum porcelli manu teriro. Pauor etiam ſingultum abigit.

Ad choleras.

Vinum olbinum choleris remedio eſt: nam ſtomacho bene facit & aluo ſuccurrit. Ad vomitus ſupprimendos. Succo ſanguinalis herbæ cibos imbuito. Aliud. Abſinthium ex aqua ad tertias coctum potui dato, habita tamen ęgroti habitus ratione, cẽtaurium quoque, vel thymum, vel nigras myrti baccas. Vt citra moleſtiam quis vomat. Sambuchi folia comedenda dato. Aliud. Lixiuio collato extremum calicem illinito.

Ad volulum Græc[illegible]ilcum dictum, re[illegible]bile, & ad ſtercus vomentes.

Facito in hunc modũ p[illegible]oleum in qu[illegible]coctum anetum fac vt bibat. donec vero id coquatur æ[illegible]m in aquam [illegible] demitte, & poſt epotum oleum comedendas da micas panis calidas. [illegible]r enim quamuis iam in eo ſit vt ſuffocetur, hoc remedio principem in noſtra Aſia ſeruaui. Ad eos qui crebro vomunt. Rhum & cuminum in eodem vaſe contundito & bibendum præbe vnciam vnam ex aceti mulſi cyathis ſex. Ad cholericos valde præſtans. Mentam ex vino potui dato, ſi febre careat: herbam etiam quinquefolium aridam tritam ex vini cyathis ſeptem, vel ex aquæ calidæ cyathis duobus dato bidendum, & ſtatim liber eua[illegible]. Aliud. Cochleam cum teſta contuſam bibat. Ad ſupprimendos vomitus. [illegible] cum ex folijs cum capriolis vitis exprimito, & cum polenta ex aquæ cochleario potui dato. Aliud. Bibat panacis obolum ex vino & oleo calido.

Ad iecinoroſos ſeu ex iecinore laborantes.

Petroſelini ſeminis cochlearium [illegible]entæ inſperſum & bibitum prodeſt. Aliud. Herba fumaria vocata in ſuccum diſſoluta, & in paſtillos redacta & exiccata dolorem ſedat, & ſi rer in potu accipiatur ex aqua liberat. Aliud. Lupi iecur exhibitum denarij pondere ex paſſi ſextario. Item piperis albi grana nouem, & myrrhæ quantum eſt auellana nux, omnia ſimul trita cælo ſereno alternis diebus exponito, & ter quaterve exhibeto. Aliud. Equi iecur cedria pœnu conditum ſeruato, & ex eo da cum vino chio, & aqua. quibus iecur exulceratur, & depaſtionem compeſcet. Aliud. Maluæ ſuccus in potu iecinoroſis præſidio eſt. Aliud. Ha-

ſtulæ regiæ radix epota curat iecinoris dolores. Aliud. Alba viola potu aſſumpta poteſt ſtatim iecinoroſos à doloribus vendicate. Epithema iecinoroſis conferens. Laſerpitium contuſum veteri axungia excipe, & linteo inditum impone. Aliud. Ficum in mulſa elixato, & terito, tritúmque illi abſinthium quamplurimum commiſceto & vtere. Aliud. Cataplaſma ex cruda braſſica, cito remedium iecinoroſis affert.

Ad auriginoſos, & qui lapillos mingunt.

Acanthi radices à Romanis tricadumea appellati virides tres, & ſi non reperiantur, aridas quatuor ex aqua decoque ad dimidium, & decoctum è radicibus expreſſum bibendum dato. Remedium ad auriginem præſtans admodum, & à multis expertum. Virides raphanos cum folijs terito, & vnius vel duorum ſuccum ex vini cyatho vno in potu ante balneum exhibeto ſi fuerit ieiunus, atque vt in ſolium calidum deſcendat facito. nam auriginem in aqua natantem videbis. quòd ſi is morbus plus laboris afferat, ſuccum bibere præcipito, aut radicis anchuſæ aridæ, duo cochlearia ex cyathis tribus aquæ: aut quatuor cochlearia ſulfuris nõdum ignem experti ex vino: aut herbæ ſabinæ vnciam vnam, ex mulſo bibat. Egó vero & hoc vtor, quod valde eſt efficax. aphronitri vncias duas macerati in vini aminei cyathis duobus ſub diuo per noctem vniuerſam expono, mox ieiuno potui do, id quod tribus vel quatuor diebus ſubinde facio: & priſtinam valetudinem reſtituo. Aliud. Hypericum herbam & adiantum coctam potui dato. Aliud. Myricam ex aceto bibendam dato. curat enim regio morbo laborantes. Arquatum in balneum ducito, atque in ſolium deſcendere iubeto, illíque floris iunci odorati vnc. ij. ex tribus vini mulſi cyathis potui dato: diſcutiet longam auriginem, & liberabit. Aliud. Herba rubia vſui ſit in quotidiano victu ſine ſuilla carne, * hanc contuſam & cretam exhibe vſque in ſextum diem, primo quidem cochlearium vnum ex quatuor vini cochlearijs. deinde ſemper detrahẽs dato vini cochlearia nouem, poſtea ſeptem, deinde quinque, poſtea quatuor, quòd ſi die triceſimo aliquæ adhuc morbi reliquiæ ſupeterint, eadem exhibeto eodem ordine ſeruato. Aliud. Chamæmelon ex aqua bibitum arquatum morbum abigit: ſed & iecinoroſis mirum in modum confert. Aliud. Radicula ex melle & lacte pota ſanat. Aſelli ſub aquarijs vaſis degentes ex mulſo bibiti regium morbum curant. Aliud. Serpillum ex aqua coctum & potum auriginem diſcutit. Aliud. Sulfur ignem non expertum propinatum ex vino menſura vnius aut duorum cochleariorum ſanat arquatum. Aliud. AErugo ferri cito ſanat. Aliud. Capræ ſtercus ſiccatum, tuſum & cribratum da cochlearij menſura ex odorati vini cyathis quatuor ieiuno quum ſe lauaturus erit, febricitantibus ex aqua eadem menſura. Aliud. Fellis vrſi quantum eſt faba græca exhibeto, móxque facito vt aquam ſuperbibat. Aliud. Sabinæ herbæ cyathus ex vino mulſo potui datus arquatum ſanat. Aliud. Thus aquæ incoctum bibat. Aliud. Terræ inteſtina trita bibenda præbeto. Aliud. Ariſtolochia ex aqua mulſa potetur. Aliud. Cicorij ſucci ſi cyathos quatuor in potu accipiat, curabitur. Aliud.

In medium conclaue balnei vt ſudet, deſcendat, nam mox egrediens ſanus erit. Aliud. Canini ſtercoris albi appellati genubei cochlearium vnum bibendum da ex tribus optimi vini cyathis per decem dies. Valet hoc idem ad colicos

dolores & inflationes. Medicamentum ad arquatum morbum in nares infundendum. Elaterium ad quantitatem fabæ Græcæ muliebri lacte diſſolutum in nares infundito. Aliud. Nigellam aquæ incoctam in nares infunde, móxque in balneo auriginem deponet.

Ad lienoſos.

Rumicis agreſtis radicem in pila tundito, & terito: ſuccíq; eius per tres dies ſingulos cyathos potui dato. Aliud. Radicis panacis tritæ cochlearium vnum bibendum dato ex tribus cyathis aquæ calidæ ieiuno. Ad lienoſos quamuis lien induruerit. Corticis radicis capparis vnciã vnam, aceti ſextarium ſemis, aquæ ſextarium vnum: coque ad tertias, eius dato cyathum vnum vel duos cibo iam planè decocto, & id per interualla. Aliud. Hederæ folia aceto incocta terito, & ex expreſſo ſucco, robuſtis quidem purum potui dato, delicatis vero aquam miſce, antea quàm id bibant, gargarizare & concitatius deambulare facias. Aliud. Centaurij tenuioris quod iam inueterauerit tritũ in pila dato, quantum capit cochlearium ſi febre caruerint. Aliud. Leporis lien recens ita deuoratus vt dentibus nõ attingatur lienoſos curat: ſed deuoretur oculis ligatis, vt ignoretur quid nam id ſit quod deuoratur. Idem præterea facit catuli qui nondum oculos aperuerit lien eodem modo deuoratus. Aliud. Venatorij canis catulum aridum & tritum, adiecto modico nardo exhibe ieiuno. Dixit Marcellus cochlearium vnũ cardamomi, aut duo ex aceti ſcyllini cyatho vno, aut altero potui datũ per duos dies ieiuno, præſtans eſſe remedium lienoſis. Aliud. Hederæ molles radices ex vino coctas potui adminiſtra, vel crudas contuſas ex vino bibat. Aliud. Aſininum ſtercus aceto diſſolutum, & per linteũ excolatum bibendum præbe. Aliud. Raphani ſuccus ex aceto mulſo leuigatus, & potui datus per tres dies, ita vt ſingulis diebus duos aſſumat cyathos, lienem extenuat. Aliud. Recrementum ferri ad cochlearium ex poſca bibat. Aliud. Iridis longæ ex aceto decoctæ acetum potui trade. Aliud. Elcorodani cor comedendum & bibendũ affer. Aliud. Muxin elixum ex aqua ſi aridus ſit, propina potui ſuccũ. muxin vero appellatur lingua Cappadoca. Aliud. Stœchadis tritæ cochlearium vnum ex cyatho vno vini lentiſcini potu accipiatur. Aliud. Ammoniaci guttæ ex aceto tritæ cochlearium ex aceto ieiunus bibat. Aliud. Muris lienem cum granis ſeptem piperis in ficu toreto, & nõ aduertenti dato comedendum. Epithema lienoſis. Lapidem aſium in bubulam veſicam iniectũ & aceto acri ſuperaddito deligatum ſuperimponito: illum enim refringet. Aliud. Vnguentariam glandem ex aceto tritam ad cerati conſiſtentiam ſuperimponito. Aliud. Vulpis lien alligatus lienoſos curat. Item hœdi lien ſuperpoſitus lienem eliquat. Aliud. Braſſica ſylueſtris facto cataplaſmate impoſita ſanat lienoſos. Aliud. Perſici folia vt cataplaſma impoſita, probe conferunt. Aliud. Semen myricæ ex aceto coctum & tritum appoſitúmq; confert. Aliud. Ammoniaci guttam aceto maceratam linteolo illitam apponito. Aliud. Crocomagma aceto leuigatum, ac ad cerati craſſitiem redactum impone, neque enim cadet niſi prorſus ſanauerit. Aliud. Capparis radicem exquiſite tritam ac linteo illitã appone: iuuat enim. Ad lienoſos. Corticem radicis capparis ex aquæ libra & aceti ſemilibra incoquito ad tertias. & da ſexquiunciam potui. Aliud. Folia hederæ ex aceto cocta contere & exprime humorem, & validioribus quidem ipſum præbe: his vero qui delicatiores ſunt, immiſta aqua: prius deambulent, deinde bibant. Aliud.

Radicem capparis tusam, & ex aceto & melle feruefactam ieiuno bibendam dato. Ad lienem. Baccas cupressi accipe, eásque valide contritas cum erui farina tenuissima in acetum conijce, ac decoque quoad vt emplastrum fiat, deinde lieni per triduum imponito: post triduum solue, emplastrum enim aqua plenum inuenies. Aliud. Ammoniaci guttam per triduum aceto scyllino maceratam & leuigatam panniculo imponito, & lieni appositam ne remoueto quoad emplastrum decidat. Aliud. Folia mori sycamini viridia in vmbra siccato, & deinde terito & aridum facito medicamentum, & denariorum quatuor pondere, cum modico pipere & gariophilis ex vino meraco calido descensuro in balneum bibendum tribue.

Potio ad aquam inter cutem vt ea per lotium excernatur.

AEris vsti quanta est faba AEgyptia, fimi colūbini vnciam I. vini cyathos tres: præbe, & ea sit vnica potio. Aliud. Quod in multis nos sumus experti. Tithymalli characiæ vocati radicem pro viribus accipientis esui dato, & confestim euacuabit. Aliud. Granum Cnidium tusum cribratúmque ex melle excipe, vt sordium habeat spissitudinem. & ex eo da cochleatium plenum cum vini mulsi cyathis tribus, & modica aqua calida, ad lactis temperaturam, vel ex ouo sorbili: probe aquā deijcit. Aliud. Hebuli succi ex radicibus expressi cyathos duos, vini cyathos totidē exhibe. liberat enim absq; stomachi subuersione. Aliud. Graminis decoctum in potu acceptum vrinā cit. Aliud. Succi solani cyathos quatuor, mellis cyarhos xvi. potui dato. Aliud. Hyssopum & hirci lotium cum vino dulci
* potum prodest, idipsum facit si caprinum habueris. Epithema ad hydropicos. Hederam vstam diligenter in cataplasmatis modum impone. Aliud. Ex aqua raphanos, quoad tenerescant decoque, & deinde hordeacea farina adiecta misce, & iterum coque, & ex eo cataplasma facito.

Ad ventris tormina & dolores.

Aristolochiæ radicem in vino bibat: ad tormina, singultum, capitis dolorē, partum difficilē vtile est. Sternutatio commodat ad tormina & omnes internos affectus. Aliud. Radix lychnitidis lota, & cum passo cocta, ac deinde dissoluta & bibita bene facit. sin minus, tuis escis inijce modicum cassiæ & olyræ non contusæ. Ad tormina intestinorum & ventriculi. Da cumini fricti & triti cochlearium vnū vel duo bibendum ex tribus aquæ cyathis. Aduersum inflationes. Acetum prius feruefactum refrigera, ac illi apij semen tritum inijce, & iterū feruefacito acetum, & ex eo potui daro. Aliud. Herbam irionem tritam ex aqua bibat. Aliud. Ex lambro, quod satis est, cum aceto bibendum rribue ieiuno. Aliud. Laurum ieiunus commanducato, succúmque deglutito: partem vero commādacatam in vmbilicum imponito: confestim enim dolorem sedabit. Medicamentum quod ano impositum vim habet purgandi ventrem. Felle tauri hapsum lanæ imbuito, & ano immittito. Aliud. Saponem gallicū lana inuolutū, aut liquidū alumen potius.

Ad intestinorum tormina.

Lentem teneram elixatam cum radice rubi tusam imponito, ac edendam dato. Aliud. Cytinos, id est flores mali punicæ domesticæ acido lacti incoquito, & eodē modo esui præbeto. Aliud. Milium contusum elixato, adipémq; vitulinum inijciro vt quam pingue fiat, & calidissimum bibendum dato, & confestim sanus euader. Aliud. Gallæ interiorem partem tritam & leuigatam misce cum farina, ac oui albumine subige, & pastillos confice, & eos assos frangito, vinóque non salito

infundito & esui dato. Eclegma ad torminosos, cœliacos, & læuore intestinorum laborantes. Lasetpitij ramenta melle commista lingēda dato. Ouum, mel, vinum, malicorium pari portione in vnum coacta frigito, & piperis modicum inspergito, summe efficax est. Aliud. Oua tria in acetum coniecta per triduum macerari sinito, deinde modicā acceptam similaginem illis tribus ouis subigito, assatóque: & vino meraco intinctum dato. Potio ad torminosos, cœliacos, læuoréq; intestinorum laborantes. Rhum obsoniorum astringenti vino coquito ad tertias, & potui dato quibus ventriculus male habet. Aliud. Gallam ex austero vino coctam his quibus fluctione tentatur, pro viribus bibendum dato.

Ad ventris profluuium.

Callitrici decoctum ex aqua potui dato. Aliud. Stœbem, qua vti solent ad vasa testacea, spinosam in pila tunde, & ex aqua coque, aquámque quibus venter dolet bibendam præbe. & si febris absit cum vino, sin adsit, sine eo. Aliud. Nucum corticē qui nucleos vestit terito, & eius cochlearia tria ex aqua potui dato. Aliud. Ceruinū cornu mollius vrito, & potui cum æquali gallæ portione tribue. Aliud. Rumicis semen tritum potui, & escæ inspergito. Aliud. Illud nucis quod interius columellæ simile est, & capitum papaueris id quod tanquam operculum superius eminet, pari mēsura ex vino detur. Aliud. Glandes quercus tusas & cribratas vt polentam vino austero inspergito, ac bibēdas tradito. Aliud. Carabi testas frictas, & tritas ex aqua propinato. Aliud. Ventriculus struthocameli potus. itémque gallinarum ad duo cochlearia, ex aqua febricitantibus: febre vero carentibus ex vino. Aliud. Thuris frustrum fabam magnitudine exequans, in vini cyathum vnum, succi autē solani duos, in potu exhibeto. Aliud. Gummi album tusum vnciæ vnius pondere cum vini nigri cyathis sex bibatur, idem etiam ano impositum confert. Aliud. Cochleam aphricanam accipe, atq; liquidā picem in eam inijce, & calefac, carnémq; extrahe, & in anum bis vel ter suppone. Aliud. Serpētis senectam, hoc est spolium, in æneo vase cum oleo frictam donec in carbonem vertatur, leuiga ex oleo, anúmq; digito inūge. Aliud. Herba sacra inferius foueto, aquam ne attingito. Aliud. Betam ex aceto contusam vt emplastrum ventri superponito a summo vsq; deorsum. torminosis enim bene facit. Siliquarum ossa contusa in modum emplastri apponito ventri. Ad dolores torminosorum. Malum contoneum assum cum rosaceo cerato pari portione tanquam emplasttum appositum, statim a dolore liberat.

Ad colicos hoc est laxioris intestini dolores.

Ostreorum testas vstas terito, & cochlearia duo ex aquæ calidæ cyathis tribus potui dato. Aliud. Thymum Cretense ex aqua ad tertias coquito cum melle Attico, & bidendum tribue. Aliud. Radicē sacrā tenuem tundito, & in aquam iniectam ad dimidias elixa. decoctum id per quinq; dies si bibatur, sanat: in multis probatū est. Aliud. Menta viridis cocta per tres dies exhibeatur, & nunquā dolebit. Sūmitates etiā lauri ligneæ, sed tenerę comestę per triduū liberant, Caue autem ne ollula vbi mēta fuit incocta per triduū terram attingat. Ad seprum transuersum. Fraxini ligni ramentorum cyathum vnum bibat per triduū, & sanus erit. Aliud. Ad multa vtile. Syluestrem cucurbitulam Alexandrinā perforatam & excauatā, non tamē ferro, conijce in sextariū vini coi, feruefacitóque, & vinum id, quum ad temperatum calorem redierit, potui detur, móxq; ille deābulet. nam tolletur do-

lor. Detrahit multa ** ſalē autē ore detineat ne nauſeet: ualet prętetea ad coxēdicis dolores. Medicamētū pet anum immittēdū ad coli dolores. Opium hiſpanū excipe lactuca, & facto inde peſſo immitte ſedi. Aliud. Allij nucleum ex lixiuio calefactum ſupponas in anum: detracto enim arido ſtercore ſanus euadet. Aliud. Si quis dolore colico detentus dormientem canē excitauerit, ibiq; meierit vbi dor miebat canis, dolore ſtatim leuabitur, & canis morietur. Epithema quod colicis & inflatis confert. Cerato ex oleo liguſtrino confecto laſerpitium excipe, & impone. ego vero aliquid etiam caſtorij admiſceo, & efficacius redditur. Ad tormina. Cuminū gręcū mādat & deuoret. Aliud. Cnici cōtuſi, & fœnigręci ſuccus in potu detur. Aliud. Aquę calidę immerſo pectine & abluto id potui offerto. Aliud. Corticū baccarū lauri contuſorū cochlearia nouē bibātur. Aliud. Serpilū tritū ex meraco vino bibendum detur. Ad omnes internorum viſcerum dolores. Quum alicui inteſtina dolent, ſiquis pedes lauerit, potuíque exhibeat aquam vnde lauit, is ſine dolore erit.

Ad interciſionem inteſtinorum.

Acceptam ſpinæ ægyptiæ radicem, & cum ea carnes hœdinas vna cum pilis & pelle, vel etiā caprinas terito, eáſque cum ſimilagine miſta cum cæpis vino tēperaro, atq; potui exhibeto. eādem præterea radicem potam experientia probatū eſt conferre pulmonum inflāmationibus: ea item collo appēſa à tertiana & quotidiana febre liberat, vulneribus quoque ex oleo pota medetur.

Purgatorium medicamentum ad coxendicum dolores.

Guttas quinas tithymalli in ficum inſtilla, & in cibum dato, purgat.

Epithema quod aluum ſoluit.

Granum Gnidium decorticatum cerato excipe, & ventri pueris in vmbilicum imponito. Aliud. Felle tauri vmbilicū illinito. Aliud. Talum ſuillū vſtū & tritū fac vt ex aqua bibat. Aliud. Chamæmelum herbam tritam ex oleo terito & inūgito, & ſedabitur dolor. Aliud. Si reticulū quodcunq; volueris de mulieris capite detractū, capiti laborantis impoſueris, ille liberabitur, melius facies ſi id prius calfeceris, atque ſic impoſueris. Aliud. Coriandrum vſtum in oleum demerſum in vmbilicum imponito, ac lanam ſuperponito.

Ad vrinæ difficultatem & calculos.

Scorpij vſti cōmanducētur. Quòd ſi qui ſint qui id abhorreant, adipe miſti & toſti clam nihil tale ſuſpicienti comedēdi offerantur: bene facit ſupra omnē opinionē. Calculus etiā per vrinā excretus, qui oliuæ nucleo ſimilis eſt, tritus ſi igne candēs prius fiat, deinde in potu accipiatur: lapides in veſica atterit. Iecur quoq; felis vſtū & tritū vt bibi poſſit, à calculo ſanat. Iaſpis etiā lapillus bibitus calculos in veſica infringit. Aliud. Radix vmbilici veneris elixa tritáque & pota vnciæ pondere quotidie ex diluto vino ad renum calculos optime facit. Succo vuæ acerbæ atq; corymborum hederæ rufæ tritorū ex albo vino inūge eos qui meiendi difficultate laborant. Medicamentum in forma peſſi calculoſis imponēdū. Vbi meierit, butyro remollito penē illinito, cubitúmq; eūti per triduū lana imponatur. Epithema quod lotiū cit: cōfert etiā affectu renū laborātibus. Calaminthā cū aceto & pipere cerato excipe, & in vmbilicū inde. Aliud. Sedeat in decocto ſampſuchi. Aliud. Muralē herbā ex oleo decoctā in modū emplaſtri ſuper veſicæ locū ponito, ſtatímque vrinā reddet. Ad calculoſos. Triſaginē mōtanā ex aqua mulſa bibat, hoc remediū

habuit in vſu Samius Priſcus. Aliud. Corymbi hederæ albæ ex vino bibiti lapillos atterunt. Aliud. Folia ſalicis trita, ex auſtero vino bibantur quoad ſanitas reſtituatur.

Ad conceptum.

Caricas ieiuna cũ folijs oliuæ comedat. Aliud. Pecudi ruminanti digito ex ore ſpumam detrahito, eámque ex vino bibẽdã præbeto. Aliud. Naſturtium tritum ex aceto mandurcãdum offerto per quatriduum poſt purgationem. Aliud. Stercus vulpis in peſſo imponatur, & eo loci liniantur, ac ita cum ea concũbat. Aliud. Artemiſiam tritam apponito & concipiet. Gummi mulieris pudendum inunge cũ tertius à ſuis purgationibus dies pertranſierit, & concipiet. Vt marem mulier gignat. Alba faſcia puerili pedem dextrum ligato, & ſic cum ea coeat. Vt autem fœmellã nigra faſcia pedem ſiniſtrum.

Vt noſcatur máſne an fœmina ſit in vtero.

Apium non aduertente muliere capiti impone, ac obſerua quid primum illa ſit prolatura. id enim illa pariet, quod illa nominabit, hoc fallere non poteſt. Aliud. Vrinã mulieris in vtero habẽtis accipito, & duas foueolas fodito, & in earũ alterã triticũ, in alterã vero hordeũ conijcito, & vrina vtranque conſpergito, atq; terram deſuper indito, & ſi prius quidem triticum expullulauerit, maſculum pariet, ſin hordeum fœmellam. Ad conceptum maſculorum. Anſerino adipe cum terebinthina muliebres loci illinantur per biduum, tertia vero die cum viro cuncumbat, marem concipiet. Aliud. Vt mas gignatur dextro teſte ligato coniungatur mulieri, ſiniſtro vero vt fœmina.

Vt fœtus detineatur.

Lapis aquilæ appendatur. Sed & lapis qui piraſtro innaſcitur, & ei adhæret, facit ad fœtum detinendum appenſus delarus. Radix etiam ſylueſtris maluæ quam epiboſcon vocant appendarur. Lapis quoque Sardonius fœtum ad finem vſque retinet, vẽtri autẽ appendatur. Sed & ſideritis herba eſt in his quę appẽſa fœtũ ſeruãt.

Ad accelerandum partum.

Bulbos amaros ſi tritos dederis ex paſſo bibendos ſtatim pariet. Aliud. Dictamũ ex vino aut aqua potum. Aliud. Suillum lac ex melle hauſtũ. Aliud. Chalbanum tritum & bibitum ex aqua, facit vt illico pariat. Suffitus qui ægre parientes iuuat. Aiuga ſuper carbones ponatur. Item bituminis quo vtuntur fabri duplum imponatur, efficax eſt. Aliud. Pulegij faſciculum in aquam calidam inijce, ibique mulierem deſidere fac, cui interim hæc in aurem dicito chum. cam. num. duns. Aliud. Oleum manibus ſumito, mulieris ilia confricato: hæc interim proferens. ſecundæ ſiſtite corpus, quoniam id præcipit magna dei genitrix.

Ad lac gignendum.

Raphanos cum tritico ex vino coctos cola, vinúmque id bibendum præbeto. Aliud. Decoctum furfurum cum radicibus fœniculi ex aqua bibendum dato. Aliud. Nigellæ vnciam in mulſa inſperſam bibendam offerto. Aliud. Folia hederæ in mulſam infundito, potui tribue.

Ad lac exiccandum.

Foueto aqua marina, & ea apponito quæ aſtringunt ſimul & exiccant. Aliud. Muriam calefactam ſpongijs exprimens mannam thuris inſpergito ac aligato, & chattas ſimiliter. At ſi duruerint, inflammationéque teneantur, cataplaſma appo-

nito ex lini ſemine ex aceto mulſo coctо,aut ex fœnogręco eodē modo elixo, aut ex ſeſamo elixo & trito cũ melle miſto,aut ex ficubus cataplaſma cõficito. Aliud. Cuminũ ttitum ex melle ad cerati ſpiſſitudinem coquito, ídque linteo illinito, & apponito. Potio ad fœtum mortuum eijciendum,vel eum qui non ſecundum naturam feratur. Fellis tauti quantum eſt amigdalum vino veteri diſſolutum quantũ capiunt cochlearia duo potũ ſtatim fœtũ excludit. Aliud. Crudum ouũ illine cedri lachryma,calefactúmque ſorbendum præbe ieiunæ. Aliud. Artemiſiam incoctam aquæ mulſæ bibendam offerto. Aliud. Lapis phœnicites hoc eſt puniceus appellatus illitus vim habet fœtũ eijciendi. Lapis vero à cane morſus,ſi ſuper eum pregnans trãſeat, fœtum nondũ abſolutũ extrahit, quod enim in vteto gerit cito deponit. Cognoſcitur quòd mulier factura ſit abortum, ſi mammæ gracileſcant. Cataplaſma abortũ faciens. Decoquantur viciæ cyathi duo in ollula ex aceto, vbi vero id fuerit ſemicoctum,addatur aloes vncia,& ad malagmatis formam redigatur,illinatúrq; ab vmbilico ad pectinem,& faſcia deligetur. Cataplaſma ad abortũ abſq; vlla læſione perficiendum. Folia cupteſſi aquæ incocta ſedulo terito vt in malagma tranſeant , vmbilicóq; & abdomini impoſitum faſcia deligato,& ſupinam deinde illam collocato,aut ſedere facito in ſella obſtetricia.nã dormiẽs citra laborẽ eijciet. Medicamentũ quod ſine periculo fœtũ,quãuis trimeſtris ſit aut quadrimeſtris extrahit. Collyriũ ex obolo opopanacis facito,& ſupponito,omni caret periculo,in multis expertũ. Aliud. Ex radicula melle excepta peſſus paruos facito, & ſupponito,euocat prætetea ſecũdas atq; etiã mẽſes. Aliud. Folia artemiſiæ trita ex roſaceo ad ſordiũ ſpiſſitudinẽ appone. Medicamẽtũ quod mẽſtrua proritat. Caricas duas & ſemiſſem cũ obolo nitri in peſſum redige,& impone. Aliud. Artemiſiam tritam impone. Aliud. Rutæ ſylueſtris ſemina apponito. Aliud. Lapis galatites ſuffitus mulieres quę non purgantur purgat. Si à partu mulier ſanguinem nõ exernit. Ari ſemen tritum ex albo vino bibendum dato ieiunæ. Ad palorẽ mulierum ex partu. Panacis radicem ieiunæ tritam ex vino dulci bibat. Aliud. Flores mali punicæ odoratis vnguentis incoctos bibat.

Ad ſciſſuras ventris,mammarum,femorum & coxendicum.

Marinam cochleam oblongam vrito ac tetito , deinde albumine oui adiecto, aut caprino lacte,inunge. Aliud. Lapidem qui diaphanes, hoc eſt perſpicuus appellarur contere,eóque contrito line in balneum ingreſſuram antequã inũgatur: in viginti enim diebus euaneſcent. Ad ſudores ventris,præcordiorũ,femorúmq; à partu . Cimoleæ & mannæ pares portiones oui albo excipe, & cũ cerato liguſtino illine. Ad coxendicum inflationes. Medullam panis cum melantheria ſubigito, & inponito. Ad vmbilicos prominentes. Gallas vſtas & tritas ex aqua indito. Vt vmbilicus à partu magnus & elegãs fiat. Operculũ vrcei cartaceũ accipe,& lĩteo inuolue, poſtea vero thuris mannam albo ouis exceptam illine,& in vmbilicum impone,& tenaciter alligato.

Ad vteri ſtrangulationes.

Iecur terreſtris teſtudinis tritum ſupponito,nunquam fallit,nulli communicaueris. Potio ad dolores vteri. Leporis cor aridũ factum in rãmẽta cõcidito,& bibẽdum dato. Ad vteri tormina à partu,& abortu, & ad ſtrãgulationes. Leptoſpheros id eſt,orbes tenues (oreſinema vocãt) oboli ſemiſſẽ tribus digitis accipe,& ex paſſo bibito. Ad vteti dolores. Bibat radicẽ mali punicæ dulcis. Ad vteri duritiés. Cu-

minum tritũ,foliáq; rutę pice humida & butyro excipito,facto ex lana peſſo imponito. Potio ad mulieres ex vtero laborantes. Caſtoreũ ex vino bibat. Aliud. Cuminum tritum,& nigellæ ſemiſſem ex aceto mulſo potui rribue.

Potio ad profluuium muliebre.

Paucedani radices,cupreſſíq; baccas pari põdere ex vino albo potandũ dato.Aliud.Vuæ nigræ acinos ex vino auſtero nigro bibat.Aliud.Hœdi coagulũ leuigatum ex aceto acri ieiunæ potui tribue.Aliud.Coralliũ da ex nigro vino potũ,cõfeſtim ſiſtit.Aliud.Ferulę cinerẽ,& papaueris lixiuiũ ex aqua bibat paulatim.Sed ſi copioſius fluat,ſpongiã vſtã & tritã exhibe pondere trium dragmarum.Aliud. Cornu ceruinũ potũ valet.Medicamẽta ſupponẽda.Malũ punicũ ĩ lana in modũ cataplaſmatis imponito.Aliud.Gallæ interiora thuríſq; tãtundẽ excipe ex aqua, & facto peſſo impone.Aliud.Pulegiũ tritũ,& lana mũda exceptũ imponito. Confert etiã ſpõgia aceto feruenti demerſa,& mediocriter expreſſa: femorũ pręterea coitio,extremorũ deligatio,decubitúſq; in caput.Ne in concubitu mulierũ naturalia humeſcãt.Gallæ immaturæ quatuor baccas,cinerulę,quæ in medicamentis oculorũ in vſu eſt myſtra duo,hęc ſimul trita in vas mundũ deponito,ex hoc myſtrũ vnũ accipito vino auſtero dilués, & eo primis diebus nupta naturalia illinat, tota enim vita nullã horũ locorũ humiditatẽ ſentiet. Aliud.Gallæ in aqua ꝑ dies octo m acerẽtur,deinde lana mollis ſuffita ſulfure in ea demergatur,nulláq; facta expreſſione ſiccari ſinatur,& inde facto peſſo ſupponatur:virgo enim in amplexu venereo putabiť,lana verò extracta,poſtea ſiccetur, móxq; iterũ ſi libuerit poterit in vſũ venire. Aliud.Oxilapathi.i.rumicis acuti ſemẽ tritũ ſupponẽdũ prębe,& reddetur quaſi virgo. Aliud. Cõtuſas gallas in aquã immergito, & fac vt abluat: aſtrictiores mulieres redit.Aliud.Panniculos tenues aqua vbi fuerit alumẽ diſſo- *
lutũ madefacito,poſt exiccari ſinito:mox cyperi,caſiæ,gallæ, ſingulorũ tãtundẽ ex vino vereri ad mellis ſpiſſitudinẽ terito, hoc medicamẽto pãniculos imbuito, & vt ſicceſcat ſinito,ac ita apponẽdũ præbeto.fac autẽ vt id per duas horas detineat,tẽpus ꝓ vſus ratiõe metiẽs.cũ verò venerẽ paſſura eſt,extrahat illud.Aliud. Melle & nitro vſq; ad pubẽ naturalia delinito,atq; ita concũbat.Vt nequis poſſit penẽ arrigere.Bucinã vſtã lotio bouis tomij extinguito, hoc potui vel eſui dato, quod reliquũ vaſe repoſitũ ſeruato.Aliud.Soluitur id ſi paxillũ appẽderis. Aliud. Iũcus acutus impoſitus, & in figurã cyrici redactus, ſub ſtragulis in lecto illius q̃ *
celeriter ſemẽ excernit poſitus impetũ veneris reprimit.Aliud.Coriãdrũ,aut pulegiũ quũ frequẽtius eſtur, facit vt arrigatur penis.Aliud.Fel torpedinis,ſiqs bibat,mẽbrũ virile flaccidũ reddet.Aliud.Lucernę ſpõte extinctę ſcintillã viuã adhuc in poculũ conijce,& bibẽdam præbe.ea enim nocte nunq̃ tendetur penis.

Ad eos qui præter voluntatem mingunt.

Galli guttur vſtũ cochlearij mẽſura ieiuno ex aqua bibatur.Aliud.Flores leu- *
canthemi ſeptẽ tritos ex aqua potet.Aliud.Leporis teſtẽ aridũ in minutas partes cõciſum fac vt ex vino odorato bibat.Aliud.Cimices tres tritos ex vino auſtero per dies nouẽ bibẽdos dato.Aliud.Calaminthã & myrrhã ex aqua bibat ante prãdiũ.Aliud.Linguas anſerinas elixas per tres dies,quotidie vnã comedendã apponito.Aliud.Rutę ſylueſtris ſemẽ eſui dato ꝑ triduũ.Aliud.Ipſius pudendũ cimolia ex ſucco herbæ muralis liniatur. Ad ſomnũ cõciliandũ. Lauri foliũ cui hæc ſint inſcripta,cõcophon brachereon clã capiti ſubijce. Ad veneris impotẽtes.Illine ſcammoniam ex aqua.

CLAVDIVS GALENVS PERGAM.

CLAVDIANO SOLONI ARCHIATRO S.



Via petijſti, vt de facilè acquiſibilibus tibi ſcriberẽ Solon dilectiſſime, gratum eſſe putaui, quæ mihi per experientiam cognita ſunt, ſcribere & tibi mittere, à capillis vſque ad pedes procedens, vt homo faciliter poſſit ipſa adipiſci. Incipiamus igitur primò à capillis.

De tincturis capillorum.

Vnctiones capillorum vt etiam cani fiant nigri. Scoriam ferri & plumbũ coque in aceto vſque ad tertiam partem,& illine, interim tamen ne tange capillos oleo. Aliud. Radices capparis tere, & coque in lacte aſinæ vſq; ad tertiã partem, & vtere. hoc ſerua,quia prorſus nigrificat pilos capitis. Aliud. Teſtudinis marinæ fel diſſolue cum oleo,& vnge capillos.Aliud. Racemulos in nucibus pendentes in oleo coque,bitumen liquidum adde, & vnge. Aliud. Plumbum cum oleo * repone in vaſe plumbeo,& eo vnge capillos.Aliud. Melongiam terreſtrem combure, & cum oleo leniens vnge capillos,& dimitte per totam noctem. De præſeruatione à canitie. Accipe colocynthidem,& perfora eam,& mũda ipſam bene ab ijs quæ ſunt intus: deinde imple eam oleo laurino, & adde ſemen hyoſcyami non contritum,dimitte vna die, & vnge ſemel in anno. Ad faciendum capillos albos. Stercus hirundinis terens cum felle tauri, vnge. Aliud. Verbaſci albi combure florem,& extingue aceto, & leniens vnge. Ad faciendum capillos flauos. Alumen coque in aqua,& cataplaſma capillos duobus diebus, & poſt hoc laua cum aqua in qua eſt diſſoluta fæx vini combuſta.Aliud. Cum decocto lupinorum amarorum vnge capillos, vel ipſos lupinos amaros crudos terens,& permiſcens cum aqua vnge. Aliud. Fæcem vini permiſce cum oleo balani,& fac ſicut ſpiſſitudinem ceroti,& vnge caput quando vadis dormitum. Aliud. Folia liguſtri infunde in ſucco ſtruthij,& vtere hac infuſione. Aliud. Rubiam, ſtœchadem citrinum, polytrichum, & abſinthium, lupinos, pone in aqua reponens in vaſe vitreo, & dimitte per nouem dies, mouendo bis in die. in tempore verò vſus,accipiendo de dicta aqua quod ſufficit, infunde in ea ſpongiam, & dimitte vt imbibat aquam : & quando fuerint deſiccati capilli, laua cum aqua calida & ſapone.

De caſu capillorum.

Ad caſum capillorum vlmi radicem & foliorum m. i. macera in iiij. cyathis aquæ, & vnge, & poſt hoc vnge cum oleo. Aliud. Sambucum comburens,miſce cum ceroto,& vnge. Aliud. Aloen permiſce cum vino nigro auſtero, & vnge. * Aliud. Myrrham & ladanum vnge cum vino aut oleo myrtino. Aliud. Accipe apes multas, & combure, & miſce cum oleo, & vnge cauendo ne vngas id quod eſt circa. Aliud. Nigellam accipiens cõbure,& leniens cum aqua vnge: maximè autem hoc confert ſupercilijs. De capillis qui cadunt ijs qui reſumuntur ex ægritudine. Ladanum cum vino & oleo roſaceo coque, & fac ſpiſſitudinem ceroti, & vnge. Aliud. Radicem mori excortica & combure, & coque vt dictum eſt. Aliud. Polygonij ſemen terens pone in lixiuio,& laua caput: deinde coque lentiſcum,& collue caput. Vt in loco combuſto ab igne oriantur capilli. Folia ficus terantur,& leniantur,& apponantur in loco.Pſylottum.Cerebrum veſpet=

tilionis lenias cum lacte mulieris,& vnge. Aliud. Fel thynni misce cum gummi hederæ,& vnge. Aliud. Accipe sanguinẽ recẽtem leporis marini,& vnge. Aliud. Sanguinẽ cerui permisce cũ aceto,& vnge. Aliud. Fructũ vrticę syluestris accipe, dissolue cum oleo,& frica cum ipso oleum. Aliud. Vespertiliones plures viuos pone in birumine,& dimitte vt putrefiant,& vnge quencunque vis locum.

De alopecia.

Murem combure, & tere, & puluerem permisce cum adipe vrsino, & vnge perfricans locum cum cæpe albo. Aliud. Cantharidas combure, & tere, & puluerem permisce cum melle, & vnge. Aliud. Cum folijs ficus frica diligenter, deinde vnge cum adipe vrsino. Aliud. Spumam maris combure,& terens permisce cum oleo,& vnge. Aliud. Ranam habentem longa crura combure,& terẽs assume cum pice liquida,& vnge locum præfricãdo ipsum. Aliud. Equi fluuialis pellem combure, & vnge locum. Aliud. Sanguine testudinis marinæ vnge locum. Aliud. Accipe stercus muris,& thus, & permisce cum aceto, & fac mellis consistentiam, & vnge præfricãdo locum. Aliud. Asphodelum tere, & permisce cum aceto vel vino, & præradens locum frica cum folijs ficus,vel cum panno aspero, & vnge. Aliud. Radicem cannæ combure, & permisce cum adipe vrsi, & vnge. Aliud. Tithymallum tere,& vnge locum.

De furfuribus.

Cimoliam infunde aqua,& misce succum betæ, & vnge: deinde laua,& accipe thus masculum, & tere, & permisce cum vino & oleo, & vnge. Sequenti verò die herbam pedicularem cum oleo vnge. Aliud. Accipe nitri,fæcis vini,mirabolanorum, singulorum libram vnam, herbæ pedicularis libram vnam & semis, permisce cum oleo antiquo,& vnge. Humidos autem furfures laua cum aqua salsa,vel cum decocto lupinorum:est enim expertum. Aliud. Laua caput cum succo portulacæ. Aliud. Vnge caput cum succo betæ cocto vel crudo permisto cum melle. Aliud. Cimoliam permisce cum decoctione fœnugræci, & vnge. Aliud. Radicem cucumeris syluestris coque,& cum decoctione eius laua. Aliud. Scillam in fornace obrue,quando fuerit mollis, exprime eam, & eius succo permisce parum olei,& vnge.

De psydracijs & efflorationibus.

Psydracia sunt paruæ efflorationes factæ in capite, similes vesicis eminentibus in superficie. Efflorationes verò sunt vlcerationes factæ in superficie subrubicundæ & asperæ. Curantur autem sic. Recipe farinam fabarum, & infunde in vino,& appone sicut cerotum. Aliud. Fac cerotum ex ligustro & cerusa, & vnge. Aliud. Recipe, amyli, cerusæ, aluminis, foliorum viridium rutæ, singulorum drachmas quatuor, permisce cum aceto & oleo myrtino, & vnge. Aliud. Recipe lithargyrij,cerusæ,singulorum drach.xij.sulfuris viui drachmas octo,assume cum oleo myrtino,& vnge.

De achoribus & fauis.

Achor est passio veniens in capite,perforans cutem capitis subtilibus foraminibus,per quæ exit humor parũper viscosus. Fauus autem facit foramina maiora continentia humiditatẽ melli similẽ. Curãtur autẽ sic,abrasum caput fomẽta bis aut ter,aut multoties cũ aqua calida decoctionis myrti,aut rubi,aut lẽtis,aut lupinorũ amarorũ,aut radicis asparagi:quando autẽ effluẽt multi humores,cataplas-

mes caput cū folijs ſalicis aut lente coctis in aqua. Cōfert etiam inungere caput cum ſulfure & parietaria & ſapone antè. Aliud. Recipe lithargyri drach. xvj. foliorum rutæ drach. viij. herbę pedicularis drach. quatuor, chalcanti, drach. duas, aſſume cum aceto & oleo myrtino.

De tremore capitis.

Stœchadem da bibendam cum aqua. Aliud. Artemiſiæ ſuccum parua habentis folia permiſce cum oleo roſato, & vnge neruorum deriuationes. Aliud. Spinę albæ ſemen bibendū exhibe. Aliud. Caſtoreum diſſolue in aqua, & bibendū prębe.

De dolore capitis.

Cornu cerui combure, & tere, & permiſce cum oleo roſato, & vnge frontem & tempora. Aliud. Cerebrum vulturis léniens vnge caput & tempora. Aliud. Pſyllium ſuffundēs permiſce cum oleo roſato, & vtere: hoc autem confert & ad hemicraniam. Aliud. Styracē liquidā permiſce cū oleo, & vnge. Aliud. Oniſcos, id eſt, aſellos ſub hydrijs degentes coque in oleo, & vnge caput. Aliud. Flores mali punici vel ipſa balauſtia, coque in vino aut aqua marina vſq; ad cōſumptionem tertiæ partis, & tere, & cū ceroto permiſcens vnge. Aliud. Pulegio & fœniculi radice cum farina hordei vnge tempora. Aliud. Mētam aut ſinapim cū aceto permiſce, & vnge tempora bis in die. Ad dolorem capitis & temporum. Accipe opij quantitatem fabæ, & pulegij partes ſex, & lentiſci, & aſſume cū aceto & oleo roſato, & vnge. Aliud. Lapathium acutum & gallam tere, & vnge tempora & frontem. Aliud. Caſtoreum diſſolue cum oleo roſato & aceto, vnge frontē & tempora. Aliud. Iridem ſiccā & cardamomū minus in aceto reſolue, & vnge capillos ſicut faciunt mulieres quando vngunt eos. Aliud. Succum peucedani cum oleo irino leniens vnge. Aliud. Hirundinum ſtercus prius quàm terram attigerit ſimul cum luto nidi, in vaſculo ligneo, aceto madefac, & illine frontem. Aliud. Gummi hederæ cum aceto & oleo roſato leniens vnge tempora.

Ad aures ſanie manantes & doloroſas.

Medullam vitulli liquefaciens inſtilla. Aliud. Scoriam ferri leniens in aceto acerrimo inſtilla. Ad ſcrophulas & parotidas, quæ ſunt apoſtemata ſecus aures. Scrophulas communi quidem curatione diſcutiunt ea quæ ſcirrhos: propria verò ila, farinam lupinorum amarorum coque in oxymelite, & vnge. Aliud. Stercus bouis aut capræ coque in aceto, & appone. Aliud. Calcem melli aut oleo aut adipi porci permiſce, & appone. Aliud. Farinam iridis & ſtercus columbi coque in vino, & appone. Aliud. Recipe axungiæ veteris, ſeminis hyoſcyami, picis, olei antiqui, ſtercoris citrini gallinæ, ſingulorum, partes æquales cōmiſce, & appone.

De morbis oculorum & primo de ophthalmijs incipientibus.

Succum mentæ infunde: reſoluit enim, ſed melior eſt ſanguis columbi. Aliud. Fœniculi ſuccū exprime & vtere: antiquus autem eſt melior, permiſce autē eum aquę, & vtere. Aliud. Rutā recētē exprime, & pone ſuccū eius in pixide æris rubei, & vtere. Aliud. Cū coctanis coctis, & farina hordei, & vino albo fac cataplaſma. Aliud. Folia papaueris & cortices granatorum cū polline hordei cataplaſmes. Aliud. Roſas coctas & lenitas cataplaſmes. Aliud. Decoctionē melliloti cataplaſmes. Aliud. Folijs coctani tritis cataplaſmes cum vino & alphitis. Ad vngulam. Dicitur vngula morbus oculi quando cornea aliquādo quidem ſuperficie tenus, aliquando verò in profundo pus cōtinet, & aſſimilatur paruę vngulæ ſecundum

figuram, quare morbus ille vocatur vngula. Ad moderatas ergo vngulas confert melicratum, & ſuccus fœnugræci, & collyrium quod quidem fit ex thure. Ad fortiores autē recipe aloes, myrrhæ, croci, ſingulorū, part.i. vini part.iii. mellis part.vi. diſſoluas crocum cū modico vino: deinde aloē & myrrham: deinde infūde mel, & vniens repone in vaſe vitreo, & vtere bis in die: expurgat enim, incarnat, & cōſolidat. Ad hypopia, id eſt liuorē qui fit ſub oculo. Synapin tere, & appone cū ceroto. Aliud. Oſſa ſepiæ tere ſubtiliſſime, & permiſcēs cū aceto vnge in nocte: tollit enim ea. Aliud. Radicem cucumeris ſylueſtris melli commiſce, & impone. De liuoribus oculorū. Hyſſopū tritā liga in panno, & infunde in aqua calida, & tāge liuores, fomentans. Aliud. Farinam iridis cum melle admiſce, & appone. Aliud. Cyminum tritum permiſce cum lacte mulieris, & appone: vel origanum appone ſimiliter. Aliud. Erucæ ſemen terens cum felle bouino cataplaſma. De pterygijs. Pterygium dicitur neruoſa ſuperinnatæ oculi membranæ eminentia incipiēs ab angulis & procedens vſq; ad corneam: quando vero inſuper augetur, cooperit & pupillam. Magna igitur & diuturna pterygia per chirurgiam inciduntur: recētia vero & moderata in magnitudine iuuant æs combuſtum, vel chalcanthum cū adipe porci. Aliud bonum. Chalcanthi, part.i. gummi arabici, partem.i.& mediā, diſſolue in vino, & vnge. Quidam autem hepar capræ melli miſcentes vngunt. Aliud. Recipe litium & liguſtrum, & cum aqua fac collyrium, & vnge. De vlceribus & albuginibus. Vlcera quæ fiunt in oculis quæ quidem ſunt ſuperficietenus, nephelia nominant. Quæ vero profundum petunt, albugines. Nephelia ergo ſuccus anagallidis expurgat, & ſuccus centaureæ minoris cum melle. Diuturna vero ſubtiliat cedria & æs ſolum diſſolutum in aqua in modum collyrij. Albugines autem iuuat nitrum diſſolutum diligenter cum oleo, & vnctum. Aliud. Recipe ſuccum dracōteæ, & miſce cum melle crudo, & vnge. Aliud. Fel hirci confrica in * oculo. Aliud. Os ſæpiæ cōbure, & diſſolue cum melle, & vnge. Aliud. Ex ſtercore lacertæ faciens collyrium cum aqua vnge. Aliud. Felle canis marini vnge, vel raphani ſucco, vel felle galli. Aliud. Recipe ſuccum malorum granatorum, & pone in vaſe terreo, & cooperi cum panno, & pone in ſole quouſq; habeat mellis conſiſtentiam: & ei miſce mel æquale, & cuſtodi quia inueteratum valet magis, & quando vadit dormitum patiens, vnge oculos. Aliud. Fel leonis cū melle vnge. Si vero puer paruus habet albuginem, mater infantis mandat ammoniacum, & inſufflet in oculum: ſimiliter vngat oculum menſtruo alicuius de cognatione ſua: & ſimiliter mater eius incidat paruū digitū ſuum, & cū ſanguine qui fluxerit, vngat oculū. Ad caliginē & nebulas oculorum. Vnge oculos cum ſucco foliorū draconteæ. Aliud. Succum betonicæ cum vino permiſto calido inſtilla. De hordeolo. Ex aqua decoctionis hordei fomēta oculos, vel ex cera alba: vel accipe muſcas & abſcinde capita earum, poſtea reliquo corpore frica oculum. De madaroſi. Madaroſis, id eſt glabrities & prolofis, eſt caſus pilorum palpebrę: curantur autem his. Recipe nucleorum palmularum combuſtorū drachmas tres, ſpicæ drachmas duas, tere & vtere. Aliud. Stibij aſſi, piperis, ana drachmā vnam, ſpicæ drachmas tres. Aliud faciēs ad caſum pilorū ſuperciliorū. Auellanas cōbure, & permiſce cū adipe vrſi aut capræ, & vnge. Aliud, quod etiam confert ad alopeciā barbæ, alterci drachmas duas, ſtercotis muris drachmā vnā, polytrichi drachmas duas, olei irini cyathos quatuor: tere & permiſce cum oleo, & pręfomentans vnge. Aliud. Se-

nectam ſerpentis combure, & vnge:facit enim naſci pilos: vel nigellam tere & ſimiliter. Ad ſupercilia piloſa. Origanum combure, tere,& applica,prius tamen euelle pilos. Aliud. Lacertam viridẽ coque in oleo,& poſtquã euulſeris pilos,vnge locũ. Aliud. Chamæleontis ſeu laureolæ radicẽ permiſce cũ ſanguine ranæ, & vnge locũ. Vnctio habentium oculos glaucos. Glaucos mulierum oculos nigros reddit hyoſcyami flos cyaneus repoſitus in vmbra, & tempore vſus permiſtus cũ vino auſtero & inunctus. Ad ſuffuſiones. Theriacam quæ fit ex viperis, permiſce cum melle ſine fumo,& vnge : conferunr etiam caputpurgia,& purgatio cum hiera,& fomentatio cum decocto fœniculi,& ſagapenum & elleborus albus cum melle appoſitus,vel mel cum ſucco fœniculi. Ad ægilopas. AEgilops eſt abſceſſus paruus iuxta magnum oculi angulum , qui ſi negligatur , ſcinditur vſqúe ad os:& dicitur ægilops antequam ſcindatur. huic confert glaucium & crocus ſimul cum ſucco perdicij appoſitum: oportet autem frequenter ea permutare. Aliud. Conculas cum teſtis ſuis tere , & appone. Aliqui vero miſcent & aloem vel myrrham. Aliud. Fel porcinum ſicca , & appone. Aliud. Perdicium cataplaſmes. Aliud. AEgilopem herbam inter frumenta naſcentem cataplaſmes. Aliud. Portulacam & thus maſculũ appone,prius tamen ea maſticabis ieiunus. Aliud. Cra= neum hominis tere, & appone. Ad nyctilopas. Hepar hirci aſſa , & vnge cum liquore qui defluit,oculum : iuuat enim duodecies inunctus. Ad pediculos oculorum.Aqua marina tepida & palpebras fomenta.

De paſſionibus narium & primo de polypo & ozæna.

Vitriolum leniẽs cum aceto vnge. Aliud. Corticum granatorum drach. xvi. fellis rauri,amomi, myrrhæ, calamenthi,praſſij, ana drach.viij. croci,drach. ij.ellebori albi , drach.ii. vtere ſicco. Ad fœtorem narium. Recipe amomi, myrrhæ, roſarum ſiccarum: æqualiter aſſume cum oleo nardino,& vnge:confert autem & vnctio cum hœdicroo magmate. Ad vlcera narium . Recipe lythargiri drach. iiii. rutæ recentis,aluminis ſciſſi.ana, drach.ii.aſſume cum oleo myrtino & aceto. Aliud. Recipe ceruſæ, drach.i. lythargiri , drach. iii. ſcoriæ plumbi , vel plumbi combuſti drach.iii. omnia lauentur & aſſumantur cum oleo myrtino . Ad extrahendum ſanguinem de naribus. Florem graminis appone. Aliud.Rubiam cum oleo accipe , & vnge nares. Ad fluxum ſanguinis narium.Corticem oui combure, & accipe de eo partem vnam, & de galla partẽ mediam, & inſuffla. Aliud. Licium appone. Aliud . Aſini ſtercus comburens inſuffla cinere eius , aut exprimens inſtilla ſuccũ. Aliud.Lapidẽ molarẽ igniens extingue in aceto,& da recipere odorẽ. Aliud. Thus maſculum & aloem aſſume cum albo oui & fac licinium,& appone, & ſuperpone pilos leporis. Aliud. Ventoſam magnam pone in hypochondrio ſecundum rectitudinem natis patientis: oportet autem & ijs quæ ſtypticant & prohibere poſſunt impetũ ſanguinis,vti.

De panno & lentiginibus.

Draconteæ radicem cum melle cataplaſmes, vel nigellam cum aceto : vel pentadactyli fructum. Ad faciendam faciem rubicundam . Rubiam tere & permiſce cum oleo , & vnge. Aliud . Bulbum amarum terens permiſce cum melle , & vnge . Aliud. Recipe ciceris, rubiæ , thuris, myrrhæ , ana drach. ii . aſſume cum adipe vituli , & oleo maſticihno, & vnge; & poſt ſpatium abſterge cum ſpongia calida.

Ad fluxum ſanguinis ab ore.

Colluatur os ex decoctione roſarum in oxycrato poſtquam erit frigida, & trãſglutiatur. Aliud. Gargarizet patiens & colluat os decoctione roſarũ frigida, aut extremitatum vitis, aut foliorum lentiſci, aut rubi, aut citoniorum, aut acinorum vuæ, aut rhu. Aliud. Semen roſæ cum maſtice da ex vno ſtyptico bibendum, vel ex vino decoctionis rubi aut roſarum. Ad oris vlcera. Gallam in vino coquẽs collue os, deinde appone gallam tritam permiſtam cum melle aut florem roſarum: collue etiam os cum decoctione foliorum oliuæ.

De albificatione dentium.

Nitrum, os ſepiæ & os dactylorum terens vtere. Aliud bonum. Corallum rubeum, pumicem, oſſa dactylorum, oſſa ſepiæ, & ſal aſſum terẽs vtere. Ad dolorem dentium. Oleo lentiſci non antiquo colluantur dentes. Aliud. Colluatur os cum folijs rutæ coctis cum oxymelite, vel colluatur cũ aceto ſcillitico, vel coquatur in aceto pyrethrũ & hyſſopus: oportet autẽ humiditatẽ & humorem euacuare.

De morbis gingiuarum.

Ad gingiuas corroſas recipe florum roſarum drach. viii. gallarum, drach. iiii. myrrhæ drach. ii. cõmiſce, & appone. Aliud. Lacte aſinæ gingiuas collue. Aliud. Foliorum oliuæ decocto os collue. Aliud. Aceto ſcillitico gingiuas collue. Aliud. Rubiginem ferri & balauſtia ſicca appone. Ad gingiuas tumidas & carnis excreſcẽtiam. Succum portulacæ ore detine, vel aquam ſalitam oliuarum colymbadũ, vel oleum ex immaturis oliuis expreſſum calidum, vel lentiſcinum, vel melinum. Sicca vero quæ proſunt, ſunt rubigo ferri aut æris: radix ariſtolochiæ, ſemen plantaginis, chalcãthum aſſatum, & balauſtia. Ad inflammationem gingiuarum. Collue cum decocto foliorum oliuæ & appone gallam. Aliud. Coque in vino cocto folia oliuæ & gallam. Ad gingiuas denigratas & putridas. Confert fricatio cũ fæce vini vſta: abſtergit, enim mundificat, & albificat. Ad gingiuas ſanguinolentas. Confert miſſio ſanguinis à cephalica, & ſcalpellatio gingiuarum. confert etiam ſuccus hyoſcyami vel eius decoctum cum ſapa, ſi retineatur in ore. Aliud. Extremitates lẽtiſci & balauſtia coque in poſca, & collue. Aliud. Radicẽ rubi coque in vino & os collue. vel rhun & gallam coque in vino: & vtere ſimiliter. Ad vuulã phlegmonem patientem. Confert glycirrhizę ſuccus cũ melle appoſitus, & terra ſigillata, & fructus ſpinæ AEgyptiacæ. Mitiora autẽ ſunt hæc gummi arabicum, tragaganthum, ſarcocolla appoſita.

Ad ſputum ſanguinis.

Iuuat etiam terra ſigillata, & trociſci de carabe, & trociſci de corallo, & theriaca data in lecto. *

Ad pleuritidem.

Siquidem vſque ad clauiculam peruenerit dolor, mittẽdus ſanguis eſt. Si vero ad præcordia deſcendat, corpus eſt purgandum, & vtendum clyſteribus fortibus: ſi dolor fuerit moderatus, danda eſt aqua mulſa & ptiſanæ cremor aut chondri. In proceſſu vero morbi permiſcẽdũ ſorbitioni calamentum vel marrubium: confert etiam ſemen vrticæ cum melle. Ad fortiores autem dolores vtẽdum eſt ſacculis è milio & furfure: vel fomẽtis ex aqua calida aut oleo in aliqua veſica poſito, vel lana ſuccida infuſa oleo & vino habẽte ſal. Poſt ſeptimũ vero diẽ & emplaſtro dicto rutaceo vtemur. Multoties autẽ bulbi cũ axũgia ſuffecerũt. Dandũ eſt & electua-

rium quod fit ex pineis & amygdalis amaris & ſemine lini & amylo. Vnguentum bonum. Recipe bdellium, coſtum, cauliculos caulium combuſtos & redactos in cinerem, permiſce cum adipe: hoc enim medicamentum præclate diſcutit.

De mamillis & primo de apoſtaſi mamillarum.

Cimoliam, libanotidem, & oleum roſatum permiſce, & appone. Aliud. In principio infunde ſpongiam in poſca tepida & exprime, appone, & ſuperliga. Aliud. Palmulas & micam panis tere, permiſce cum poſca, & appone tepidum. Aliud. Coriandrum & pſylium cum ceroto appone. Aliud. Panem & herbam muralem viridem cum ceroto cataplaſmabis per diem. Aliud. Panem cum aqua mulſa vel melle & vino cataplaſmes: ſi vero non tolerant grauedinem mammillæ, perfunde cum oleo calido & lana ſuccida molli, vel cum decoctione fœnigræci vel alrheæ vel ſeminis lini. Ad attrahendum lac. Siſamum cum vino dulci da bibete. Aliud. Anethum vel ſemen eius coque cum catnibus vel cum facientibus lac abundare. Aliud. Porrum coque in aqua, & da bibere eius decoctionem: vel porrum tere, & cola, & da aquam bibere. Aliud. Succum fœniculi da bibere. Aliud. Radicem fœniculi & hordeum aſſum coque in aqua, & petmiſce butyrum, & da bibere. Aliud. Decoctionem hippomarathri da bibere, da etiam comedere ipſum fœniculum. Aliud. Cardamomum cum vino da bibere. Aliud. Semen agni caſti da cum vino bibere. Aliud. Succum bletæ da bibere. Oportet autē abſtinere ab acutis & ſalſis & acidis & oleribus crudis. Vt mamillæ remaneant tenſæ diu. Cyminum terens cataplaſma cum aqua, deinde ſpongiā infuſam in oxycrato ſuperappone & liga: poſt ttes autē dies aufer cyminum, & cataplaſma mamillas cum radice lilij & melle, & dimitte tribus diebus: & hoc fac ter in menſe.

Ad dolorem ſtomachi.

Caſtoreum da bibere cum oxycrato, & ſi eſt ventoſitas cauſa, coque in oleo cyminum & ſemen dauci & petroſelinum, & vnge: & ſi eſt frigiditas, coque in oleo baccas lauri, & rutam, & nigellam, & ſemen fœniculi. In immoderatis autem doloribus fac fomentationem cum milio. Confert etiam ventoſa magna in vmbilico poſita. Ad debilitatem ſtomachi. Confert oleum de ſucco citoniorum. Aliud. Maſtychis, ſtyracis, ana partes duas: Abſinthij partes tres: Olei malini partes quatuor. Vini quod ſufficit: Roſarum partes duas: hæc linita aſſume expurpura, aut lana & appone ſtomacho.

Ad vmbilicos procidentes.

Gallas cōbure vel tere, & permiſce cū cortice thuris & albumine oui, & appone.

Ad tortiones & dolores ventris.

Da cyminum maſticare & tranſglutire. Aliud. Carthamum & fœnugræcum tere, & coque, & da decoctionem bibendam. Aliud. Baccas lauri ſiccas & excorticatas tere, & da bibere cochlearia nouem. Aliud. Serpyllum terens da cum vino bibere. Aliud. Decoctionem ſampſuci da cum vino bibere. Aliud. Eryngij radicem da cum vino bibere, vel decoctionem ſpicæ vel caſtoreum. Ad colicam. Spolium ſerpentis in vaſe æneo frigens cum oleo quouſq; cōburatur, diſſolue ipſum in illo oleo, & vnge ex eo cum tuo digito.

Ad difficultatem mingendi.

Rhun & corymbos hederæ rubeæ tere cū vino albo, & vnge partes quæ ſunt ſub vmbilico patientium dyſſuriam. Ad ſiſtendum exuberantiam vrinationis. Accipe

pelliculas quæ ſunt in ventre gallinarum,& ſicca in ſole:& recipe ex eis drachmã vnam,è thure maſculo & glande ſicca & balauſtijs & galla,ana,drachmas tres,tere & da ex eis ieiuno cum melle roſato & aqua frigida. Ad renum & coxendicum dolores. Recipe farinam iridis & acetum potens,& permiſce eis reſinam pini & lupinos,& pyrethrum & terebinthinã & ſulphur & nitrũ & baccas lauri, & miſcens omnia cum melle appone.

Ad conceptionem.

Matricem leporis ſicca & tere, & da bibere quando fuerit à menſtruis purgata. Ad difficultatem partus. Chamæpyteos & aſphaltum pone ſuper carbones,& ſuffumiga vel appone. Ad extrahendũ fœtum mortuum. Fellis tauri quantitatem amygdalæ diſſoluens in vino lymphato da cochlearia ij. bibere,& emittet confeſtim. Aliud. Lycium crudum trito caule inunge cum cædria,& calefacias,& da bibere ieiuno. Aliud. Artemiſiam coque in melicrato & da bibere. Aliud. Super lapidem quem mordet canis quando proijcitur in eum, poſitum in ſolo tranſeat mulier quæ patitur difficultatem partus. Ad eas quæ poſt partum remanent diſcoloratæ. Pumicem terens in vino dulci da ieiunæ bibere. Aliud. Accipe fæcem vini antiqui & radicem lilij & allia,& lenias,& vnge faciem veſpere, & mane laua, & hoc fac quouſque facies rubefiat. Ad educendum menſtrua. Praſſium,nepitã, rutam,corticem celſi,ana drach.iij. coque in vino aut aqua,& da bibere. Aliud. De aqua qua diſſoluitur fermentum vetus quando fit panis,da bibere. Ad dolores matricis.Pæoniæ radicem da bibere,vel radicem iridis vel ſeminis pæoniæ granula xv.vel polycariæ,aut vrticæ ſuccum appone, vel folia meliſſæ cocta in vino. Aliud. Recipe rutam viridem, & tere, & cum butyro & adipe porci fac vnguentum. Vt mulier corrupta appareat virgo. Recipe gallarum immaturarum, liguſtri,xylocaſiæ,roſarum ſiccarum, piperis albi, grani gnidij, ana hexagium vnum, tere,& prælauata matrice apponat iſta : confert autem & ſemen lapathij acuti tritum & appoſitum.

Ad erectionem pudendi.

Pudendum intendunt & mouent ad coitum iſta:nucum pinearum,piperis, petroſelini,ſcobis pudẽdi ceruini aridi,terebinthinæ,ſingulorum partes æquales, excipe melle,& ex vino bibenda præbe. Aliud. Cicerum crudorum,nucum pinearum ſingulorum partes duas,ſeminum erucæ,piperis albi,ſingulorum partem vnam,mellis quod ſufficit:da cum vino.Aliud. Vnge pudendum cum melle antequam coeas. Aliud. Semen erucæ bibendũ exhibe cum melle. Aliud. Succi erucæ cyathos ij.cum pipere albo quod ſufficit,da tribus diebus de tertio in tertium: vel ſucci erucæ & piperis albi da cochlear vnum ieiuno. Confert etiam teſta marini erinacei bibita, & lac bouinum bibitum. Aliud. Polygoni ſemen & carnem piſcium fluuialium ſiccam terens bibendam præbe,tẽſionem enim facit: ſimiliter ſemen portulacæ coctum cum lacte bouino mire prodeſt:item oua perdicis ſi comedantur. Aliud.Semen porri cum vino nõ limphato bibendum exhibe. Aliud. Succus polygoni bibitus facit promptiores ad coitum. Aliud. Aquam in qua extinguitur ferrum bibe cum vino. Aliud. Teſticuli vulpis ſicci bibe cochlear vnum. Aliud. Expreſſionem radicis aſphodeli da bibendam. Aliud. Quando taurus poſtquam coiuerit minxerit,terram commiſce,& luto quod fit ex vrina,vnge pudendum. Aliud. Stercore bouis recẽti vnge pudẽdum.Aliud.Cocon gnidium,

hoc est oleastellum tere,& permisce cum oleo rosato, & vnge. Aliud. Succo verbenacæ vnge pudendum.

Ad morsum venenosorum animalium.

Ad morsum venenosorum animalium fraxini folia tere,& ex succo da cochlearia tria,non febricitantibus cum tribus cyathis vini. Aliud. Corticē arboris glandis,vel erucam quæ in oleribus nascitur,vel chamæpythin,vel polycariam,vel alium . vnum ex his terens da cum vino non lymphato ieiuno bibendum. Aliud. Sanguis anatum aduersatur omnibus venenosis & mortiferis : hoc idem etiam faciunt carnes gallinæ nouiter occisæ si morsibus imponantur:obsistūt enim omnibus venenosis,& curant.præter aspidis morsum. Aliud.Rutā da cum vino bibere. Aliud. Cerebrum gallinæ bibitum iuuat.Inunctio ad morsus viperæ. Galbanum cum cyprino vnge. Aliud.Serpyllum cum aceto similiter inunge. Suffumigia fugantia venenosa animalia.Pyrethrum & sulphur incende,& fugient. Aliud.Cornu cerui & eius pinguedo idem facit:pellis etiam & pedes dextri si infigantur portæ,prohibent ingressum cuiuslibet venenosi. Aliud.Pulmo asini si fumigetur, omne venenosum fugat. Vt vipera non mordeat. Draconteam tere, & vnge manum,& non mordeberis. Fructus vero ipsius herbæ tritus cum aqua & positus in equis peregrinantium fugat eas. Aliud. Ex succo solatri vnge manus. Epithema in morsis à vipera.Viperæ caput abscindens applica partem sanguinolentam loco demorso,liga, & dimitte sic. Fomentum ad morsum viperæ & muris aranei. Trifolium bituminosum coque,& decocto calido locum demorsum foue.Nullus autem fomento illo vtatur qui non patitur: transit enim affectus in eum vt putet se à vipera vel araneo mure commorsum.

CLAVD. GAL. PERGAM. DE FACILE PARABILIBVS TERTIVS LIBER

à viro docto latinus factus.

De vuæ affectibus.

Ic vuam laborantem curaueris, inter inflammationis initia victus tenuis,& boni succi instituatur.Sorbitiones vero & gargarismata fiant ex mulso, vel ex mulsa, vel sapa tepida, vel aceto mulso quod gargarizetur quidē, sed effundatur,nec sorbeatur:manducetur autem pyrethrum, vel piper, vel vua taminia staphisagria vocata. hæc cum sale & nitro trita,palato gurgulionique affricta, phlegmonem discutit, ea itidem exterius apposita, & id genus alia calefaciētia, & phlegmonem mitigantia,doloremq; sedantia epithemata sunt, & cataplasmata idonea.

Ad pendentem vuulam.

Hyssopi radicem & caricarum succū simul mista gargarizato:ita etiam ad tonsillas,columellam,palmulas & lentem simul feruefactas gargarizato.

Vt diu sine siti quis seruetur.

Radicis dulcis succum bibat,aut portulacæ cochlearium deuoret. Aliud. Anisi pondo vncia, succi radicis dulcis pondo vnciæ duæ; tragacanthæ madefactæ tantundem:ex his pastillos confice,eosq; in vmbra exicca,& eorum vnum sub lingua contineat succumque eius deuoret,nec sitiet.

Ad grauem auditum & surditatem.

Fel caprinum recens cum pari portione mellis sine fumo cocti mistum in aures tepidum instillato. Aliud. Leporis fel recens cum mellis portione pari in cortice cæpæ tepefactum in aures instillato,hoc eis etiam qui nihil prorsus audiunt,auditum restituit. Aliud. Domestici suis fel cum melle ad pares portiones mistum tepidum in aures instillato,aut scillæ succum cum rosaceo mistum in vsu sit. Aliud. Erui succum instilla & stuppam rosaceo imbutam desuper appone.

Ad cœliacos.

Myrteas baccas virides, rosas aridas,malicoriū,balaustia, gallas mulso subactas in ventriculum demitte. Vel fabæ cortices in vino feruefactas clysteri supponito, vel lentis inferuefactæ succum tepidum per clysterem imponito, simili modo, & orizæ non purgatæ,vel sideritis herbæ succum,vel acaciæ pariter succum,vel cerusam & argenti spumam tritam ex melle & vino per clysteres impone.

Ad ventris tormina.

Cuminum ex melle esui dato & miraberis,vel arundinis radicem vstam potui dato ex vino calicis vnius mensura.

Ad sistendum alui profluuium.

Aquam in qua fuerit incoctum origanum bibendam dato. Aliud. Sepiæ testam & capillamentum vsta & trita ex veteri vino da potui,vel fructus rubi cum folijs ad tertias decoctos potui dato. Aliud.Cuminū græcum,& gallam non tritā vrito, & ex veteri vino bibendum dato per triduum:prius tamen ad tertias redigito.

Ad eminentias, fissuras, ficósque in sede.

Auripigmenti fissi pondo vncias tres: cariei quercus pondo vncias quatuor, ex his simul tritis aridum medicamentum confice, cum vero vsus occasio ingruerit vrina pueri nondũ venerem experti locũ detergito, ac medicamẽtum inspergito.

Ad eminentias, tam internas, quàm externas.

Lasetpitij radicem tusam & tritam in modum cataplasmatis apponito.

Aridum medicamentum ad gingiuas corrosas, & labantes dentes.

Masticheს pondo vnciam, thuris pondo vncias duas, myrrhæ, rosarũ aridarum vtriusque pondo vncias tres, sarcocollæ, gallarum vtriusque pondo vncias quatuor, omnia simul terito, & gingiuas conspergito: eas tamen prius decocto sedi, aut myrti, aut lentisci, aut viticis, aut foliorum oleæ tepido colluito.

Ad dentium dolores.

Aceto cui incoctum fuerit hyssopum, aut origanum colluat, aut pyrethrum, piper, & zemma & mastichem, pari omnium pondere commanducet. Aliud. Vuæ taminiæ grana quatuor, mastiches grana octo offer manducanda.

Ad dentes ex plaga decidentes.

Passulis oleo incoctis locũ foueto, ac deinde aceto si dolor nimitum increscat, post triduum idipsum facito, & iterum renascentur dentes.

Ad corrosas gingiuas.

Aristolochia cum melle trita gingiuas inspergito: aut cornu ceruinum vstum quoad album reddatur, & cerusam, & argenti spumam, & nardum, & pumicem cerato excipe & illine: aut testam exustam testudinis & tritam, & oleo mistã in gingiuam instillato. Aliud. Erucæ semen cum succo, & fel capræ: aut nigellam eodẽ modo cum melle illinito.

Ad dolores oculorum.

Medulla caprina illinito & curabis: aut caprinam ouillámve adipem aqua calida demersam impone, aut succum seminis lini, aut lac muliebre illine. Ad oculorum albuginẽ, veteres cicatrices curandas: idem etiã visum mirifice acuit. AEtu-

* ginis tasæ pondo vncias quatuor, guttæ ammoniaci tantundem, cerusæ pondo vncias duas, gummi pondo vnciam. Sit autem liquidum medicamen, succus radicis cucumeris syluestris. Aliud. Baccarum lauri mundatarum, leuigatarúmque, gummi quod satis sit, accipe, ex eis permistis confice collyria, at vbi eis vti volueris terito, & ex lotio pueri nondum venere polluti illinito, medicamẽtum probatum est. Ad ægilopas, id est oculorũ fistulas. Fimi columbini aridi vncias quatuor, tritas cum thure masculo inspergito, quoad vsque morbus tollatur: experientia comprobatum est medicamentum.

Ad albugines medicamentum comprobatum quod multos iuuit.

Perdicis masculi felle ex melle inungito. Aliud. Ladani vncias duas terito ex optimo vino, & oleo quantum sit satis, & oculos illinito.

Ad suffusiones admirabile, quod confestim visum restituit.

Sanguinem muris, galli fel, & muliebre lac paribus portionibus misce, & tritis vtere, probatum est, & mirum in modum profuit. Aliud. Ad suffusiones nouas veterésque, ad visus etiam hebetudinem, & ad omnia tandẽ quæ visum obtenebrant. Baccas lauri à cortice mundatas numero decem, gummi pondo vncias duas, ex aqua pluuiali facito collyria, & illine: suffusos quidẽ, ex vrina pueri nondũ experti

venerea, quibus autem hebes eſt viſus,ex aqua pluuiali.

Ad oculorum dolores & vigilias.

Mulſam facito ouúmque à cortice mundatum,& in duas partes diſpertitum in ea madefacito,ac ſuper oculum deligato.à ſomno arripietur.

Ad oculorum totiúſque corporis carbunculos.

Muralem herbam cum panis micis,prius poſca madefactis terito,ac vtitor.

Medicamentum quod viſum acuit.

Fœniculi caulem probè ex melle polij noui cocto ſine fumo terito & illinito.

Ad ordeolos in palpebris exortos.

Acacia cum vino inunge. His autem quibus oculi fluxione laborant, inter initia confert parcitas cibi, aquæ potus,abſtinentia à venere, aluus cieatur, primúmque multa frigida pauco intermiſto aceto aſſiduè facies lauetur,eam etiam in lectulo olfaciat,à puluere,fumo,ſolis,lucernęq; ſplendore caueat:roſas deinde virides aut aridas paſſo madefactas terito, mixtáſque oui vitello in modum cataplaſmatis imponito,aut ex farina hordei ex paſſo cocta facito cataplaſma.at ſi dolor immodicus fuerit, altercum quoque admiſceto. Cataplaſma ad caput à fluxione detentum. Hæc compoſitio caput à fluxione ſeruat, oculos etiam ab omni iniuria. Accipe cimoliæ,nitri,radicis vitis albæ aridæ,cucumeris ſyluestris radicis,farinæ fabarum ſingulorum pondo vncias duas.his ſimul tritis,& ad ſordium craſſitudinem deductis in balneo vtere, præſtantiſſimum remedium eſt. Medicamentum quod cōmanducatum pituitam è capite detrahit. Vuam taminiam cum maſtiche manducandam exhibe:mel,maſtiche & zingiber,quòd ſi dura maſtiche ſit,ceræ modicum admiſceto.

Ad capitis dolorem.

Ruta probè trita ex aceto & roſaceo frontem illinito. Ad hemicraniam,hoc eſt dolorem qui caput ex vna tantum parte tentat. Porri caput cum coma decoquito, eóque caput imbuito, ſtatim nanque dolor deliteſcet. Aliud. Hederæ ſummitatibus oleo incoctis caput affundito,& miraberis. Aliud. Amaris amigdalis tritis frontem delinito.

Præſtans ad clauos, ſi etiam in capite ſint, medicamentum.

Accipe ſandarachæ,aluminis ſciſſi,atramenti ſutorij,myſios,calcis viuæ,ſaponis:cæterorum omnium parem modum,calcis tantummodo duplum,ex primo ſaponis iure leuigato, & vtere.

Ad hemicraniam.

Accipe ſeminis erucæ pondo vncias tres,rutæ viridis pondo vncias ſeptem,piperis grana xxxj. albumina ouorum trium, aceti quod ſatis ſit, miſce & locum illine. Paſtillus celebris Socratis ad capitis dolorem & hemicraniam,ad omnéſq; capitis affectus ex fluxione obortos mirabilis. Accipe euphorbij drachmas quatuor,ſucci thapſiæ drachmas ſex, zingiberis drachmā vnam,opij drachmas tres, opoponacis drachmas duas:omnia ſimul ex aceto diſſoluito,indéq; paſtillos fingito,cum in vſum ducere volueris,aceto excipe,& frontem delinito. poteſt præterea ſuffiri,& partibus his quæ fluxioni obnoxiæ ſunt mirum in modū confert.

Ad clauos & verrucas formicas appellatas.

Clauos numera,totidémq; formicas accipe, eáſque in linteo deliga,atque cū his cochleam,ac vrito,& ex aceto terito,atque illinito: vel accipe fimum bubu-

lum cum aceto leuigatum,per triduúmque apponito,quia cadent claui. Aliud. Palmularum offa vſta tritáque cum ſale, & ammoniaci gutta in ſole miſta imponito,& cutabis.

Ad hemicraniũm dolorem celebre medicamentum.

Accipe terreſtres lumbricos quindecim,totidē etiam pipetis grana,aceti quod ſufficiat, omnia ſimul terito ac oblinito.

Ad morſus ferarum venenoſarum.

Morſus fetarum venenoſarum rabidorúmq; canum ſanat interiorum cancri cinis ex aqua ſemel aut bis pota, quantum manus capete poteſt.

Ad dolorem capitis ex vini potu.

Sertum ex duodus coliculis ſanguinalis herbæ contextum imponito capiti.

Ad hemicranium dolorem.

Naſturtij ſemen tritum,albuminéq; oui exceptum fronti adhibeto,ſtupa deſuper appoſita:aut os capitis aquilæ appende ſimile ſimili, eodem modo & vulturis. Aliud. Lapilli qui in capite lupi piſcis reperiuntur,capitis dolorem ſanant, appenſiq; hemictaniæ conferunt,dextet parti dextræ,& ſiniſter ſiniſtræ.

Ad capillos,tum è capite,tum è barba defluentes.

Betam cum mytteo oleo, polytrichíq; capillamenta illinito, vel adiantum & ladanum paribus portionibus trita ex oleo immaturo, vel mytteo,vel lentiſcino illinito. Aliud. Ladanum ex amineo vino & oleo myrteo terito ad ſpiſſitudinem mellis,capútq; in balneo inungito. Sed adiantũ(quod Polytrichum quidam vocant) melius eſt, ſi eius pars ſeptima ladano adijciatur & inungatur. Ad profluuium capillorũ, & vt plures ſuboriantur. Accipito muris ſtercoris drachmas tres,cannarum(quas Conatelos vocant)vſtarum drach.quatuor, amygdala amara numero. lxxij. ſucci balſami, ladani vtriuſque drach. quatuor, polytrichi drach. vij. natdi gallici drachmam vnam, immerſum ladanum in picem liquidam, vinúmque & oleum leuigato : arida verò trita in puluerem redigito, & cum liquidis miſceto,& vtere quotidie inungens:mihi quidē viſum eſt etiam caluis capillos teſtituiſſe medicamentum.

Ad tuſſim varia remedia.

Fructus iuniperi comeſtus & potus valet, aut bdellium potu ſumptum. Aut daucus creticus ex vino potus, aut tadix dracunculi elixa & trita ex melle, aut helenij, aur herbæ perdicialis ſuccus repirus anre cibum potus ex aqua,aut ſuccus herbæ ſanguinalis eodem modo acceptus,aut perſonatæ herbæ radix,aut nu clei pineæ ex aqua bibiti,aut propolis ſuffita,aut reſina pota,& terebinthina ſuffita,aut arſenicum ſciſſile cum chalbano ſuffitum, & fumus deuoratus,aut bitumen,thus,ſtyrax, cuminum, hæc omnia ſuffita. Aut cinamomũ ex tepido melle potum. Aut cupreſſi baccæ tritæ cum paſſo & myrrha ieiuno exhibeantur. Aut fœniculi radix & ſemen ex vino decocta & bibita. Aut decoctum viridis ferulæ ex vino bibitum. Aut origanum cum melle decoctum & potui datum. Aut flos myricæ cum folijs & fructu ex vino elixus & bibitus. Aut piceæ cortex ex aqua bibitus. Aut populi albæ folia, & ramuli ex aqua aut vino bibantur. Aut verbaſci radix ex vino bibita in balneo. Aut allium crudum vel elixum comeſtum. Aut lanariæ herbæ radix accepta ex melle, eos qui peſſimè affecti ſunt liberat. Leporis ſtercus tritum,& ex vino calido aſſumptum potu præſidium affert affe-

ctibus gurgulionis,arteriæ,ac difficilè ſpiranribus. His eiſdem prodeſt, & lingua aquilæ appenſa collo. Aut nucleus pineus inreger vſtus,rrirus,cum pauco pipere,melléq; exceptus derur ad cochlearium laboranti. Ad veterem tuſſim. Sulfur ignem inexpertũ probè terito,ac ouo iniectum in balneo ſorbero. Aur ſinapim rritum cum melle miſce, & da tres daculos. Aut trirum naſturtij ſemen eunri dormitum da potui ex aqua. Aut ſummo mane thus tritum cum melle lingendum dato, vel eunti cubitum. Aut raphani ſuccus ex melle diluculo ſorbeatur. Aliud. Iuniperi baccæ quinq; aut ſeptem ex melle bibantur. Aliud. Accipe piperis drach. iiij. nucum drachmæ duæ nucleorum pinearum, hyſſopi vtriuſque drach.i. pulegij,iridis,ſeminis vrticæ,ſingulorum drach.iiij.mellis quod ſatis ſit, detur cochlearium vnum. Aliud. Sinapi,cuminum, nigella,naſturtium, omnia paribus portionibus terantur,ex vino excipiantur & offerantur. Aliud. Pulegiũ aſſiduè cõmanducetur:præterea verò tritum ex vino porui detur. Aliud. Cumini fricti,nigellæ vtriuſq; drachma,piperis grana xl.hæc ſimul trita,& melle fermentata ieiuno,& cubitum eunti dato. Suffimentum. Accipe auripigmentum ſciſſum,piper,marrubium,farinam hordei, triſſaginem,corticem radicum vitis, chamæleucen,maſtichen,coſtum,crocum,omnia ſimul cum ouis miſce,& collyria confice quibus ſuffumigato ante cibum,& cum cubitum iturus eſt.Aliud. Accipe piper,auripigmentum ſciſſile, eáq; vnà terito,ac melli immiſceto,& potui dato. Aliud. Butyrum, adipem anſeris, reſinam,omnia trita ex melle da ieiuno,& cubitum ituro. Aliud. Virgulam fœniculi ſeménq; & piper vnà trita,& ex melle fermentata exhibeto. Aliud. Herbam veſicariam vnà cum radicibus elixam potui dato. Ad tuſſim & ſanguinis reiectionẽ. Accipe coſti,cinnamomi,rhabarbari ſingulorũ drach.i.ſimul omnia contrita,& in vnũ redacta ex vino tepido bibenda præbeto. Aliud. Quod & tabeſcẽtibus benefacit. Thuris,piperis,auripigmenti ſciſſilis,cariophylli,hæc omnia ſimul miſta,trita,& cum melle fermẽtata exhibe ieiuno,& cubitum eunti. Aut auripigmentum ſciſſile pro ſale in ouum inijcito & ſorbendum præbeto,aut auripigmentum tritum ex vino tepido bibat in balneo, aut auripigmento ſciſſili cum croco trito, & cũ ouo miſto bombicem imbue,& per cichonem appellatum inſtrumentum ſuffumigato.Cũ verò qui ſuffumigatur deficere videbitur, da illi deuorandum buryrum quanta eſt nux auellana,ac deinde iterum ſuffumigato,ídq; ſepties faciundũ eſt. Aliud. Styracem optimum,& braſſicæ ſuccum ſimul rerito,& fermentatum da ieiuno, & dormitũ ituro,aut oleum laurinum,& vinũ optimum accipe vtriuſque drach. iij.miſce,& tepidum in balneo bibendum dato, & vino oleóque miſtis,& in olla calefactis ſtomachum foueto.ne dato œnoleum bibendum phthiſico:ſed œnoleum probè parato, ídque calefacito & ſpongia madefacta ſtomachum fouero. Aliud Lupinorum decocto myrrham ſtactem macerato tuſſientíſque pedes foueto,& ſpongia deterſos butyro illinito,iterúmq; foueto: hoc ſi ter feceris,liberabitur. Aliud. Hederæ granis,aut lignis,aut folijs ſuffumigato tuſſientem.Aut * reſina ex veteri vino leuigatum ante cibum bibita,aut canabis ſylueſtris ſemen tritum, & ex aqua potum, aut liquorem cedri potui ieiuno datũ, aur pulegium & hyſſopus ex poſca cocta bibenda dentur,aut beronicen melle ſubactam edendam præbe. Raphani etiã toſti quum mane ac veſperi eduntur, conferunt. Chamæleuce quoque ſuffita. Aliud. Lauri baccas cum pipere,pineos etiam nucleos

cum melle præbe mane,& cum dormitum iturus eſt. Ad tuſſientes & eos qui arteriæ aſperitate laborant,quíq; vocẽ amiſerunt,& qui ſanguinem expuunt. Tragacanthæ,gummi,vtriuſq; drachmã,myrrhæ optimæ tantundẽ,ſucci radicis dulcis & paſſi,quantum ſatis ſit,omnia cõterere ſimul,& vbi fuerint leuigata,arida cũ alijs miſce. Aliud. Ad tuſſim & exulceratã arteriã. Terebinrhinæ,gũmi,mellis optimi, ſingulorum drach.vna,mel & terebinthinam ſimul coquito,mox gummi indito,& præbe oleæ magnitudinẽ ore continendã. Aliud. Accipe gummĩ, lycium,vtriuſq; vncias quatuor, eáq; in aqua inijce donec liqueſcant, poſtea adde heminã paſſi Cretici,& coque quoad acceperit ſordium ſpiſſitudinem, & delingendo ſumatur. Aliud. Ad tuſſiculas, & fremitus,& ſanguinis reiectationẽ. Accipe tragacanthæ drach. duas, ſeminis lini fricti drach.iiij.amygdala decorticata decem,nucleorum pineorũ adipe frictorum * tragacantham aqua calida macerato ac cætera miſceto, paſſúmq; infundito & leuigato : ad abſciſſam verò vocem,ſanguiníſque ſcreatũ pro paſſo melle vtere. Aliud. Raphanum in taleas rotundas concidito, & ſuper prunas toreto, & ieiuno comedendũ ex melle præbeto. Ad tuſſim inueteratam. Accipe piperis drach.vnam, farinæ lupinorũ vncias tres, mellis cochlearium vnum,ſorbendũ præbeto. Aliud. Os perforatum auriculæ porci collo appenſum à tuſſi ſeruat. Medicamẽtum quod tuſſi & columellæ affectibus, & inflammationi tonſillarũ præſidium affert. Lapilli qui reperiuntur in ventre pullorum hirundinum appenſi à tuſſi cuſtodiunt. Ad tuſſientes & eos qui radice vnæ laborant & ad deſtillationes. Accipe zingiberis,chalbani,ſtyracis,opij, ſingulorum drachmã, eáq; paſſo excepta in globulos erui magnitudine redigito,& ex his duos loco catapotiorum da dormituro: ſorbeat etiam paſſum dilutum. Aliud. Accipe zingiberis, ſtyracis, vtriuſque drach. iiij. excipe paſſo, & fac globulos ſicuti erui grana, & ex his tres cubitum eunti da pro catapotijs, qui ſorbeat paſſum dilutũ. Ad deſtillationem & tuſſim medicamen probatum. Accipe opij drachmas ij. caſtorij drachmam,confice catapotia erui magnitudine, & pro viribus dormituro exhibe. Aliud. Quo vſus eſt ſapientiſſimus Alexander. Accipe pyrethri drach. duas, coſti drach.i. terito & cribrato,quum autem vti volueris iube,vt nares attingat, ac ſtatim conſtringat. Ad eos in quibus à capite in arteriam pituita deſtillat, & ad tuſſientes. Accipe ſtyracis drach. viij. caſtorij,zingiberis,chalbani, ſingulorum drach.iiij.hæc in vnum miſceto, ac facito pillulas, qualia ſunt grana erui: duas autem vel tres eunti dormitum præbe,neque ſtatim poſt bibat:iuuabitur etenim.

Medicamentum capiti inſpergendum,quod eius reuma ſinit.

Accipe hyperici, iunci odorati, iridis, ligni balſami, ſingulorum drachmam vnam, trita & cribrata caluariæ inſperge. Aliud caluariæ inſpergendum quod ipſum exiccat. Accipe coſti, foliorum malabathri, gallarum, ſpicæ nardi,iridis, nardi Celtici, roſarũ aridarum, ſingulorum drachmam vnam:ea trita & cribrata inſperge. Aliud inſperſile. Accipe ericis fructus,gallarũ,iungi odorati,ſampſuchi, coſti, iridis, ligni balſami, ſingulorum drach. i. trita & cribrata capiti inſpergito.

Medicamentum quod per hyemem commanducatum pituitam è capite detrahit.

Accipe hyſſopi,origani,vtriuſq; drach.iiij.pulegij drach.ij.calaminthæ drachmam, vuæ taminiæ tantundem, pyrethri drach. ij. marrubij drachmam, ſinapis

drachmam, ſapæ, aceti, vtriuſque ſextarium vnum : omnia ſimul ad tertias coquito, & gargarizet. Aliud cõſimile cuius vſus eſt, verno tẽpore. Accipe hyſſopi drach. iiij. origani drach. tres, pulegij drach. ij. calaminthæ drachmam, ſapæ ſextarium, aceti ſextaria tria. Aliud quod æſtate & autumno conuenit. Accipe hyſſopi, marrubij vtriuſque drach. iiij. origani, cinamomi, iridis, ſingulorum drach. iij. pulegij, cyperi, vtriuſq; drach. duas, calaminthæ, ſpicę nardi, caryophylli, pyrethri, ſingulorũ drachmam, ſapæ, aceti, vtriuſq; ſextarium. ad tertias coquito, & gargarizandum præbeto.

Ad deſtillationem.

Accipe origani faſciculos duos, pulegij faſciculum vnũ, inijce in ollam mundam cum aceto, & adijcito caricas ſex, paſſulas verò ſexdecim: decoquito ad tertias, & deinde percolato, ac id in calicem iniectum gargariza.

Ad humores in pectore reſidentes.

Vrticæ folia ptiſanæ incocta offerto: diſcutit inflationes, & ea quæ in pectore continentur educit.

Ad tuſſim, & difficultatem ſpiritus à ſtomacho, & ſanguinis excreationes.

Acceptam ſpongiam albam nouámq; vrito, & terito, cinerem illum cũ melle miſceto, & piperis quod ſatis ſit adijcito, indéq; medicamentum quod delinctui ſit componito, atque ſero à cœna quantum tribus digitis capi poteſt, aſſumito.

Ad anginam.

Collum felle bouis maſculi delinias. Exiccatorium medicamentũ ad tuſſim. Fœnumgræcum ad tertias elixato, iuſculúmq; id ſummo mane cum melle exhibeto. Paſtillus tuſſi commodus in quibus fluxio ad pectus deſtilat. Accipe pulegij, hyſſopi, piperis, naſturtij, ſingulorum drach. vnam, ex his melle exceptis confice paſtillos pendentes drachmam, & eis vtere.

Ad tonſillarum vitia.

Salicis folia, & fructus plurimum ex aqua decocta gargarizentur. hoc medicamentum craſſam pituitam maxime à pelle euellit. probe etiam facit ad anginã. Aliud. Decoctum myrti, & lenticulæ gargarizandum præbe.

Ad anginam.

Caprinum ſtercus gargarizetur, aut ore hianti fauces ſucco rutæ illinito.

Ad deſtillationem.

Hyſſopum, ficus, mel, & ruta ex aqua coquantur, id decoctum gargarizetur.

Ad clarificandam vocem.

Tragacantha vino macerata, & epota vocem claram præſtat.

Ad abſciſſam vocem.

Styracem aqua macerato, indéque catapotia fingito ciceris magnitudine, ex illis tres dato, ſtatim loquetur.

Ad inflammationem & eryſipelas.

Sedi folia in cataplaſmą redacta cum polenta impoſita. Aut portulacæ folia item cum polenta. Aut braſſicæ, aut cannarum virentia folia trita, & impoſita. Aut rubi, aut rhamni, & roſarũ folia item in modum cataplaſmatis impoſita.

Ad lumbricos.

Polypodij radicem cum ſapa miſtam edat. Aut raphani ſemen ex aqua bibat. Aut allium rodat. Aut vlmi radicem ex mulſa epota. Aut cortex radicis ſycami-

ni ex aqua decocta,& epota valet. Aut nigella in potu accepta,& in cataplaſmate adminiſtrata. Aut braſſicæ ſemen ex aqua bibitũ. Aut ſuccus menthæ epotus. Proprium experimentum. Semen canabis aridum tritum cretúmq;, & aqua miſtum, vt ſucci habeat ſpiſſitudinem, ac linteo mundo percolatum potui detur. Aut fimum bubulum aridum & tritum potandũ dato pondere drachmæ ex vino. Ad lumbricos latos & reretes. Accipe nirri, cardamomi,piperis,ſing.drachmam,in puluerem redigito,da cochlearium ex vino.

Ad proritandos ſudores finiendámq; febrem.

Semen canchryos ex oleo illitum benefacit. Item pyrethrum ex oleo calefa-* ctum & per horã anre inuaſionẽ inunctum. Aliud ad febrem expertũ. Oleum cinomolæum,chamæmelinum, acetum, nitrum cũ lauri folijs coquito,& febricitantẽ illinito,probéq; tegito. ſtatim enim ſudabir. Illitio ad febricitantes. Butyri partes duas,mellis partem vnam, miſce,& tepido vtere. Aliud ſucci foliorũ lactucæ partem vnã,olei communis partes duas miſce, & eis probè agitatis vniuerſum corpus illine,probatum eſt medicamentum. Aliud. Artemiſiæ partem vnam,roſacei partes duas,miſce& vtere.

Ad hemicranium dolorem.

Solani ſuccus cum oleo illitus plurimum confert. Aliud. Ex ſinapis ſemine, & melle confectum cataplaſma adminiſtra. Aliud. Ruta domeſtica ex aceto & roſaceo cocta & illira valet.

Ad canis morſum.

Vrticæ ſemen in modum cataplaſmatis appoſitum confert. Aut folia nigri marrubij. Aut apiaſtri folia ex vino pota,& morſibus appoſita. Aut alia in cataplaſmatis modum appoſita,atq; etiam toſta,comeſta,& bibita. Ad timentes canem irruentem. Radicem nerij collo appendito,& liber euades: id verò ſi experiri volueris,furenti cani radicem circumponito,illico enim furor miteſcet. Ad morſus rabidi canis. Vulneribus ex morſu rabidi canis factis folia braſſicæ cum laſſere & aceto trita apponito. braſſica enim per ſe valet ad morſus rabidi canis. eiúſq; decoctum in potu acceptum.Elixa etiam braſſica ſi eſtur ante alios cibos, phthiſicos ſanat. Item affectus arteriæ curat. Sed & contuſa & in modum cataplaſmatis lieni appoſita illum attenuat.

Ad anginam collique dolorem.

Populus alba arida,& ex melle trita, illita. Aut naſturtij ſemen cum columbino fimo ex melle appoſitum, aur repidum cum melle gargarizatum. Aut canino ſtercore albo ex aceto illine collum.

Ad fœtidos narium odores.

Valet ſuccus foliorũ hederæ tepidus naribus inſtillatus. Aut calaminthę ſuccus ſimili modo tepidus inſtillatus. Aut myrrha ex muliebri lacte leuigata & infuſa.

Ad profluuia ſanguinis è naribus.

Acacia ex aceto læuigata naribus infundatur. Aliud. Accipe acetum cum ſale,ídque in ollam aut mortarium mittito,lanámq; acceptam illis imbuito,tepefactámq; quantum laborans ferè poteſt capiti imponito, pluribus deinde veſtibus ſtatim tegi iubeto. Medicamentum nares expurgans. Thymum & origanũ melle excepta in paſtillos redigito,& eos cõmanducandos exhibeto.

Ad pleuriticos.

Bdellium ex vino potum valet: itémque ex aqua. Aut fructus balſami ex aqua bibitus, aut delinctus ex melle. Aut radix ariſtolochiæ ex aqua epota. Aut ruta ex mulſa etiam pota.

Ad acutam febrem.

Confert ſuccus melonis illinitus. Aut ſuccus ramentorũ cucurbitæ inunctus. Aut roſa ex oleo, aut cataplaſma ex plantagine appoſitum.

Præſagium in febricitantibus.

Roſaceo inunge primum, mox ſemen apij tritum impone: ſtupámque rotundam in modum rotæ cordi impone, ouíq; luteum affundè, & reticulo contegito: ſi fiat oui diſſipatio, mortem inſtare noueris. nam anima hoc facere dicitur.

Ad vulnera conglutinanda.

Radix graminis trita, vt aridum medicamentum imponatur.

Curatio dolorum auris.

Amygdalinum oleum in aures inſtillatũ confert. Aut oleum ex nucibus confectum: item inſtillatum. Aut laurinum, aut balſaminũ oleum. Aut ſuccus fructus dracontij herbæ infuſus. Aut ſuccus herbæ perdiciadis cũ roſaceo tepidus in aures inſtillatus. Aut oleum in quo ruta incocta ſit tepidum inſtillatum. Aut myrrha, & mel tepefacta, & inſtillata. Aut rutam cum lacte muliebri eius quæ maſculum pepererit, tepidam inſtillato. Aut expreſſum ex allio ſuccum in aures inſtillato. Aut porri ſuccum vel eiuſdem decoctum tepidũ. Aut porri ſuccum cũ melle miſtum inſtillato. Aut ore aſſumptum oleum in aures inſufflato. Aut cucurbitæ ſuccum cum roſaceo infundito.

Ad ſcabiem, & pruritum.

Vlmi folia trita in modum cataplaſmatis apponantur in balneo. Aut ſulfure ignẽ non experto, vua taminia, arſenico, & ſandaracha, ex aceto, & oleo inungatur in balneo. Aliud. Myrrha ex muliebri lacte illinito. Aut radicis dulcis ſuccum ex paſſo potui dato. Aut gallinæ oua integra in acetum acerrimum inijce, per diem & noctem, ſint autem oua tria, ea in eodem aceto cũ putaminibus teræ, quibus deinde adde ſulfuris ignem non experti, arcenici ſciſſilis, vuæ taminiæ, ceruſæ, ſpumæ argenti, ſucci nerij, ſingulorum vnciam, olei veteris quod ſit ſatis: his omnibus tritis obline in balneo.

Cataplaſma ſtomachicis.

Ex calaminthæ tritis folijs viridibus cum hordeacea farina cataplaſma factum apponito. Ad ventriculi cruditatem inflationémq;: quiſquis enim eo vſus fuerit, ſtatim fameſcet. Accipe aniſorum pondo drachmas xij. piperis albi, libiſtici, ameos, petroſelini, fœniculi, ſingulorum drach. vj. hæc omnia contuſa & creta excipe cocto melle: exhibe drachmam. Ad æſtuantem ventriculum nec cibũ continentem. Succum lactucæ da bibendum ex paſſo nec amplius euomet. Ad ventriculi dolorem. Lac in quo querni carbones ſint extincti laboranti in potũ dato. Ad acorem ventriculi. Triſago, ſi ex vino bibatur, acorem remouet.

Ad inflationem ventriculi.

Accipe piper, baccas lauri, cuminum, aniſum, paribus portionibus, eáque trita, & creta ex vino temperato dato ad vnum cochlearium per tres dies: Aut aneſum commanducato ieiunus.

Ad oculos fluxione laborantes.

Fœniculi ſuccus per tres dies impoſitus confert. Aut thus ex melle & lacte illitus. Aut centaurij ſuccus ex melle illitus. Aut quinquefolij herbæ folia trita ex melle appoſita. Ad caliginem oculorum. Ramentorum cucurbitæ ſuccus appoſitus valet. Ad albuginem. Alterci folia cũ polenta imponito. Aut lignum balſami ex muliebri lacte illitum. Aut ruta viridis in modum cataplaſmatis impoſita. Aut pulicaris herba ex muliebri lacte illita. Aut cannarũ foliorum ſuccus illitus. Ad oculorum vertiginem tollendum. Accipe folia oliuæ & contunde,ſuccóq; ex eis expreſſo inunge, & miraberis. Ad oculorum fluxionem cataplaſma. Portulacam cum croco terito,& anſerino adipe. Aut folia apij,cum polenta. In magnis autem fluxionibus cataplaſma ex roſis & meliloto elixis cum amylo oculis apponito.

Ad dolorem dentium.

Nigella ex aceto,ſi os colluatur,iuuat. Aut gallæ in oleo immaturo incoctæ. Aut platani fructus aceto incocti,ſi eo os colluatur. Aut decoctũ radicis quinquefolij ex aceto,ſi os colluatur. Aut radix peucedani vſta & trita ĩpoſita. Aut malicorij roſarúmq; decocto fiat collutio. Ad dentium vulnus. Accipe nitri,teſtæ ſepiæ,myrrhæ,ſingul.drachmã,tritis vtere. Aridũ medicamentum ad humidum,cruentúmq; os detergendũ,carnem gingiuarum inſtaurandã, & dentes dealbandos. Accipe nitri vſti,myrrhæ troglodyticæ, teſtæ ſepiæ,ſing.vnciã,roſarũ aridarũ,drach.iiij.his tritis & cretis vtitor.Sed ſi addideris vnciã iridis,miraberis.

Ad lateris dolorem.

Viridis braſſicæ caulem vnà cum radicibus vſtum excipe adipe ſuillo,& vtere.id remedium mirabile eſt. Aut ſemen apij ad tertias decocti in potum exhibero,efficax remedium eſt. Ad internos tumores. Amarantum aqua madefactũ bibendum dato mane & veſperi.

Cataplaſma ad lienem præſtans admodum.

Accipe apium,ſinapim, lauri baccas bene contritas, denide nuces nouas dempto cortice parum tundito, poſtea ea omnia in pilam coniecta validè contundito,& extracta in acetum demergito per tres dies, quæ vbi in vnũ redacta fuerint,ſucco tiberiadis incoquito donec factum ſit cataplaſma, quod lieni ſuperpoſirum à ſummo mane vſque ad horam octauam prius tamen aluus excernat, effectum miraberis. Aliud ad lienem experientia probatũ.Corticem ficus viridẽ à noua arbore decorticatum cum cinere miſceto & calefacito.

Ad febrem tertianam.

Mel ſi ſemel cũ ſcammonio bibatur,liberat. Ad quartanã. Accipe tritũ piper, lauri baccas,cuminũ,maſtichem,myrrhã,thus purũ,omniáq; ſeparatim terito,& in vnũ deinde redigito,mellíſq; quod ſatis ſit adijcito,ac per quatriduũ imponito.

Ad ſanguinem è naribus profluentem.

Oui putamen integrum vrito,indéq; lixiuium facito, & id cum arſenico ſciſſili mixtum in nares ægrotantis inijcito.quod ſi arſenicum ad manus nõ ſit,ſolo lixiuio ex ouo confecto vtitor. Aliud. Capræ fœminæ villos vſtos terito, paritérq; & myrrham tritam,& cũ pilis caprinis miſtam naribus inſufflato.ſi viri fuerit,cũ charta:ſi fœmellæ,cũ alio quopiam.qua autẽ parte ſanguis effluit,ſtrictiſſimè ligato. Ad ſanguinis violẽtas eruptiones. Gallas in mola tuſas,corticem

mali punici, eiuſdémque grana tuſa & miſta cum oleo ſciſſili, melle ſubacta, exhibe mane & veſperi, vt mel gallarum.

Ad ventris tormina & inflationes.

Accipe rutæ, piperis, zingiberis pares portiones, terito & ex aqua calida propinato. Aut artemiſiam tuſam & cretam exhibeto. Aut nitrum vſtum & tritum ex humore aliquo præbeto.

Vt boues non ægrotant.

Cornu cerui ſuper panis Dei ſaccellum imponito, & deſuper candelam accendito, & ne interdiu illam accẽſam obliuioni tradito, & in tempore ſanctum Demuſarim inuocato, & atrollito: armẽta & tuam cuſtodient vitam. Vt porci non ægrotent. Rhamni radicẽ in aquam vbi ſe proluunt proijcito. Ad carnem conglutinandam. Vermes terræ frixos & tritos inſpergito.

Curatio plagarum.

Myrrham & aloem tritas inſpergito. Aut reſinam piceam, vel maſtichen, & hederæ lachrymã, emplaſtro ex his facto imponito. Haud hircina axungia plagã illinito, cornúq; capræ nigræ inſpergito. Aliud. Coſtum, ſpicã, cinamomũ, zingiber, cuminũ, ſingulorũ parẽ portionẽ terito, & pice ſubactã imponito. Aut aridam cruſtã panis vino oleóq; ſubactã imponito, eã quotidie per vices immutato.

Ad ſcabiem equorum.

Anguem diſſcindito, & adipe eius oras vngularum ligno inungito.

Ad ſomnum conciliandum.

Folijs lauri infraſcripta elementa inſcribito, cubantis ſtragulis eo ignorante ſupponito ξς. χςς. φθ.

Vt noctu homo non ſomniet.

Rutæ ſemen caligæ ipſo neſciente ſuſpendito, nec dormiens vllas videbit imagines.

Ad pectus.

Quo arſenicum ſciſſile miſceto, necnon & piper, & farinam hordeaceam, & lauri baccas, nucleóſquẽ pineos exhibeto. Aliud. Alij nucleos ſeptem, arſenici ſciſſilis, piperis vtriuſque grana xiij. bambacem, pineos nucleos, ceræ parum, miſce & ſæpe cum oui luteo accipe.

Ad corroſos dentes.

Arſenicum, piper, caſeum, calcem viuam cum aceto fermentata apponito.

Ad renum affectus.

Accipe pulegium, origanum, ſampſucum, ſerpillum, chamæmelum, abſcinthium, folia lauri, cucumerem ſylueſtrem, peponem, hæc omnia prius contuſa ſimul decoquito ex aqua, & huius decocti quãtum ſatis ſit, cum oleo & ſale exhibeto. Medicamentum quod benefacit coxendicis doloribus. Cucumeris ſylueſtris radices, folia lauri, abſcinthium, plantaginem, triſſaginem, marrubium, calamintham, pulegium, origanũ, thymum, lactucam, euphorbium, anethum, pyrethrum, vuam taminiam: omnia ex aqua decoquito, & cũ melle, oleo & ſale miſceto, per inſtrumentum adhibeto.

Ad dentes putridos & nigros dealbandos.

Accipe ſalis triti, partem vnam, topi partem vnam, teſtæ ſæpiæ partem vnam, his ſimul tritis frica dentes, ſed collue prius aceto puro. Cataplaſma ad capitis

fluxionem,idem etiam præstat,ne caput à fluxione vnquam tentetur,oculúmq; ab omni iniuria tuetur. Accipe mastiches, myrrhæ, sarcocollæ, thuris, ladani, nitri,cerusæ, cimoleæ, styracis, rosarum aridarum, singulorum vnciam:saponis sanci lib.i.mellis tantundem,decocti amarorum lupinorum quod sit satis:omnibus his in vnum mistis pro sapone in balneo vtitor.

Pastillus ex seminibus ad tussientes.

Accipe anesorum amarorum, seminis fœniculi, seminis amij, seminis alterci, singulorum drachmam,seminis apij drach. iij.opij drach. omnia terito paulatim tepidam aquam instillando donec sordium spissitudinem assequatur, pastillósq; conficito fabæ magnitudine,vnum exhibeto,tussientibus confert.

Medicamenta ex experientia selecta ad iecoris affectus.

Gallarum elixatarum cum capitibus papaueris ius in balneo bibendum dato, & sit tectus:ac super affecto lateri decumbat. Aut decoctũ radicis hederæ ex vino elixatæ,potui dato. Aliud. Lauri baccas septem,piperis grana viginti,trita in potum ex vino præbeto. Aliud. Accipe aloes drach.iiij. asari,costi, eupatorij, edysari, meliloti, mastiches, croci, seminis ocimi, singulorum drach.ij. omnia tusa & creta,exhibe ex vino tẽperato. Aliud ad iecoris vitia efficax medicamentum, quod & ventriculo benefacit. Accipe baccarum lauri,cinamomi optimi, caryophyllorũ, aloes, edysari, costi, singulorũ drachmam,hęc omnia trita,melléque excepta.in potum ex veteri vino dato. Aliud. Acori,seminis lini,zingiberis, singulorum drachmam, anisi drachmas quatuor, rutæ mollium foliorum drachmam,ex mulsa bibẽdum præbeto. Aliud.Ex melle & pane cataplásma imponito in modum emplastri. Aut absinthij cochlearium mistum cũ melle temperaro potui detur,deinde super iecur ægrotus decumbat.

Ad fluxionem linguæ.

Folijs cinaræ ex melle tritis, linguam illine. Aut vena eius partis vnde fluit humor secetur:conferet enim.

Ad oris ariditatem.

Ficus in palmularum decocto elixato,& penna illinito,& cõtineto in ore. Ad labia scissa. Lini semen cum melle tritum imponito.

Ad eos quibus menti pili decidunt, quos Spanopogonas Græci vacant.

Accipe piperis,euphorbij,pyrethri,singulorum vnciam,succum foliorum tenerorum cãnarum,stercoris muris,oleum per combustionem expressi:ea omnia simul trita affrica,& assiduè rade.

Medicamentum vomitorium,quod mystri mensura accipitur.

Aphronitrum album in aquam tepidam iniectum donec fuerit dissolutum, adiecto aliquantulo olei,bibendum exhibeatur.

Reprimentia vomitum.

Menta trita & creta rosaceóque mista nares & pectus inungito. Aliud. Palmulas Thebaicas & mẽtæ ramulos duobus aquæ scyphis incoquito quoad sordium spissitudinem habeat: huius partem mediam bibendam dato. Aliud. Palmulas quod satis sit tundito paulatim vinũ myrteum instillans,deinde exceptas ex mulso & aquæ hemina præbeto.

Ad sanguinem vomentes.

Florem iunci odorati aquæ incoctum in potum dato.Vomitorium pituitam

detrahens. Mentham viridem vel aridam,ex aqua temperata bibatur. Vt facilè autem vomat:ſampſuchi folia bibat,ſemen verò raphani comedat:multam euomer piruitam.

Compoſitio pillularum quæ vim habent purgandi pituitam.

Accipe aloes vncias vj.maſtiches,abſinthij ſucci,vtriuſque vncias duas, colocynrhidis vncias quatuor,dentur xxix.

Ad cardiacos:hoc eſt,qui cordis morſu vel potius ventriculi vexantur.

Lentem cum ſpantęo & palmulis vino Médeſio incoctam in potum dato. Ad eos autem qui dolent cor.Sanguinariam herbam probe tritam,vel mala,vel cotonea ex aceto cocta tritáq;,& cerato roſaceo excepta ponantur in modum cataplaſmatis. Aut portulacam cerato roſaceo, vel myrteo exceprum imponiro. Aliud admirabile experientia probatum. Lini ſeminis heminas iiij. aquæ heminas vij.ſimul coquito & vtere. Medicamen hoc ſanitatẽ parat. non enim ægrotus in deterius labetur,ſed in melius mutabitur.

Paſtillus,qui ſuffitus,prodeſt his qui difficilem habent ſpiritum,& diu tuſſiunt.

Accipe naſturtij, ſinapis,abrotoni, rutæ ſylueſtris, ſandarachæ,ſingulorũ vnciam,terito,& ex aqua in paſtillos redigito, eis ſedulo vtitor. Ad difficilem reſpirationem,& ſanguinis reiectationem. Thymum cum pipere tuſum,& trirum in eclegma cum melle redactum ſedulò delingendũ offerto: præſtans remedium eſt. Aliud. Porrorum capita melli incocta dẽtur ieiuno comedenda. Aut rutæ ſiccæ vncias iiij.menthæ rãtundem ex melle terito,huius duo ceratia accipiat iturus cubitũ ex aqua temperata. Spirantes ægrè iuuant & piſtacia ſi edantur.

Ad eos qui ſanguinem ſpuunt.

Accipe ſymphiti,maſtiches,vtriuſq; vnc.iiij.ſigilli lemnij,balauſtiorũ,vtriuſq; vnc.ij.trita & creta da bibẽdũ ad cochlearium vnũ,ex aceto mulſo. Aliud experientia probarum. Accipe ſigilli lemnij vnciam,terræ quę Aſtrum vocatur,vncias ij. corallij tantundem, ex his dato heminam ex aceto mulſo puro mane & veſpere,hoc vtere. Aliud. Acaciæ ruffæ, amyli medicinalis pares portiones terito & in potum dato cochlearia v.ex aqua temperata.

Ad eos qui ardente febri tenentur.

Accipe ſemperuiui, & aneſi folia v.vel vij. & ea fac vt in oleo roſaceo ferueant,ac deinde à capite vſq; ad pedis veſtigium inungito,& mirabere. Aut radice pyrethri trita ex oleo inunge.Hoc medicamentum ſudores excitat, veteres rigores tollit,partes corporis refrigeraras,reſolutáſve ſanat. Aliud. Lauri baccas & thymum ex vino terito,& illinito,quia ſudabit.

Ad vim genitalium,& veteres affectus.

Accipe calamintham, eámq; tuſam & cretam proijce in pilam, melléq; exceptam decoque ad conſiſtentiã cataplaſmatis,id linteolo illitum tenui imponiro, & faſcia deligato.hoc à multis expertũ eſt. Aliud ad robur genitalium & renũ: neminẽ igitur curato niſi prius mercede accepta.expertum enim eſt in quamplurimis. Accipe zingiberis drach.iiij. herbæ ſabinæ, piperis,vtriuſq; drachmã,exhibe cum mulſo. Aliud. Picis aridæ,telephij, colophoniæ, maſtiches,nitri albi, portiones pares.leuiga,& effice aridum medicamentum: locum prius lauato,& calido adhuc permanente inunge liquida pice: deinde aridum medicamentum inſpergito,ſupérque imponito,& probe obligato.

Ad diſcutiendas fluxiones genuum.

Caprifici tritæ ſucco fricetur, aut eius radicis ſucco perfricetur in balneo. Aut ſal & fimũ columbinum tritum, ex oleo illine. Cataplaſma ad pedum dolores ex offenſione, vel ex caſu, vel ex alia quapiam occaſione. Accipe ſalis toſti, origani, cineris ſarmentorum vitis, pares portiones: ouorum vitellos duos, aut tres, omnia cum melle miſta imponito.

Ad ſcabros vngues remedium diuiniſſimum.

* Vnguibus ex caſu reuulſis, & ex affectu, quem Paronychium vocant, delapſis, ſachar leuigatum, & in aridum medicamentum redactum, inſpergito. Scabros verò vngues mũdabis, impoſito ſulfure ignem nõ experto, & croco ęquis partibus, idq; cum vitello oui mixtis, ex aceto impones.

Ad ambuſta.

Accipe argenti ſpumæ, croci, vtriuſque vnc. ij. ouorum toſtorum vitellos quatuor, roſacei quãtum ſatis ſit. Aliud. Cinere vſti linteoli oleo mixto, addita cera & anchuſa vtere.

Ad ſanguinis eruptionem vndecunque fluat.

Accipe ſoreos, atramenti ſutorij, chalcitidis, aluminis, myſios, gypſi, gummi, ſingulorum drachmas viij. tritis vtere: præſtans remedium eſt, experientia probatum. Aliud. Chalcitidis drach. vj. reſinæ frictæ drach. iiij. mannæ, thuris drach. ij. arido vtere.

Ad impetiginem probatum.

Accipe thuris maſculi, zingiberis, aloes, ſulfuris ignem inexperti, ſing. drach. ij. aceto excipito, & loco prius panniculo perfricato, illine. Aliud. Guttæ ammoniaci, alcyonij, ſulfuris ignem non experti, pares portiones, tere & vtere.

Ad dealbandam faciem.

Alcyonio vſto & trito cum melle, & farina miſto faciem deterge. Aliud. Lyſſomumudon tere, ex aceto illine in ſole. Aliud. Florẽ ollarũ ex aceto terito, locúmque panno prius donec rubeſcat affricato, deinde in ſole illinito. Ad faciem mundam efficiendam. Illine butyro cum ſapone miſto.

Ad dolorem vteri remedium ſanctorum argentum non deferentium.

Aſarum cum pulegio potui dato.

Paxamadum vocatorum purgatoria.

Accipe ſcammoniæ drach. ij. aut iij. maſtiches drach. iiij. ſeminis apij drach. ij. polypodij drach. iiij. cinamomi drachmam, fermenti mundi libram, arida permiſce & curioſe ſubige.

Ad necandos culices.

Suffito nigellam cum atramento ſutorio.

Ad fugandos ſerpentes.

Chalbanum, ceruinum cornu, vngulas caprinas, & lilij radicem ſuffito. Ad ſerpentium verò morſus, benefacit cataplaſma ex porro, & ſale. Ad fugandos culices. Folia cucumeris ſylueſtris coquito, & domũ conſpergito. Ad difficultatem vrinandi in iumentis. Salſarum oliuarum interior pars lignea conteratur, & per quinque dies tecta ſuffumigentur.

Ad plagam calami.

Radicis cannæ vſtæ cinerem ſuperapponito.

Ad comitialem morbum remedium præſtans.

Coturnicum cerebrum ex myrteo vnguẽto tritum repone in vas ſtanneum; & quum videris cadentem aliquem ex comitiali morbo, faciem oblinito, miraberiſque huius naturalis remedij efficaciam. nam ſtatim ægrotus aſſurget.

Ad eos qui cibum non appetunt.

Myrrham, thus, ammoniacum, maſtichem, cum albumine oui terito diutius, pectúſq; & viſcera illinito, ſtupam ſupra addito.

Ad deuoratas hirudines.

Qui hirudines deuorauerit, ad ſolem cõſtituatur, locúmq; vbi affixæ ſunt animaduertito, garúmq; inſtillato. nam ſtatim ab eo loco cadent & expuentur. Aut in butyrum aceto miſtum candens ex igne ferrum extinguito, & potui dato: ille enim hirudines reijciet. Aut eum qui hirudines deuorauerit in aquam calidam mento tenus demergito, phialam verò frigidæ ori adhibeto, nec illi potui dato egredietur nanq; hirudo. Aliud. Acetum calidum abſorptum hirudines educit. Aut ſuccus ſyriacus bibitus. Aut ſuffiti cimices.

Ad ictus apum.

Maluę ſuccus ictos ab apibus à dolore liberat. Ad ictus ſerpentum. Cornu caprinum vſtum cum melle terito, in modum cataplaſmatis imponito. Aut furni fuliginem ex melle illinito. Aut radices cannarum, cicer, baccas cupreſſi, & cornu cerui, omnia vſta & trita ſimúlq; miſta bibenda dato cum aceto & porro.

Ad inflammationes à ſectore venæ factas, humerorúmq; durities, & ſanguinis grumos.

Fermentum triticeum cum axungia diligenter ſubige, ac vtere, probatum remedium eſt.

Ad hydropicos.

Accipe ſtercus bouis, & ſiquidem vir ſit qui laboret, maſculi: ſin fœmina, fœminæ, & in ollam inijce, atq; operi, luto illinens operculum, ne perſpiret: ollã autem imponito ſuper cinerem non extinctam per dies ſeptem, octaua verò olla aperta eximè ſtercus, & ex eo facto arido medicamento ſerua in vitreo vaſe: cum verò vſurus es, da tria cochlearia ex vino ad dies ſeptem, ſit autem vinum in quo ruta feruefacta fuerit, valet hæc potio, etiam ſi adſint tumores, & œdemata, exiccat etenim & per vrinam euacuat: ægrotus verò non bibat niſi ter tantum: præſtans remedium eſt.

Vt vinum in odio ſit, & ad cauendam ebrietatem.

Si anguilla vino ſuffocetur, vinúmq; id detur potui, efficit odium vini. Simili modo ex vſu eſt vua inferuefacta. cum ab ebrietate ſeruare quampiam volueris, & à morbo, folia rutæ edito, tollunt etiam dolorem capitis ex ebrietate: idem & acorus comeſta facit, & palmula thebaica. Ebrietatẽ non ſubit, qui amara amygdala ſeptem numero procomederit, vel nouem, vel vndecim. Qui etiam ieiunus pulmonem ouis elixũ comederit, quantũuis bibat nulli erit ebrietati obnoxius. *

Vt quis vel vno vini poculo hauſto ebrius euadat.

Sarmentorum vitis, aut aridæ vitis parum comburens extinguito in phiala, vbi vinum eſt: ſtatim ebrius erit.

Ad lenticulas in facie.

Quod interius eſt, lauri baccarum tritum ex melle illinito. Aut nucleum pini melli incoctum, illinito oculos.

Ad procidentem anum in pueris.

Aqua fabrorum qua ferrum extingunt calida ablue, deinde cochleam vrito, & puluiſculum facito,& inſpergito.

Ad puerorum gingiuas, & dentes exorientes.

Roſarum floribus tritis ex melle illine, aut cerebro ouis ex melle, aut butyro ex melle illine.

Ad lac plurimum gignendum.

Seſami ſemen tritum & ex paſſo potum, aut titanæ cum fœniculo elixa & abſorpta, aut naſturtium cum braſſica potum.

Ad exuſtiones per hyemen.

Muria locum foueto: cataplaſma ex lenticula cum micis panis elixa confectum imponito.

Ad aquoſam ramicem.

Plumbagine cum ſulfure & aceto modico & oleo elixa locum illinito. Aliud. Nuces veteres putridas in mortario terito & illine. Aliud. Acetum bibat,& ceruinum cornu vſtum in cataplaſma redactum imponito. Aut argenti ſpuma cum aceto & oleo miſta inunge ad ſolem.

Ad vulnus incurabile in quauis parte corporis.

Bugloſſum herbam euellito, radices verò bene lotas contundito, illíſque ſuillam axungiam adijcito,probéque emollitam vulneri imponito.

Ad vomitum.

Accipe apij radices quinq;,fœniculi radices teneras tres, aneſi drachmam,acetum,mel,& crocum verum:omnia præter crocum decoquantur,qui facta decoctione inijciatur detúrque phialæ dimidium.

Ad aphthas,hoc eſt oris vlcera.

Oliuę molles mãducetur,aut ſyluestriũ paſſularũ decocto ex aceto os colluatur.

Ad capitis tumores talpas vocatos.

Eas primum mulſo lauato,deinde fel bouis cum leporino ſtercore inijce, aut confectum ex ſapone medicamenrum, aut ſuccũ rutæ inſtilla in foramina, aut trita ariſtolochia foramina in ipſis cum aceto impleto.

De ruta.

Ruta primum quidẽ comeſta & bibita viſum acuit, venerem arcet, capitis dolorem ſanat,ſi teneris eius folijs capiris oſſa cõtegas.ſuccus rutæ cũ fœniculi ſucco & melle mixtus & inunctus hebetudinem viſus tollit.hoc idem præſtat & ſeminis rhamni ex melle illitus: Mentha etiam facto cũ polenta cataplaſmate abſceſſibus medetur.

Ad ſiſtendum ſanguinem.

Beronicem mellis ſine fumo cocti plenam comedendam offerto. Braſſicæ & ocymi ſemen vtriuſque grana ſex terito, & ex vino potui mulieri dato quæ multo ſanguinis profluuio laboret.

Præſagium de ægrotante.

Teneris ſalicis folijs tritis inungito,q ſi roſeus reddatur,viuet:ſin viridis,obibit.

Vt quis nequeat vti venereis.

Eruca ſacerdotes veſcuntur, rutáque, & vitice: Erucæ igitur ſemen cum fœnogræco illitum ieiuno facit vt arrigi non poſſit.

Ad dolorem oculorum.

Crocum tritum fermentatum cum liquore à roſis deſtillante illinito.

De humani capitis dolore.

Si hæc ſigna affuerint, oculorum obtenebratio, dolor ipſius capitis, auriū ſtrepitus, narium obſtructio, oculiſq; illachrymauerint ſummo mane, ſed & nōnullis caligant oculi: quibus itaque hæc omnia adſunt, hoc modo caput purgato, origano, hyſſopo, ſale nares fricato, nec amplius caput dolebit: Sed ſi negligens fueris, hi morbi ſequentur: viſus obtuſus, aurium ſtrepitus, capillorum defluxus, & dentium dolor.

De pectore humano.

Cum affectus aliquis pectus occupaturus eſt, primùm videtur humiditatē habere in ſeipſo, crudos præterea ad coſtas habet humores, æſtuationem ſitímque, linguam aſperam, ſpuma redundātem, ſigulis horis expuit. Poteſt autē is à prandio euomere, aut ſummo mane ſtomachum purgare pręſumptis tenuibus raphani radicibus, aut ſinapi viridi, aut eruca, aut naſturtio ex aqua tepida, cum enim vomuerit, ſtatim ſanus euadet, quòd ſi id neglexerit, à ſpiritus difficultate arripietur, lateríſq; doloribus, acutis febribus, omninóq; ſomno carebit.

De ventre.

Quotieſcunq; autem affectus quiſpiam ventri ſuperuenturus eſt, primùm in ipſo ſuboriuntur tormina, doloréſq; circa ipſum vētriculum, alui præterea aſtrictio & excretio, cibi etiā in ipſo potúſq; perturbantur & amari videntur, grauitas in genibus, in lūbis ac renibus dolor, & omnino febricitabit. Igitur qui ſic ſe habuerint, purgandi ſunt medicamentis ſimplicibus: itaq; accipe cnicum tritum, & aqua calida diſſolutum, potui dato. Aut braſſicæ, aut betæ ſuccum melle conditum, pauco adiecto ſale, in potum dabis, & miraberis. Quod ſi id neglexerit, ſuperueniet inteſtinorum difficultas, tineſmi, humerorum dolores.

Ad grauem auditum, & aurium ſonitus.

* nitrum in acetum conijce, & roſaceum inſtillato, vinúmq;, & his occiput oblinito. Aliud. Nigrum veratri radicem in aures imponito, & ſanus erit.

Ad cuſtodiendam vitam.

Decocto centaurij vitis palmites conſpergito, hoc canes, vulpes, cæliſque volucres fugat.

Ad ſtrangulatus vteri.

Os quod ceruus in corde habet terito, & mulieri potandum dato, & videbis gloriam Dei.

Ad lumbricos remedium mirabile.

Nigellam tritam cum garo bibendam dato.

Ad cognoſcendum vter, maſculúſne, aut fœmina ſterilis ſit.

Lentem in vtriuſque vrinam ſeorſim conijce, & vtrius lens germinabit, ille filios creare poteſt: cuius verò non germinabit ſterilis erit.

Ad rigorem.

Scribe in tribus malis, vel pepolis ſic, aut ita dicas, ſanus, drauus, danonus, danubius, & eſui dato. *

Confectio gari Ioachi Martyropolitæ.

Accipe fruſtū panis nō fermētati, nō conditi, putrefacti librā, nigellæ tziaricam

vnam,ſemicontuſæ menthæ,calaminthæ,buniſæ ſiccæ,ſingulorum ſemilibram, rutæ,thymbræ ſylueſtris,fœniculi,ſingulorum tramia quadraginta,aneſi tramia triginta,nanachuam tramia quadraginta,vuarũ paſſarum, pinguium maurarum ſemilibram,palmularum mundatarum tziaricam vnam,mellis veribilari meliſij ſemilibram, ſacchari cantij tziaricam vnam, roſarum ſiccarũ, aut liquoris ab eis per ignem extracti tramia centum, hæc in dolio ponenda ſunt cum aqua, & per quadraginta dies ſoli exponenda, ipſa præterea deijcienda ſunt in linteo mundo deligata ligni aloes tramia quinq;, ſpicæ tramia ſeptem,caryophyllorum tramia duo,croci tramia tria,maſtiches,thuris,vtriuſque tramia decem,corticis ſtruthij tramia quindecim, muſci tramium vnum, ambræ tramium vnum: hæc omnia inijce linteo pone, eáque in medio eo ſucco,& poſt quadrageſimum diem,aquã ſucco ſupernatantem proijce in aliud vas, & ſucco aquam alteram impone, atq; vtraque illa iterum ſoli expone.poſtquam autem totum ius coactum fuerit, imponito in altero vaſe,in cacabóque nitido,aut olla decoquito ad tertias,maturiſque cotoneis impleto,neque ex medio garo vnquam linteolum eximas,ſic enim optimum garum habeas & omnibus hominibus vtile.

Ad capitis dolorem Barnabæ monachi.

Accipe fabarum farinam pugillum,maſtiches parum cum modico etiam cumino,hæc in vnum miſcẽda ſunt,indéq; cum ſucco malorum cotoneorũ emplaſtrum faciundum eſt,quod membranæ illitum fronti apponendum eſt.

Ad vrinæ difficilem exitum.

Optimum vnguentum inijce in vrinarium meatum & ſtatim minget,aut mel cum canabi ſylueſtri in vnum miſtum perinæo impone, aut muſcum impone vrinario meatui.

Ad ſanguinem è naribus profluentem.

Canabis folia arida & trita in narem inſufflato.aut lineum pãnum vſtum,& ex aceto tritum in nares inſufflato.

Ad muliebres vteros.

* Obſonium ex iuſculo, & verum amanetarium,& cardid vſtum ex vino veteri bibendum dato.

Vt fructus arbor non amittat.

Lilij radicem arbori ſuſpendito,fructúſq; ſtabilis manebit nec decidet.

Ad vulnus.

Cor cum pelle & cornu cerui comburito,& ex oleo illinito.

Ad ſtomachum.

Rutam & thymbram,& cuminum,& menthæ radices potui dato.

Ad impetigines.

Piper ex mulieri lacte terito, & illinito, curabitur etenim.

Ad dolores dentium.

Oui putamina,ſepiæ teſtam, & oleum ſimul miſceto, & ad tertias decocta tepida dolenti loco apponito.

Ad lumbricos.

Cornu cerui ramenta ex vino veteri à balneo potui dato.

Ad vrinæ difficultatem.

Coriandrum,mẽthámq; ex aqua & melle ad tertias decoque,& bibenda dato.

Ad vulnus dulce.

Suillum ſtercus cum oleo & aceto acri miſceto,& locum panno ſetaceo excoriatum prius illinito.

Ad laterum dolores.

Paliuri radicẽ donec tertia pars remaneat ex vino coctã,à balneo bibendã dato.

Ad iecur & ſtomachum.

Aloes & ſpicæ,vtriuſq; miliariſiũ ex vino potãdũ exhibeto à balneo,& curabis.

Ad ſomnum conciliandum.

Luto facto ex ſtercore capræ & triſagine faciem illine.

Ad tuſſim.

Semen raphani, fœniculíque ex melle potui dato.

Ad cordis dolorem.

Rutam, lini ſemen, & fœniculi cordi imponito.

Ad lumbricos.

Lupinos, baccas lauri, & fel tauri,ſimul miſta vmbilico imponito.

Ad hæmorrhoidas.

Teſtudinis teſtam ſuffito.

Ad exuſtionem.

Vitellos ouorum toſtos in ſartagine in modum emplaſtri impone.

Ad pruritum.

Garo, ſulfure ignem non experto, & oleo illinito, & miraberis.

Ad morbum regium.

Chryſolachani ſemen, mel, & crocum confundito,& lectulo cubantem illinito. bene faciet.

Ad vermes.

Chamæleontis radicem tritam adiectis ſummitatibus vrticæ tritis imponito.

Ad tuſſim.

Fœniculi radices tritas da per nouem dies ieiuno bibendas, & mirabere.

Ad comam.

Maluam & ſaluiæ radicem,diligenter tritas cum vino optimo in vas conijce, poſt ablutionem comam illinito.

Ad aurium dolores.

Rubi expreſſus ſuccus, tepefactus, in aurem inſtillatus dolorem ſedat.

Ad regium morbum.

Chryſolachani triti, mellis, vtriuſque cochlearium, da ieiuno calidum ex vino. Aliud admodum bonum. Tenuem venam auriculæ dextræ inſidentem ſecato, & ſanguine effluente, effectum mirabere. quod ſi lien malè habeat, idem facito in ſiniſtra aure.

Ad hepaticos,lienoſos & ſtomachicos remedium quod non fallit.

Viticis grana, in potum & in cibum dentur cum vino mane veſperi. Aliud. Apij & petroſelini macedonici ſemen,& cicer, & viticis grana,omnia trita ex vino calido dentur bibenda.

Remedium ad renum vitia.

Erucæ, & naſturtij, & raphani ſemina trita ſimul in vnum miſce, & cum melle Attico exhibe drachmam ex vino veteri.

Baſilij icti melitinoti victus ratio ad notarium regium grammaticum.

Confectio vini perſpicui & coccini.

Dolium quod viginti menſuras capiat vino reple, & ex eo exime mēſuras duas, & in ollam lapideam inijce, & adde ſeminū fœniculi, apij, vtriuſq; miliaria centum aneſi miliaria quinquaginta. poſtea verò oportet vt ferueat bene, deinde vt colletur, & cum ſextarium fuerit in dolium infunde, deinde accipe tripſidij miliaria centum, caryophillotum miliaria quinque croci miliarium, maſtiches miliaria tria, cyperi, ligni aloæ, vtriuſque miliatia v. trita omnia ſimul, & creta impone in lineum linteolum, & in medio dolio collocato, & vtere.

Eiuſdem ad roborandum ventriculum pituita refertum, & capiti dolorem afferente.

Oportet vt mellis roſacei quotidie accipias miliaria viginti, ſeminis apij miliarium, aneſi ſeminis miliarium ſemis, & vſque ad meridiem à cibo te contineas, deinde comedas. nam ſic te facere inſtituimus quia roſa ſtomachum roborat, maſtiche calefacit, fœniculum & apium ſi in iecore aut liene reperierint copiam atrorum humorum detrahunt, ac per lotium vacuant abſque vlla moleſtia. aneſum, quia è ventre flatus propellit, atque ſtomachum firmat, & propterea iuſſimus vt à cibo ad meridiem ſe cōtineat, ne morbus quiſpiam alius appareat, & vt herbarum vis in ventriculo permaneat. poſtquam autem decem pertranſierint dies, eundem ordinem ſeruato aſſidue cum roſaceo ſaccharo vt robur ſtomacho addatur, & ſine dolore viuas. Sed & alimenti rationē in hunc definiuimus modū.

Ratio victus in cibo & ieiunio.

Expedit vt primo die amygdala amara decem comedas cū pane & vino quantum ſit ſatis. Secundo verò comede mel cum pane quantum ſatis eſt. Tertio agni aniculi carnem comedito, eiuſque ſcapulam elixam igne torreto, cum biſcocto pane & vino quod ſatis ſit edito. Quarto orizam ſoli aquæ incoctam appoſito melle, comede cum pane & vino quantum ſit ſatis. Quinto grana mali punici, amygdala, allium, cum dauco, ficis aridis, & paſſis vuis, melléque coquito, & cum pane & vino quātum ſufficiat comede. Sexto eodem modo aniculam carnem in ſartagine cum dauco coque, & cum pane comede vinóque quantum ſatis ſit, vt videlicet punici mali facultas reprimatur, quę frigida eſt, & propterea inſtitutum eſt vt adminiſtraretur malū punicum, vt ea refrigerarētur quæ prioribus quinq;
* diebus ſunt aſſumpta, erant enim reuera calida. Die ſeptima carnē minutim cōciſam cum ciceribus & condimentis coque, & quantum videatur ſatis comede. Octaua die carnem cum aceto, caricis, amygdalis, nucibus ſyriacis, croco, dauco, vua paſſa, cum alijs carnibus conciſis coquito ex melle ſufficienti quantitate, & comedito cum ea vini portione quæ ſit ſatis. Sed decima die in eſu carnium & ieiunio ea ſit ratio, vr mali punici grana, quemadmodum & prædicta decoquas, & edas quæ ſinr tibi ſatis. Hæc ſit victus ratio quantum ad ſumendos cibos pertinet. In hora cœnæ vtere menrha ex melle, vt cibos concoquas, ne multa in ventriculo gignatur pituita. Dum autem ſanus degis, noli ſine alicuius affectus occaſione, venam ſecare. at cum morbus aliquis caput inuadit, venam ſecato quæ cephalica vocatur, & detrahes ſanguinem ad miliaria decem. quod ſanè bis feceris, menſe videlicet Aprili, & Septembre, atque per tres dies antea, & per tres poſtea abſtinentiam inſtirue, auxiliúmq; aſſumito bis prædictis mēſibus. Vtere præterea propter ſomnum capitibus papaueris. & à venere te contineto, niſi forte ſemel in

hebdomada, si ita volueris, & post mediã noctem. Iulio autem mẽse & Augusto * per duos dies ciendus est vomitus, & vtrunque quia vnico die non videtur stomachus posse purgari. quum verò vomueris, caue ne ante, néve post aquam bibas. quum etiam vomis oculos vela & deliga, stánsq; ex loco edito aut super flumen vomito. à vomitu si sitias, sitim tollera & ieiuna. Oporret autẽ à mense Aprili vsq; ad Nouembrem vniuersum balneo vtaris, mensibus autem quibus id vetatur, à balneo abstineto, quòd si lauari volueris, id in hebdomada semel fiat, semper verò ieiunus lauator. Sed si sitias, temperatam aquam bibito, atque postquam exieris, caput oleo vel lacte muliebri, quæ fœmellam pepererit. pedes verò per noctem aqua calefacta cum furfuribus pedes ablue.

Ad capitis dolorem.

Amygdalarum libra tres, seminis cucurbitæ libram, & oleo ex vtrisque expresso inunge capitis verticem, nares, manus, & pedes.

Aduersus vini offensam.

Accipe cotonea mala matura dulcia, & ea mũdato, & succum ex ipsis expressum vino inde.

Inunctio experta ad artuum dolores, & intertrimenta manuum, & corruptiones, adustiones hyemis, & ventorum quæ lingua saracenica dicitur Tlen.

Cõfectio se habet in hunc modum.

Accipe anserini adipis parres duas, medullam cerui iuuenis, & martasancem, raparã, & mel coctum sine fumo & percolatum, eáque in lapideam sartaginem imposita feruefacito donec prædicta pinguia liquescant, quibus adhuc calidis martasancem inijce, & vbi prorsus refriguerint, mel addito, & perinde ac malagmata subigito, ad ignémq;, aut in furno inungito, & bene perfricato, inungito autem quatenus dolor habeat.

Ad ægilopas, hoc est fistulas angulorum oculi.

Fel bouis, & picem liquidam cum aceto in vnum misceto, & inde factum emplastrum imponito. Aut folia rutæ cum chorygio in foramina imponito.

Ad vulnera incurabilia.

Ariorepanij radicem, in vinum dulce imponito & bibendum dato ægrotanti.

Ad pulmonum inflammationes.

Terito quindecim grana piperis, totidémq; micas salis, & teaphen addito, simulq; cum fimo gallinaceo flauo ex oleo illinito: Aut dauci semen, & nigellam, & porrum, omnia trita in potum dato. *

Ad talpas.

Accipe trisaginem & hordeaceam farinam, & hæc cum melle fermentata illine, & in modum cataplasmatis impone.

Ad dolorem ventris & stomachi.

Conijce thus in cacabum cum vino antiquo, idq; decoquito donec tertia pars reliqua sit, quòd bidendum in balneo dato. Aut oleum & vinum eodem modo coquito & in balneo propinato.

Ad stomachi vitia.

Cuminum & cinamomum conterito, & myrrham, mastichen, & bliscunæ modicum adijcito, deinde cocta & mista potui offerto: aut mẽthæ ramulos tres, & grana punici mali, & palmulas propinato.

Ad debilitatem genuum.

Lini semen & mel in aqua feruefacito, & cordi in modum cataplasmatis imponito.

Ad dolorem lateris.

* Ex cumino triticea farina & vino veteri cataplasma facito, & cordi superdato.

Ad lienosos.

Brassicæ folia, ammoniacum, acre acetum, omnia misceto, conterito, & locum per triduũ oblinito: aut platani folia aquæ incoquito, quoad tertia pars supersit, & potui dato: aut brassicæ folia igne torreto, & trita ex igne propinato.

Ad profluuium sanguinis muliebre.

Taurini cornu ramenta ex aqua pota sanguinis profluuium sistunt: aut lulacem, & brassicæ semina, & scammoniam in vnum misceto, & potanda exhibeto.

Ad stomachi compressionem.

Accipe gallas tritas, & rhoi flores, aut malicoria, & vsque ad tertiã partem decocta: aut fœnigræci melli incocti ius potui dato.

Ad cœliacos: hoc est ventriculosos.

Nasturtij semen in nouã ollam conijce, & decoque, deinde ouum separatim elixa, & eius putamen detrahito, & ipsum diligenter conterito, & nasturtij semini elixo adijcito, & vnà feruefacito, atq; si velit ægrotans, edito, sin id non possit, aquam potato: aut taurinos renes frictos potui dato: aut veterem caseum acri aceto incoctum ieiuno esui dato.

Ad vrinæ difficultatem.

Pagurum fluuiatilem conterito, & panniculo expressum potui exhibeto: aut fœniculi radices ad tertiam partem decoctas laboranti propinato.

Ad exterius prominentes ani tumores.

Viuam calcem & recens arsenicum in vnum mista imponito.

Ad artuum dolores.

Quinqueueruium, & scorpidium, & acetum modicum misceto, & locum oblinito: aut sinapi & caricas in vnum conterito, & in balneo superdato.

Ad dolorem genuum.

Maluam, hordei farinam, lini semen vnà contere: & in sartagine cum oleo fricta loco impone.

Ad ossa fracta.

Accipe picem, thuris puluerem, palmulas, maluæ florem, oui album omnia mixta imponito, & stupa superaddita, calamis ac fascia deligato, sanabitur.

Ad quartanam.

* Vinum vetus trisaginem incoctam habens ter potui dato.

Ad morsum scorpij.

Testam igne candẽtem impone: aut alam ex melle potui dato: aut humum respiciens, quem lapidem premebas, eum imponito.

Ad veneficia & præstigia.

Caridion & latum cuminum & zochij radicem ad tertiam partem decoque, & ex vino vetere potui da: gestet & glaneum ossa. hæc enim suffita dæmonas abigunt.

Vt mulier concipiat.

Leporis vterum frige, tritúmq; assiduè propina, habeat autẽ & leporis sanguinẽ: aut vulpis stercus cũ seuo bubulo misce, & mulieris viríq; genitalia inunge.

Ad fœtum in vtero mortuum.

Muliebre lac cum melle & radicibus amaranthi potui dato, & exibit.

Vt lac abundet.

Fœniculum & anethum cum melle & vino decoque, & quotidie mammas obline: lacte mulier affluet

Ad vteros.

Auem iugulato, & festucam lineo panniculo inuolutam intra auem condito, atq; ita elixato, & ius potui dato: suito verò auis oculos, & manetarem verum, & caridion vre, & propina.

De inuoluntario mictu.

Gallinæ gulam gutturi annexam cōterito, & vrito, ac iterū diligēter terito, & * ex vino vetere potui dato.

Ad roborandum penem.

Rapi semen tritum melli admisceto, & panniculo atrito illitum peni circundato.

Ad scabiem vnguium.

Sinapi menthámque ex aceto coctam imponito.

Ad intertrigines.

Muscum marinum aquæ marinæ incoquito, & expresso humore imponito.

Ad podagram.

Accipe myrrham Mur vocatam, herbámq; pulicarem, aut pyzurcatū mystri * mēsura ex aceto, pedes illinito.

Ad roborandum stomachum.

Accipe lignum aloes, acorum, cyperum, mastichem, thus, nigellā, fœniculum, & spantos, valde cōterito, & in vnum corpus redigito, & ex succo punici mali, & * melle super carbones cocto potui offeras.

Ad sputum.

Rosaceum zupha, aut hyssopi, quod ad tussim facit, & angustiam & dolorem * pectoris, compositio hæc est. accipe manusiacorum drach. ij. vnapia, vel zinzipha * numero viginti, zepistania, vel myxia totidē, ficos aspr. dulces numero quindecim, * aut dulcem radicem semitritam mēsura drachmæ: chaschasis cōtusi, vel papaueris * capitulorū drach. quinque: paresausa, vel polytrichi, drach. ij. anesuen vel * dulcis anesi drach. ij. tolme caraus, vel apij seminis drach. ij. vuas passas, grana bo- * na logarices s. zupha vel hyssopi drach. tres, rhazani, vel seminis fœniculi drach. * ij. vuas passas, granáque mixta lauato, & emóschasum ex aqua refrigera per diem * vnum & summo mane: & elixatum cum prędicto videlicet logaricyon vnc. quatuor, * & tātisper decoquatur, donec aquæ remaneat logarica vna & semis: & tunc * percoletur, vt certe sciatur in ipsa nullam remanere materiam, deinde sacchari * logaricam vnam addito, vt zulapion fiat: & quotidie vnum potato per dies octo, * & oleum amygdalinum instillato.

Ad vomitum biliosum.

Bilem vomentibus huiusmodi cataplasma adhibendum est, quod ex his constat: palmulis, ficis, gallis iū vino aut posca incoctis & pane exceptis: acacia præterea, hypocistis, & balaustia, & rhus cataplasmati adijciantur: item cucurbitula magna cū multa flamma stomacho si affigatur benefacit. cibus paucus & crebro exhibendus est: verùm ad atram bilem vomentes & stomachum inflatum spongias aceto acerrimo calido imbutas adhibeto, aut ex hederæ folijs vino incoctis cataplasma facito.

De singultu.

Singultus aut ex repletione, aut ex inanitate, aut ob acres humores stomachū

mordentes excitatur, quibus vomitu reiectis desinit. plerique autem, si cõpositione ex tribus piperibus deuorata, mox vinũ biberint, singultire solent. cibo præterea immordacem qualitatem corrupto quidã singultiunt: vomitũ sanè ob plenitudinem, aut morsum singultienribus remedio esse inuenimus: caliditatem ijs, qui ex refrigeratione: si verò ex humorũ copia singultus fiat, euacuare vehemẽtius oportet, id sternutatio præstabit: si ab euacuatione singultus sternutatio nõ curat. singultientibus autem ruta ex vino danda est, aut nitrum ex mulsa, aut seseli, aut daucum, aut cuminũ, aut zingiber, aut calamintha, aut nardũ Gallicum: hæc singultibus ex cibi corruptela, aut ex frigore, aut ex multitudine ciborum auxilia sunt. Ad eos verò qui ob frigidorũ, aut crassorũ succorũ multitudinem singultiunt, castoriũ ex posca potui datum benefacit: cuti quoque ex oleo vetete cucumerino illitum prodest: scillinum quoque, aut mulsum acetum potum iuuat: item spiritus retentio magnificè singultum discutit.

Ad pedum intertrimenta, scissuras, & perniones.

Rubricæ vel sinopidis, & cymoliæ paribus portionibus ex caprifici succo illinito. Aliud. Hederã, calamintham & salem in aqua simul incoquito diligẽter, ac * pedes semel atque iterũ lauato, & sanitatem recuperant. Aliud. Muriam crassam calidæ aquæ admisceto, ex ea pedes ac perniones foueto. Tertiũm, sal, cuminum, oleúmque misceantur, & prius inunctos pedes illinito curiosè: nã materia elabitur per insensiles meatus.

Ad podagram.

Sedi succo cocto diligenter vtere. Aliud. Vini succum asinino lacti, ac passo misceto, & illinito. Aliud. Phocæ, leonis, lupi, aut vulpis corium elaboret, & calceos gestet, pedes nõ dolebit. Aliud. Tres vespertiliones pluuiali aquæ incoquito & deinde huic aquæ imponito, lini seminis triti vncias quatuor, oua cruda tria, olei ciatũ vnum, bubuli stercoris, cæræ vtriusque vncias quatuor, omnia in vnum corpus redacta subigito, & eunti cubitum semel atque iterum applicato.

Confectio aceti scillini ex Galeno.

Salubre ac optimum est quòd à Pythagora de scilla scriptũ est, id imperatores omnes in vsu habuere. referebatur autem ab eo qui nobis illud tradidit, quòd qui illud assumeret, longioris vitæ redderetur, quódque eius extrema sint integra in finem vsque perduratura: & ille quidẽ senex Samius, neque enim ignoras quãto ille tẽpore vixerit, in suo de hac re libro narrauit, quòd eos qui ad eius genus, attinebãt huius medicamẽti participes fecerat: & quòd quum hoc medicamento vti cępit, quinquagesimũ agebat annũ, & ad centesimum decimũseptimũ peruenit integer semper, & absque vllo morbo. Hęc referebat author istius medicamẽti, qui vir forsitan Philosophus erat, & mẽtiri nescius. Nos autẽ de huiusce viri fide facto periculo, affirmamus facultatẽ huius medicamẽti firmam esse, & quæ minime fallat. Oportet itaque scillã mõtanam ponderis libræ vnius accipere, duráque circũcidere, mollia verò minutim cõcidere: atque in vitreũ vas inijcere aceti acerrimi sextarios octo, & id obturare: & ita per triginta dies canicularibus caloribus macerari sinere. deinde verò exemptã scillam exprimito, ex hoc parũ mane sorbeto. Hoc enim assequeris vt fauciũ & oris partes nunquã molles reddãtur: & vt os ventriculi bene valeat, vtque respiratio facilis sit, bene etiã vox habebit, oculi acutissimè cernent, auresque audiẽt, nullus flatuosus spiritus in ventre cõsistet, viscera nõ habebis suf-

pensa, bene spirās, boníq; coloris æris, ad ciuilia negotia bene affectus. nō acidum ructabis, nō salsum. si ieiunus aliquid aceti acceperit quispiā, eúmq; instituerís vt septē stadia perambulet, nā sic dissoluetur. Qui prærerea eo vsus fuerit, ea abutatur victus licētia quā voluerit, nā omnia cōficiet, vt à nullo vnquā lędatur, ad nimiam plenitudinē nunquā deueniet, sed in melius semper tendet, nullum in corpore excrementū aceruabit, non flatum, nō bilem, nō stercus, nō lotium. id enim omnia ad excretionē, & eductionem prompta reddit, aluus omnino lubrica euadit: est enim hoc medicamentū corporis purgatoriū, quamuis ossibus sordes infixę sint. sępe vidimus phthisicos ab oībus destitutos hoc medicamento pristinæ valetudini restitutos: comitiales præterea morbos diuturnos nō parum iuuit, vt nō nisi per longa interualla inuadāt: incipientes autē & nouos perfecte curat, hominem etiā ab hoc morbo tuetur: podagras quoq;, & articulares dolores, iecoris, lieníſq; duritias tollit. Particulares effectus huiusce aceti hi sanè sunt, cōmunes verò plurimi vnde cōmoti sumus, vt huius medicamēti te faceremus participē, sanitatis nimirū ac integritatis gratia.

Confectio vini scillini ex Galenó.

Vinum hoc epotū omnem sanitatē elatgitur. attenuat enim humores, precipue verò pituitā, quā nec in stomacho, neq; in vētre, neq; in capite, neq; in iecore, aut liene, neq; in ossibus, neruísve cōsistere permittit neq; aliū præterea viscidum humorē, qui obstrutiones possit efficere: imò omnia soluit, & aluū mollit & subducit: sed & lotia cit, & per ipsa causas attenuat & educit: sic etiā caput purgat vt nares humiditate careant. confert podagræ, atticularibus doloribus, comitiali morbo, & tandē omnis sanitatis elargitor est. conficitur autē hoc pacto. Accipe scillā albā mōtanam circa canis ortū libræ pondere, & per dies decem in vmbra refrigera: deinde refrigerata folia in vas vitreū conijce, desupérq; vini albi veteris sextaria duodecim infunde, suspēsúmq; vas per dies quadraginta seruato, mox scillā extrahe exvino & abijce, vinóq; ad iam enarrata vtere, & vim eius percipies, quotidie ante cibū assumptis vncijs duabus vini huius. sin à cibo, vnciā mediam quòd si velis ipsum gratius ad bibēdum parare, vt magis delectet, sextarios duos aut tres mellis addito.

Medicamentū quod cōmanducatum è stomacho pituitam, gargarizatum è capite detrahit.

Origanum, gummi, hyssopum, sampsucum, pulegiū, thymū, hæc omnia vncijs tribus passi incoquito quatenus vna remaneat, & gargarizandū dato. si manducetur, materias è pulmone excutit, quotidie id facito, probatum enim est.

Ad eos qui vrinandi difficultate laborant, aut etiam eam reddere nequeunt.

Lectuli cimices terito, & eis vrinariū meatum illine, statim vrinam reddet, id ipsum pueris vrinare nequeuntibus confert.

Ad calculosos, est etiam ad ciendum lotium celebre.

Lauri baccas, & piper ęquis portionibus terito & cribrato, atq; ex mēsura vna mulsæ præbeto. sit verò mulsa calida. Aliud quod lapides atterit, mulieribus ac uiris vrinā prouocat. Lauri corticem aquę incoctum & subactū sorbendū exhibeto. efficax remedium est.

Ad sanguinis mictum.

Accipe zingiberis drachmas duas, seminis brassicę drach. iiij. papaueris drachmam. hæc succo excipe, & facito catapotia, & da laborāti. Ad vrinæ stillicidiū.

Thymi & fœniculi æquales partes terito,& ex aqua tẽperata calida potui dato.

Ad dolorẽ vrinarij meatus, vrinæq; difficultatẽ & anhelitus, & ad mictũ sanguinis, & calculos.

Accipe asari, myseos, nardi Gallici pares portiones,& melle Attico cocto,& despumato excipe, & magnitudinem nucis ponticæ exhibe.nã & seniores cõualescere facit. quibus etiam siccior sit effluxus, validiorem efficit

Ad eos qui mingunt inuoluntarie.

Lilij radicem elixam da potui. Aut alterci succum vel fructũ in vino & lacte maceratum inde in corium cerui, dextróq; femori alligato, & effectũ miraberis.

Aliud. Apri vngulas vstas ex vino bibendas dato. Aut galli testem tostũ dato edendum. *Ad inuoluntarium vrinæ mictum.*

Cochleam cum testa vstam & tritam in potum exhibe eunti cubitum.

Ad difficultatem vrinæ & calculum.

Lini semen, piper, petroselinum, tusa & cribrata ex cõdito accipe cochleariũ vnum. *Medicamen expertum ad exterendos calculos.*

Scorpiones marinos tres integros paruos vrito, & cinerẽ ex cõdito in potum dato. *Ad sistendum aluum.*

Rhum, orizámq; vino incoquito ad tertias,& per clysteres immittito. Aut iecur hirci, ex vino austero coctum in potũ dato. Aut gallas vstas probe terito, & adipem suillã cõmisceto, frixásq; ex aceto laborãti da edendas *** piperis drach. vnam, farinæ lupinorum drachmas tres, mellis cochlearium.

Ad sudores ciendos, & febrem tollendam.

Cachryos semen ex oleo inunctũ. Aut pyrethrũ ex oleo calefactũ & inunctũ post horã vnã accessionis. *Ad morsum canis.*

Vrticæ semen in modũ cataplasmatis appositum. Aut nigri marrubij folia vt emplastrum apposita. Aut apiastrũ ex vino potum, vel morsibus impositũ. Aut alia in modũ cataplasmatis imposita, aut tosta in cibum oblata vel in potum.

Ad morsus rabidi canis.

Morsibus rabidi canis imponito in modũ emplastri folia brassicę trita cũ lasere & aceto. nã & ea per se cõferunt morsui rabiosi canis, & eius præterea decoctum bibitũ. sed & elixa, & alijs cibis præassumpta phthisicos curat, sanátq; affectus arteriæ. trita verò & facto ex ea emplastro, lieníq; imposita illum extenuat.

Ad anginam, & colli dolorem.

Alba populus arida ex melle trita & illita cõfert. Aut nasturtij semen & fimũ columbinũ ex melle imponito. *Ad internas ani prominentias.*

Amaranrum aqua maceratum coque,& summo mane bibendum offer.

Ad lienem cataplasma valde bonum.

Inulam, sinapi, baccas lauri, secundũ proportionem accipe, & tere, ac deinde exime,& corticem nouæ nucis parum cõtundito, deinde in pilam conijce,& validius cõtunde, ac extractum in aceto per triduum macerandũ ponito, atq; in vnũ cum succo herbæ tiberiadis redige,& coque quoad fiat cataplasma, & lieni impone summo mane per dies octo corpore prius euacuato & mirabere. Aliud ad artenuandũ lienem. Capparis radicum vncias tres. calcis viuæ vnc.iiij. contunde & cribra,& ea cum aceto mixta appone lieni, nec vltra horam finito, vniuersum lienem absumet. Aliud. Decoctum brassicæ solum ex aceto mulso da ieiuno bibendum. Aut rubi radicem vsquequo tertia pars remaneat decoquito,& id de-

coctum per triduum dato. Aliud. Corticem nucis & aceto, & melle coctum ieiuno potui dato. Aut cādens ferrum in mulſum extinguito, & potui dato, & mirabere.

Ad dentes nigros.

Palmularū oſſa, maſtichen, & mel terito, & dentes per dies ſeptem fricato, & candidi reddentur.

Ad alui lumbricos.

Lupinos, lauri folia, & fel tauri miſceto, & vmbilico imponito, nam proderit.

Ad interiores & exteriores ani prominentias.

Amylum, picem, & aquam feruefacito donec tertia pars relinquatur, & per dies ſeptem potui dato.

Ad dentium dolorem.

Vitis racemū in ſartagine frigito ex oleo, & in aurē inſtillato, & bene habebit.

Ad hirudines.

Ariſtolochiam tritam inſperge.

Ad calculoſos.

Baccarum lauri & piperis partes ęquales miſceto, & ex eis da myſtrū vnum ex mulſa. Aliud quod calculos frāgit. Corticem lauri aquę incoque donec ad tertiā partem deueniat, & ſorbendū exhibe. Aliud ſimile. Turturis ſtercus vſtum ex mulſa præbeto, calculos enim per vrinam eijcit. Aliud expertū ad calculoſos. Struthij, rheu pontici, capparis, ſingulorū drach. vnā accipe, & ex his dato quotidie drachmam ex vino albo. & minget ſubſidētiam lapidoſam. Aliud. Origanū ad tertias decoquito ex aqua, ex eo decocto in potum dato cyathum vnum.

Ad vrinæ ſtillicidium.

Fœniculi ſemen, palmulas Thebaicas ad portiones pares conterito, & ex aqua temperata calida bibenda dato.

Ad vrinæ difficultatem & ſtillicidium.

Coſti, mellis, aquæ cyathos nouem accipe. ex his in potum da craterem, merāde tamen prius expetita. Aliud. Cyperi Aſiatici triti cochlearium, ex vino meraco, aut ex melle exhibe, probatum eſt medicamentum.

Ad vrinæ difficultatem.

Petroſelini Macedonici triti da cochlearium.

Ad ſtillicidium.

Cucurbitam aridam tritam inſtar farinæ, dā ex aqua quātitate cochlearij parui ad bibendum.

Ad mingentes in ſtragulis.

Leporis cerebrum ex vino bibat. Aliud. Veſicam aſſam comedendā dato per triduū. Aut cyperum tritum * * bibendū dato. vel teſtem leporis ex vino odorato tepido in potum dato.

Ad ſtillicidium.

Arborem thuris diutius feruefacito in vino, & per triduū potui dato * Accipiens raphida marinum piſciculum vrito, & cinerem bibendam offerto.

Ad impetigines.

Cornu cerui ramenta ad tertias ex acerrimo aceto coquito, ac illinito.

Ad ferinas impetigines.

Hordeaceā farinā acri aceto miſce, & illine. Aut haſtulæ regię radicem ex aceto terito, & inungito frequenter. Aut linteum lineū vrito ſuper ferro candenti, & illinito. Aut folia virentis nucis coquito, & facto cataplaſmate apponito. hoc valet etiam ad ſcabiem.

Ad dolorem & inflammationem penis.

Cuminum & oui putamina plurimum decoquito, & foueto & mirabere.

Ad impetigines.

Allium & theaphen, aquã & oleũ ſimul miſce & illine. Cataplaſma ad recentia vulnera ex enſe vel ligno. Salicis folia trita imponito & ſanguinem reprimes, & vulnera cõglutinabis ſanitatẽmq; reſtitues. Aut fimum ouillũ ex oleo tritum in modum cataplaſmatis imponito.

Ad medicamenta pernicioſa.

Rutam, ficum, & nucem terito & ex vino da in potũ. Aut fulicæ ſanguis liquidus cum oleo bibitus eos ſeruat qui medicamẽtum venenoſum auferunt, & eos quos momordit vipera.

Ad fluxionem gutturis.

Hirundinis nidum ex aceto terito & illinito.

Ad tumores mammarum mulierum.

Si caprinum ſtercus aridũ teras ex vino meraco, & imponas, inflãmationem ſolues.

Ad lupinum capitis dolorem.

Stercus ſuillum vrito, cinerẽmq; cum melle miſceto, & caput prius raſum illinito, appoſitis deſuper braſſicæ folijs.

Ad tuſſim & febrem hecticam.

Storacem & braſſicę ſuccum ſimul terito, & ea fermẽtata ieiuno, & eunti cubitum exhibeto. Aut olei laurini & optimi vini vtriuſq; drachmas tres accipe, & miſce, & calefac * in balneo exterius: & vinum oleũmq; calidũ tẽperato & ſtomachum foueto. Aliud. Lixiuio collato calido pedes foueto, & ſpongia deterſos illinito & foueto, hoc tuſſes curat.

Ad tuſſes.

Reſinam tritam ex vino veteri bibendã dato. Et decoctũ pulegij ex poſca bibatur: & beronicem cum melle fermentatam edendam dato. Aut raphanum toſtum comedendũ offerto mane & veſperi. Aut butyrum ſine ſale quantitate nucis auelanæ deuoret.

Ad humores in pectore detentos.

Vrticæ folia ptiſanæ incocta potui dato: ſed ad inflationes benefaciunt, materiãmq; ex pectore educunt.

Ad tuſſes.

Fœnumgręcum decoctũ quouſq; tertia pars ſuperſit, & eius iuſculũ ſummo mane ex melle bibat. Vt vox canora fiat. Tragacantha vino madefacta & epota vocem claram efficit.

Ad amiſſam vocem.

Styracem terito, ex qua catapocia ex aqua formato magnitudine ciceris, & tẽr dato, ſtatímq; loquetur.

Ad augendos capillos & barbam ſi decidant.

Betam cum oleo myrteo, & polytrichum miſce & illine capillos. Aut adiantũ & ladanum paribus portionibus terito ex immaturo oleo, vel myrtino, vel lentiſcino, & illine. Aliud. Ladanũ madefactũ in vino amineo & oleo myrtino terito ad mellis ſpiſſitudinem, & in balneo caput illinito: melius autem eſt adiantũ, quòd nõnulli polytrichum vocãt. ſi ſeptimã partẽ ladano indideris & inunxeris.

Ad dolorem renum.

Pulegium cũ farinæ furfuribus decoquito, & in ius collatum demiſſa ſpongia foueto.

CLAVDIO GAL. PERGAMENO ASCRIPTI

De facile parabilibus libri finis.

CLAVDII GALENI PERGAMENI LIBER DE SVBSTITVTIS MEDICINIS.

Iul. Martiano Rota interprete.



E ſubſtitutis medicinis cum & Dioſcoridem & Philiſtionem & Euriphontem ſcripſiſſe conſter,nos quoque pauca de his tradere nō recuſabimus:ſubſtitutas medicinas appello quę in alterius locum ſubrogari queunt. Has medico notas eſſe multū opis affert. euenit enim plerunque vt ea medici deſyderent quę ad ſalutem alicuius plurimum conferre iudicarunt, nec illa interim aduertant quæ in earum locum ſubijci poſſunt, quod ne contingat,medicinas omnes in vnum contuli, quas viribus eaſdem eſſe compertum habeam,idq; ideo feci,quo promprum ſemper quibuſcunque in morbis conueniens remedium foret.Occaſionem aurem librum hunc conſcribendi nobis attulir id quod tibi Diogeniane vehementer iſta ſcire cupienri nunc referam. Alexandriæ cum eſſem, mulier quædā graui morbo periclitabatur, morbi cauſam explicare cum nihil interſit,nūc opus non eſt.Huic opem allaturus lyſimachiam herbam cum quæſiuiſſem,nec reperiſſem, niſi ſtatim AEgyptiæ ſpinæ ſemine lyſimachiæ loco vſus eſſem,periſſet mulier,quæ illo propere dato,ſuppreſſo ſanguine,mox conualuit.Hoc factum medici pleriq; accedētes cum mirarentur,inrerrogarunt me,quid morituræ fœminæ pro lyſimachia exhibuiſſem,quibus ego AEgyptiæ ſpinæ ſemen cum reſpondiſſem,idq; in cōpluribus fieri poſſe dixiſſem, non deſtiterunt mecum precibus agere, quoad medicinas quæ in aliarum locum ſubſtitui poſſunt,vnum in opus conferre promitterem, ſic itaque libellum hunc De ſubſtitutis medicinis cōpoſui,in quibus recenſendis quò magis expeditum vſum haberent,ſeriem literarum ſeruaui,principiúmq; ab earum prima ſumpſi.

A		*Ammoniaco ſuffitu*	*Propolis*
pro *Abrotono*	*Origanum*	*Ammoniaco ſale*	*Cappadocus ſal*
Abſinthio	*Abrotonum*	*Amomo*	*Acorus*
Acacia	*Succus lentiſci*	*Amylo*	*Gyris ſicca*
Acoro	*Radix aſari*	*Amygdalis amaris*	*Abſinthium*
Amianto	*Aphronitrum*	*Anchuſa*	*Hyacinthus*
Agallocho	*Calamus odoratus*	*Aniſo*	*Daucus*
Agarico	*Euphorbium aut epithymum*	*Arace*	*Seſamum*
		Ariſtolochia rotunda	*Ariſtolochia longa*
Alga	*Anchuſa*	*Argemone*	*ſiſymbrium*
Aloe Indica	*Aloes viridis folia,folium vel glaucium,vel fimus ibis,vel lycium vel centaurium*	*Armenio lapide*	*Atramentum Indicum*
		Aſbeſto	*Adarce*
		Aſphalato	*Ericis ſemen aut viticis*
Alumine	*Sal foſſilis*	*Aſphodelo*	*Succus betæ*
Ammi	*Aniſus*	*Aſaro*	*Zingiber*

Asio lapide	Gagates aut sal ammoniacus tostus	Crocodile adipe	Canis marini adeps
		Cumino	Bassicæ semen
Auripigmento	Sandaracha	Cynosbato	Solani vesicariæ semē
B		Cyperi	Iuniperus magna
pro Balaustio	Malicorium	Cyphi	Carica combusta
Bdellio	Sphagnus odoratus	D	
Bitumine	Pix brutia humida	pro Damasonio	Eryngium
Brutia pice	Pix in aceto feruefacta	Dauci semine	Sij semen
Buccina	Ostreum	Dictamo	Saluia
Bupresti	Laser aut hirudo	Diphryge	Phrygius lapis
Butyro	Lac bubulum concretum	Dorycnio	Altercy semen
C		Dracontio	Aron
pro Cadmia	Leucographis AEgyptia	E	
		pro Ebisci radice	Folia mori
Calamo odorato	Sphagnus	Elaterij succo	Eiusdem herbe succus
Canchri	Lauri baccæ	Elleboro nigro	Papyri radix
Cantharidibus	Phalangia	Ennea phyllo	Potamogiton
Capparis radice	Erices radix aut myricæ	Epithymo	Colocynthidis semen
		Ericis fructu	Galla immatura
Cardamomo	Fructus myrti	Erini folijs	Stercus ibis
Casia	Cinamomi dimidiū	Erucæ semine	Erysimi semen
Castorio	Silphium	Erucis pini	Vespæ cum cedria
Cedria	Ladanum	Erugine	Atramētum metallicū
Ceraunio	Leucographis	Erysimo	Strutij succus
Ceruina adipe	Anseris adeps	Euphorbio	Stercus colūbæ agrestis
Cera	Faba fressa cum propoli cocta & trita	Eupatorio	Chamæpitys
Cerui cornu	Caprinum	F	
Cerussa	Scoria plumbi	pro Felle cameli	Fel ascalabothi
Chalbano	Sagapenum	Felle mustelæ	Fel cameli
Chamedry	Lapathi radix	Felle hyenæ	Fel perdicis
Cicuta	Semen coriandri	Felle viperæ	Fel ichneumonis
Cinerula cypria	Cinis foliorum oliuæ	Flore æris	Squamma æris
Cinabari	Rosei pastilli	G	
Cinamomo	Casiæ duplum	pro Galla	Palestræ sordes
Clinopodio	Heliotropium	Gentiana	Radix apij odorati
Cnico	Viticis semen	Glycyrrhizæ succo	Mori succus
Colocynthide	Ricini semen	H	
Colophonia pice	Pix nauibus detracta	pro Hebeno	Loti arboris lignum
Corallio	Moly aut symphitum	Hederæ succo	Perseæ succus
Costo	Cedri fructus	Hedychroo	Amaricinum
Cotelydone	Anagallis	Hyacintho	Flos isatidis
Crinanthemo	Aphrodisias	Hyenæ adipe	Vulpis adeps
Croco	Crocomagma	Hyoscyamo	Solani vesicariæ semē
Crocomagmate	Agallochus Indica	Hippuri	Aiuga


Hyperico	Aneti semen	N	
Hypocystide	Acacia	pro Nardo Syriaca	Iuncus odoratus
Hyssopo	Thymum	Napi	Rapæ semen
I		Nepita	Agrestis mentha
pro Iri Illirica	Helenium odoratum	Nucleis pineis	Cucumeris semen
Iunco odorato	Cardamomum	Nuce pinea	Galla
Iunco palustri	Polygoni radix	O	
L		pro Ochra	Mysi cyprium
pro Lapathi radice	* Pyrethri radix	Ocymo	Sisymbrium
Lapide Phrygio	Lapis argyrites	Ocymoide	Mentha agrestis
Lapide Asio	Gagates lapis	OEnanthes succo	Vitigineus succus
Lapide pyrito	Lapis pyrobolos	OEsopo	Vituli medulla
Lauri baccis	Serpillum aridum	Oleo cicino	Laurinũ aut vetus o-
Lathyri	Granum cnidium	Oleo vetere	Feruefactũ duplũ leũ
Lentisco	Terebinthus	Oliuæ lachryma	Hypocystidis succus
Lepidio	Rubia	Omphace	Galla immatura
Lepidij radice	Folia capparis	Opobalsamo	Gutta myrrhæ
Lepore marino	Lepus fluuialis	Opopanace	Lac sycamini
Lini semine	Fabulum	Oryza	Farina hordei
Loti semine	Betæ semen	Orminio	Lini semen
Lupi adipe	Vrsi adeps	Ornithogali	Anthyllis
Lygustico	Pastinacæ semen	P	
Lysimachio	Spine AEgyptiæ semẽ	pro Papaueris succo	Mandragoræ succus
M		Phu	Sphagnos
pro Magnete	Hemathites lapis	Pipere	Zingiber
Malabathro	Nardus Indica	Pipere albo	Nigri duplum
Malo cydonio	* Melilotum	Polij semine	Erucæ semen
Malua	Fœnumgræcum	Polypodio	Chamæleonis radix
Mandragora	Dorycnium	Polytricho	Absinthium
Manna	Thuris cortex	Pompholyge	Cadmia vsta
Mastiche	Lentisci caulis	Populi gemmis	Sampsucus
Medulla cerui	Vituli medulla	Propoli	Ladanum
Meliloto	Lotus herba	Psyllio	Lens palustris
Melle	Sapa	Pumice	Terra Cretica
Melle Attico crudo	Mel despumatum	Pyrethro	Zingiber
Mæo	Myrobalanum	Q	
Molybdena	Lithargyrium	pro Quercus visco	Chamæleonis viscum
Mori succo	Rubi folia	R	
Myrsinite	Succus mori	pro Rapa	*Heliotropium
Myrobalano	* Glaucium	Raphanino oleo	Ricini oleum
Myrrha troglodytide	Calamus odora-	Resina pini	Terebinthi
	tus	Roseis pastillis	Sinopis
Myrti oleo	Mori succus	Rosis siccis	Perseæ folia sicca
Mysi cyprio	Ochra cypria	Rhu Syriaco	Oxyacanthe fructus
Mysi tosto	Diphryges	Rubigine	Squamma ferri

S	
pro *Sagapeno*	*Resina pini sicca*
Saluia	*Calamenthum*
Salamandra	*Lacerta viridis*
Sale Ammoniaco	*Sal Cappadocium*
Sambuco	*Spinæ viridis folia*
Sampsucho	*Rhus coquinarium*
Samonico	*Abrotonum*
Satyrio	*Erucæ semen*
Scamonio	*Ricini semen*
Scylla	*Bulbus qui edendo est*
Scoria plumbi	*Plumbum productum*
Scoria cypria	*Melanteria AEgyptia*
Semperuiuo	*Lactuca*
Sepiæ crusta	*Pumex*
Sesamo	*Lini semen*
Sesamoide	*Amaranthi expressio*
Sinapi	*Nasturtium*
Sisone	*Anisus*
Sisymbrio	*Ocymum*
Solano vesicaria	*Semen hortensis solani*
Sphagno	*Iuncus odoratus*
Spondylio	* *Folia oliuæ*
Stercore vulturis	*Columbi stercus*
Stercore turturis	*Stercus columbi*
Stercore felis	*Ichneumonis stercus*
Stibio	*AEris squamma*
Struthij radice	*Ellebori nigri radix*
Succo Calpasi	*Succus myrti*
Succo peucedani	*Glycyrrhizæ succus*
Succo rhododaphnes	*Viscum quercus*
Succo Cyrenaico	*Syriacus succus*
Succo papaueris	*Mandragoræ succus*
Succo salicis	*Hederæ nigræ succus*

Succo gallæ	*Succus mori*
Succo panacis	*Lac sycamini*
Succo polygoni	*Succus plantaginis*
Sulphure viuo	*Sandaracha*
Symphito	*Centaurium*
Sori	*Litharg yrium*
T	
pro *Terra samia*	*Leucoraphe AEgyptia*
Terra Eretria	*Calx Thebaica*
Terra alana	*Plumbago*
Terra asteri	*Cimolia*
Terebinthina	*Mastiche*
Thapsiæ succo	*Chamæleonis nigri succus*
Thymo	*Satureia*
Tithymallo	*Chamæleon*
Thure	*Ampelitis terra*
V	
pro *Verbenaca*	*Chamæleuce*
Viola	*Flos radiculæ*
Vino Rhodio	*Vinum austerum*
Vino falerno	*Vinum Mendesium*
Visco quercus	*Chamæleonis albi viscum*
Vulpis adipe	*Vrsinus adeps*
Vulturis stercore	*Columbinum stercus*
Vua domestica	*Pulpa dactylorum syriacorum*
X	
pro *Xylobalsamo*	*Radix violarum albarum aut lygustici*
Z	
pro *Zingibere*	*Pyrethrum*

CLAVD. GAL. PERGAM. DE SVBSTITVTIS Medicinis lib. Finis Iul. Martiano Rota interprete.

CLAVDII GALENI PERGAMENI
DOCVMENTVM DE PVERO EPILEPTICO.
Nicolao Leonico Thomæo Patauino interprete.



Go te Ceciliane existimabam ad ægritudinem filij tui nostris admonitionibus haudquaquã indigere. nã qui prius ipsum vidit, & tecum Athenas iterum nauigaturus est Dionysius, idoneus est & præsens facere ea quæ opus erunt: & rursus discedens, ad habitudinem ægritudinis condecentia documenta relinquere. Ego autem qui nunquam puerum hunc vidi, forsan multũ decipi possem: cum neq; à principio morbi qualis fuerit ipsius natura, neque nunc qualis ob ægritudinem sit, cognouerim: sed à vobis hoc tantum audierim, epilepsiæ accessionibus puerum infestari. Verum, ne forsitan me suspiceris negligentem magis quàm veridicum scriptionem hanc subterfugere: quod nunquam antea feci: laborem hunc libens subibo, vt tibi rem gratam faciam, scribendo quædam medicinalia præcepta pueri epileptici. in quibus necesse est medicæ artis imperitum decipi & aberrare, circa mensuram vel tẽpus vtendi. Demõstratum enim à nobis est in alijs libris, quòd nõ contingit quempiam rectè mederi, ne minimis quidem ægritudinibus, nedum adeo magnis vt est epilepsia, nisi methodum aliquam curatiuam nouerit. At qui Dionysius mihi iam communicauit, & mecum prius considerauit de tota pueri curatione, quam tu mihi imposueris, vt hæc documenta conscriberem. Dionysióque meam tum ipse sententiam faciliter manifestaui, cum intelligeret omnia quæ ego dicerem, nihílque ille obauderet, ceu methodi curatiuæ valde peritus. Tecum verò neque quomodo sermonẽ instituam noui. nam accuratiuis distinctionibus multis indiget, & obscurius est quàm imperito homini cõueniat: breuis autem & manifestus haudquaquam accuratus esse potest. Quapropter subuerebar tibi documenta conscribere: quamuis rem tibi gratam facere percuperem: existimans mihi simile quippiam euenturum, quale Phidiæ vtique accidisset, si postquam Palladis simulachrum absoluit, quispiam illum coëgisset separatim digitum, manum, pedem, nasum, aures, singulásque corporis partes effingere. Ego verò methodum curatiuam tanquam quoddam simulachrum in pluribus commentarijs à nobis scriptam fuisse arbitror: quæ non modò impetitos homines, sed ne medicos quidem quoscunque iuuare non potest. Quoniam autẽ cogis me de parte vna artis curatiuæ sermonẽ facere seorsum ab alijs: tuæ cædo voluntati & pareo: atq; in tuam gratiã documẽta scribo: quæ tibi in hoc sufficient. satis enim est medicæ artis inexperto nõ magnũ aliquid & irremediabile, in medicorũ præceptis cõmittere, præcipue cũ didiceris legitimè versari in his cõmẽtarijs. Eruditis igitur illis curatiuæ methodi negociũ scriptũ est: tibi autem, & alijs qui nonnullarum rationalium artium scientes estis, medicinæ autem inexperti (arbitror) fortasse nonnihil vtilitatis & in his commentarijs, proueniet. Conabor autem quantũ fieri poterit manifestissimè enarrare quánam vtens puer diæta non parum iuuetur: & ab accidentibus quotidie ipsum inopinate inuadentibus minime lædatur. Conuenit igitur in primis quantum fieri po-

test hæc obseruare.Nanq; puerum necesse est interdum occurrere magnis frigoribus,immensis caloribus,ventis validis,balneis,malis,cibarijs caput tentātibus, rotarum obuolutionibus , corruscationibus præterea, & tonitruis, & vigilijs,& cruditatibus,tristitiáq; etiam & iracundia,& labore nonnunquam commoueri: atque alijs huiuscemodi rebus à quibus (vt summatim dicam) corpus vehementer moueri & perturbari solet: atque in reminiscentiam quandam morbi referri, & ad generationem paroxysmi deduci. Hæc igitur conuenit,multo ante caueri. etsi quandoque his præcedentibus paroxysmus succedet , tunc ab omni penitus motu oportet illum remouere,& domi continere,& victu valde tenui illum nutrire,donec à paroxysmi incōmodo liberetur.quis autem sit tenuis victus,quanuis arbitrer te cognoscere,tamen si ea quæ sequuntur perlegeris,aliquid etiam de ipso percipies . tempus itaque est vt huiusce rei documenta tradere aggrediar. Accedente vere (nam ægritudines quæ reuerti solent quodammodo tunc moueri contingit) puerum purgandum affirmo mediocri purgatione.huic autem purgationi Dionysius præsens moderabitur,& quę opus erunt imperabit, accuratè cognoscens quonammodo ad purgationem corpus præparare opporteat,& quo vti debeat pharmaco,quáve quantitate,& in quo tempore:nam de his inter nos sæpe consultum est. Quare Athenis præsentem habes Dionysium , sed nihilominus cum ipso mentē simul & consilium habes meum. Post purgationem autem quando recesserit Dionysius , & puer Athenis remanserit: hanc oportet ipsum victus rationem obseruare. Cum à cubili mane surrexerit , antequam ad præceptorem accedat,mediocri deambulatione vtatur,gressu nō admodum frequenti . posthac autem vsque ad palestræ tempus,disciplinis vacet quibus assueuit: quàmprimum autem ab illis discesserit , vbi mediocriter rursus deambulauerit,ad pædotribam accedat.hunc autem pędotribam si quempiam alium ex ijs qui puero præsunt,multum oportet esse prudentem. sed talem inuenire difficile est:præsertim cum electio fieri debeat ex hominibus ineruditis & ignaris,nō minus animam quàm corpus hebetem & crassam habentibus.non igitur tanquam paruum hoc te fugiat:neq; cuiuis è populo pueri curā tradas,probè cognoscens, quòd summa curationis in hisce duobus versatur,in vsu videlicet à me tibi dati pharmaci, & in exercitij modo. alia nanque omnia horum sunt præparamenta quædam. pædotribam igitur hunc tecum simul Dionysius eliget. Sit autem ipsius existimatio & norma in exercendo quoad quantitatem quidem, vt puerum antequam defatigetur cessare faciat , necnon vt vniuersum corpus calefaciat , & mediocriter euacuet:ambo autem in eodem tempore contingent. quando enim quod superfluit sufficienter euacuatur, & quantū satis est corpus incalescit:tunc si quispiam ab exercitio cessauerit , quiescet antequam in defatigationem incurrat.exercitium verò ab hoc tempore vltra, in solida iam agit membra, & corporis habitum colliquat. aggregat autem omne id quod colliquat in iuncturis maxime & musculis:ad hócq; sequitur virtutis lassitudo,postea vlceris sensus:quandò aliquam corporis partem mouere tentauerint,& hoc est ipsa lassitudo.non solum igitur pædotribam prudentem esse oportet , sed etiam mediocris exercitij expertum , ne citius quàm par est puerum ab exercitio cessare faciat,secuturam timens lassitudinem: néve satagens calefacere, & complete quod superflui est euacuare,in lassitudinem puerum ducat. Mediocrium igitur exercitiorū in quan-

titate huiuſcemodi ſunt animaduerſiones. In qualitate verò corroborare oportet omnes corporis particulas,maximè caput & venrriculum,& huius præcipue quod ori circunſtat.vt autem quiſpiam iſtud aſſequi poſſit,nunc dicam. Primò quoniam exercitia vehementia caput replent,ab his abſtinere præcipio.ſecundũ ſi quando his vti neceſſe fuerit, capite erecto quæ infra ſunt moueantur, & ex his maxime crura.tertiò à paruis & tardis motionibus incipiat pædotriba,& ſic ad vehementes & celerrimos motus deueniat. nam ſubito ab intenſis exercitijs incipere non ſolum imbecillibus, ſed etiam robuſtis ſumme pernicioſum eſt. Conſiderare præterea oportet, quòd fricationes exercitij loco habentur, maximè in corporibus imbecillibus: immo ſæpenumero ſolæ, modo rectè fiant,aliarum motionum vicem ſupplent.opus eſt autem primum manibus molliter cum ſindone à ſupernis partibus ad inferna delatis, corpus ad rubedinem deducere initio à brachijs & manibus facto,atque ita ad pectus & ventrem deuenire. ſubinde etiam crura multum fricare conuenit: vt ſi quid ex ſupernis partibus illuc fuerit deriuatum,commodè abſumatur.poſtremò ad caput deueniendum eſt.nã ſtatim à principio ad ipſum accedere periculoſum corpore enim adhuc pleno exiſtente,ad id quod primo calefit, facilè ſuperfluitates attrahuntur.vltimo igitur loco, poſt aliàs corporis partes, caput confricari oportet,vt nunc dicimus, abſque oleo.quãdo autem & oleum applicare libuerit nihil prohibet capitis fricationem ſimul cum alijs fieri membris.vt vnus caput fricet: duo alij pectus & ventrem: & totidem alij crura.ſic autẽ & poſt exercitia:immo verò magis tunc, omnia ſimul confricentur membra:ita enim celerius ad quietem corpus deducetur,& minus refrigeratur.oportet autem ſi de quapiam alia re,de hac ipſa magnam curam habere. Non lauari autem, vt plurimum conuenit: neque ſtatim poſt exercitium palæſtram exire.ſed poſtquam planè quieuerit ſpiritus,& ab exercitijs commotio prorſus ceſſauerit,atq; tunc etiam ſindone caput multum fricare conuenit, & ſæpenumero pectine vti. poſt hæc autem ad prandium eat,& prius quippiam ex ijs quæ ventrem molliunt aſſumat,vel olus,vel ſalſamẽtum, vel ptiſanam,vel oliuas cum tertia parte panis.reliquas verò duas in cœnæ tempus ſeponat cum valentioribus obſonijs. quæ autem huiuſmodi exiſtunt paulo poſt dicentur, ſi prius enarrauero ex olerum genere omnia quæ abſq; nocumento aliquo ſumi poſſunt. Ex oleribus igitur minime illum prohiberi iubeo,à lactucis,à malua,ab atriplice,à blito, non tamen idem ſemper capiat volo,verùm aliàs aliud,moderate.ex eodem etiam eſt genere beta, & braſſica.oportet enim etiam ex ijs quippiam moderate guſtare. porrum quinetiam interdum,& apium, & ſmyrnium deguſtare conferet: & de æſtiuis fructibus quicunq; non ſunt penitus crudi,aut ſuapte natura difficulter concoquuntur:ij nanque & ſuas ipſorum ſuperfluitates, & aliorum etiam eſculentorũ retinere conſueuerunt.ergo & mora,& quæ Pręcocia nominantur,& ficus,& ſi qui ſunt eiuſmodi nõtæ,ſine moleſtia deſcendunt.Cucurbita quæ dicitur, nihil ab oleribus ventrem mollientibus differre videtur:item pæpones cucumerini (nam qui tales nõ ſunt, peſſimi ſunt) maturæ etiam vuæ aliquantulum quandoque puero concedi poteſt: mala verò & pira raro & in parua quãtitate deguſtet: & hæc ipſa nõ ſolum vt in arbore ſua ſint bene cocta,ſed etiam domi ſeruata ad maturationẽ rectè peruenerint. Scire autem oportet eadem poma quæ recenter à matre ſunt decerpta, & quæ domi

deposita reseruantur, permultum inter se differre: nullámq; inter sese similitudinem habere. possunt autem conseruari poma piráque nec non plurimi etiam alij fructus, & pruna quæ vocantur Damascena, ficus quinetiam quas Caricas vocant, ex huiusmodi sunt genere, & ex arbore palma, dactyli, quorum comestionem penitus illi non interdico, sed oportunè & moderatè illis vti permitto: assiduè autem & multum illis vti minime velim. Atque vt semel cõcludam, quicunq; mali succi sunt cibi, vel aluum astringunt, vel inflant, vel difficultet cõcoquuntur, si assidue vel plusquam conueniunt assumantur, non solum huic morbo, sed omnibus etiam alijs nocere solent. atque hucusque sermo de diætæ modo protractus alijs etiam quamplurimis ægritudinibus conueniens erit. Huiusce autem morbi peculiarius & proprius est, vt caueamus ab ijs præcipuè esculentis quæ pituitam generant. vnde in cibarijs, quæ tametsi in alijs non obsint, viscosos, aut frigidos, aut crassos humores generant, haudquaquam esse immorandũ censeo. huiusmodi autem sunt, atriplex, & blitum, & malua. quorum sanè moderatum vsum non prohibeo, assiduum autem vehementer damno: ex hoc sunt genere & cucurbitæ: multóque magis cucumeres, & poma, & pira, & demum quæcunque humorem pituitosum gignunt, aut viscosum, aut crassum, vel quæcunque sunt in genere pessimorum esculentorum, quales sunt qui vulgò appellantur fungi: ab ijs enim omnino abstinere consulo, quemadmodum & à rapis, & à quibuscunque radicibus quæ mandi solent: crassos enim habent succos & male concoquuntur: exceptis quibusdam quæ acrimoniam quandam & caliditatem in se habent. quemadmodum sunt dauci & raphani: sed ex raphanis haudquaquam illum degustare prohibeo, verùm quodam intercedente spatio: à dauco autem abstinere condiscat magis quàm etiam à rapis. In esculẽtorum autem vsu abundent illa quæ acuta sunt, & virtutem incisiuam habent: dummodo insigniter non sint mali succi, odorémque habeant qui caput tentet. quorum ex genere sunt quæcunque per caliditatem teplent caput: quemadmodum vinum, & sinapi, & petroselinum, & daucus, & cæpæ, & smyrnium. hæc enim vltra modum inflammatiua sunt, & malos humores generantia. sinapi verò licet conueniat ad humores crassos incidendos, tamen ab eo abstinendum est, quoniam caput tentat. in oxymellis autem vsu securè confidat, etiamsi quotidie sumere velit. potest autem cappares ex illo comesse: paruósq; pisces salitos oleo modico superinfuso, vt concinnetur obsonium: quod profectò huiuscemodi ægritudinis, veluti medicamentum quoddam reputari potest: præcipuè si sit acetum scilla conditum: hoc omnes vulgò iam Scilliticum vocãt: quod ego si quippiam aliud in hoc casu sanè laudo. horum verò alterutrum singulis diebus assumere contenderim: dico autem vel cappares, vel pisces salitos oxymelle cõditos. Si verò puer oxymel bibere velit, id sit in promptu & ante præparatum, & non ex tempore ex vtrisq; crudis confectum. quo autem modo ipsum præparare oportet paulo post recensebimus. cæterum plurima aqua commisceatur. nam quòd sic factum est, suauius redditur: ac hyeme quidẽ calidum accipiatur: æstate verò non erit malum, etiam si plerunque frigidum sumatur, si & vehementes fuerint calores, & ipse siti sit aridus, potuíq; frigido assueuerit antea. nam inter alia sitim egregiè sedat oxymel non valde dulce: præsertim si aquæ frigidæ misceatur. mihíq; non parum sæpe contingit puerum à comitiali morbo penitus liberasse, non immutata vi-

ctus ratione, cum post primam purgationē oxymel sumere, eóq; vti pharmaco iussissem. Verum quoniam neque filij tui naruram noui, nesciόque quantum virium is sibi asciuerit morbus, & ipse assistere nequeo, diuinare haudquaquã possum, quàm paucissimis indigeat remedijs. melius itaq; mihi videtur de omnibus sermonē facere. Igitur post exercirium in prandio (vt dictum est) vtarur, & quibusdam oleribus, & oliuis, & nucibus, & ficubus, cum siccis, tum recentibus: verùm non simul quotidie omnibus: vnum enim sit & simplex quod assumat: sed vt victus ratio variari possit, de omnibus verba feci. Eodem eriam rempore (vt dictum est) si desyderauerit puer, alij etiam fructus cōcedi illi possunt: cum alioqui ab ipsis melius sit abstinere, ne dum morbi illius deuitandi causa, sed ad integram eriam torius valetudinis incolumitatem: quemadmodum vides nos ferme ab omnibus ęstiuis fructibus abstinere. Verùm quoniam nō philosophis in præsentia salubris victus præcepta conscribimus, mihi sanè perquàm optãdum erit, si non solum ad pueri curam hæc documenta, sed ad vniuersam illius vitam facere poterunt. Est igitur illi concedendum vt palàm & tempestiuè eos comedat fructus, quicunque magni non fuerint nocumenti, ne clàm & intempestiuè illos comedens, in maius incurrat malum. Qui enim palàm ab alio[illegible]te quam valde appetunt, prohibentur: hi cum data est facultas, plus nimio ingurgitare se consueuerunt: quamobrē pueris ego plura esculenta concedere soleo ex ijs quæ non valde nocent, vt tempestiue & palàm illis moderarè vtantur potius quàm, vt diximus, propter vehemēs desyderium furtim ex his & voracirer assumere festinent. Atque hæc de cibi ratione sufficienter sint dicta. Post cibum autem vbi paululum temporis intermiserit, priusquam ad studia disciplinarum accedat leuirer deambulet censeo: & rursum vt id ipsum à studijs rediens ante cœnam faciar sanè consulo, quo rempore duas reliquas panis portiones quas reseruauerat assumar, irem aliorum vnumquodque sic (vr dictum est) carnes quidem ex omni ferè auium genere, præter palustres. ab omnium autem quadrupedum esu præcipuè abstineat. Quòd si quando illis vti necessitas fuerit, domestici quidem suis exrremitatibus, & stomacho vescatur, syluestribus verò carnibus vniuersis bene vti potest. hœdorum quinetiam carnes degustet, & nonnunquã leporum etiam. Carnes autem omnes sint vel simplicirer cōditæ vel sine nidore assæ: simpliciter condiuntur si aquæ incoquantur, & anetho, porro, sale, & oleo concinnentur: quónam autem modo sine nidore rectè assetur caro, clibanum quod apud me vidisti, exemplo tibi esse potest. Ex marino autē genere crusta intecta quidem omnia nocua, & incōmoda. Ex piscibus verò optimi sunt ij qui in saxosis degunt locis, sumere etiam poterit ex ijs qui in alto degunt, quos Pelagicos vocant. ex cartilagineum autem torpedo ferè sola conueniens est & commoda. Cæterùm de leguminibus ptisana quidem præcipua est. hanc sequitur lens, alica, & pisum: alia autem ferè omnia mala. & vt vniuersaliter dicatur, quæcunque viscosum, & crassum generant succum, ventosáq; sunt, & multarum superfluitatum, necnon difficilis concoctionis, sicut ante dicebamus, maxime sunt cauenda. Ostrea quinetiam omnia, & cartilaginea ea quæ σελάχια vocantur, & squammis carent: præterea bulbi, & cochleæ, & caseus, & fungi, bouinæq́; carnes: & oua in aqua durata, cum difficilis sunt concoctionis, tum crassos generant succos. Alica vero & carnes suillæ bonum quidem generant sanguinem, sed viscosum. palustria autem

omnia ſuperfluitates generant plurimas. legumina verò omnia ventoſa ſunt,& præcipuè faba,& ciceres:ptiſanáq; non diligenter cocta ventoſa eſt.quamobrem bene coquere illam oportet, vel ea non vti: lens quoque bene decocta omnem ponit ventoſitatem. verùm illa non aſſiduè crebróve vti oportet, quoniam humores generat craſſos. Cæterùm ad victus quotidiani rationem hæc abundè ſufficere poſſunt. Medicamento autem ex ſcilla, quod tibi tradidimus purgatione præmiſſa,quódque primo vere fieri iuſſimus, ſingulis diebus ſecurè filius tuus vtatur, priuſquam ad palæſtram accedat: nam niſi valde magna fuerit ægritudo, & occaluerit ſperandum ſanè eſt in quadraginta dierum ſpatio hoc medicamento illam perfectè ceſſaturam. quoniam iam innumeros pueros nulla ellebori opera ſic curaui. verum poſt purgationem priuſquàm hoc vtatur pharmaco, ſemel aut bis abſinthium ſumere oportet: De oxymelle autem vt dicamus,id certe acidiſſimum eſſe cenſetur,quod ad mellis proportionem,quattam aceti habet partem: dulciſſimum verò,quod octauam: aliæ autem intermediæ menſuræ quanto ad extremorum altetuttum appropinquant, tanto aciditatis aut dulcedinis participate videntur: oportet autem ipſum penitus decoquere. Ita enim quæ miſcentur,accurate in vnum ambo deueniunt: & aciditatis vehementia quæ in aceto eſt, retunditur: & quod in melle inflatiuum eſt caſtigatur: ſpumam enim illius, qui rectè decoquit,auferre debet.Nec me ptæterea latet in Græcia, & in pleriſque locis inſularum oxymel etiam ex fauis confici ſolere, quo etiam tibi ſecure vti licet,puero præſertim æſtiuo tempore Athenis degente. minime autem ad me in præſentia pertinet declarare,quando dulcius id, aut acidius, vel dilutius, aut meracius exhibere oportet: neque in alijs particularibus immorari meum eſt,ſed illius qui & præſens fuerit,& curãdum corpus quotidie inſpexerit, & de humorum habitu rectè coniectari poterit.In craſſis enim & viſcoſis humoribus acidiori & meraciori oxymelle vtendum eſt:in his autem qui huiuſmodi non fuerint, dulciori & diluto magis.Eodem etiam modo reliqua quæ dicta ſunt omnia, pro quotidianis corporum conſtitutionibus commutare & variare conuenit, quemadmodum & in omnibus alijs ægritudinibus facere contingit.Quapropter ſi quis methodi curatiuæ ignaro & inexperto innumera etiam perſcripſerit documenta, haudquaquam illum ſufficientem efficiet medicum non modo non magnarum ægritudinum, ſed ne minimarũ quidem. iſtud enim ſæpenumero palàm oſtendi cum inueterata vlcera maláſque oculorum diſpoſitiones ad ſanitatem redegiſſem:ijſdem ſanè medicamentis,quibus plerique ante me vſi nihil profecerant: & profectò temporis opportunitas in vſu vniuſcuiuſque vt Hippocrati placuit, poſt quantitatem ad vires diligenter accommodatam, reliquum vtilitatis apportat.Nam pharmaca potius ſunt iuuantium materia quàm iuuamenta, quemadmodum etiam ab excellentibus aſſeueratur medicis. Et meus quidem vnde exordium ſumpſit finẽ accipiat ſermo, haudquaquam fieri poſſe vt minimum quippiam quod ad attem pertinet pertractare rectè valeat is qui artis penitus ſit ignarus & expers,ſed illi ſemper aſſiſtenris periti opus eſſe. Verùm quoniam plerique ſcillæ ſuccum non rectè conficiunt, quando id tibi etiam cognoſcere cordi eſt:huic ego ſermoni adiungam quonammodo illum cõficere ſim ſolitus. Vas quodpiam accipio à quo extractum fuerit mel: Meliterium id Gtæci vocant: in quod ſcillam conijcio

manibus prius illam in exiguas discerpens particulas.postea bene apto operculo illud obthurans, extrinsecúsque pelle circundans,& diligenter colligans, in loco quopiam meridiem spectante colloco, qui à borealibus omnino non perflatur ventis.id autem facere soleo ea omni parte in qua caniculam exoriri omnes asseuerāt Græci:quadraginta autem huiuscemodi sunt dies: viginti quidem ante totidémque post exortum.paulatimq; in iis diebus vas illud ad solem conuertere soleo, vt ex omnibus similiter partibus incalescat. trāsacto post modum præstituto temporis spatio, vas illud aperiens, in illo reperire soleo scillæ partes elixis similes, succúmque ex illis in vasis fundo quẽdam defluxum, quem colligens,quā optimo melle concinno. Huius singulis diebus cui dare voluero,cochlearis pleni mensuram præbeo,pueris quidem minoris, adultis verò maioris.quinetiam scillæ ipsius carnes accurate contundens, illásque cum melle dissoluens & conterens, ex illis cochleare vnum,vt dictum est, præbere consueui: quod sanè quoad vires & efficaciam secundum à prædicto locum obtinet. Cæterum quicũque scillam elixantes, illam postea conterũt,illius proculdubio vires resoluunt. quemadmodum qui istud ipsum ex aceto faciunt, pharmacum quidem validum admodum conficiunt, verum neruis non innoxium.

Claudii Galeni Pergameni documenti finis de puero epileptico, Nicolao Leonico Thomæo Patauino interprete.

CLAVDIO GALENO PERGAMENO ASCRIPTVS LIBER DE INCANTATIONE, ADIURATIONE, & SUSPENSIONE.



Væsisti fili charissime de incantatione, adiuratione, & suspensione, siqua possunt prodesse, etsi inueniri in libris Græcorum hoc, & qualiter in libris Indorum est inuenire, cui quæstioni compendiose in hac epistola conor respondere. Omnes inquam antiqui in hoc videntur esse concordati, corporis complexionem animæ sequi virtutem: quæ virtus si sit æqualiter temperata, actio quoq; corporis erit perfecta. vnde quia virtutes actionis animæ in pueris, senibus & mulieribus imperfectæ plurimum esse videtur: complexio quoque corporis eorum imperfecta esse probatur. & hæc imperfectio similiter contingit habitatoribus intemperatæ regionis, vtpote caliditatis AEthiopiæ & frigiditatis Scythiæ. Inde Plato inquit, Quando mens humana rem amat aliquam, licet naturaliter non iuuatiuam, sibi eam prodesse certificat: ex sola autem mentis intentione, corpus res illa iuuat: verbi gratia, siquis incantationem sibi prodesse confidat, qualiscúque sit, eum tamen iuuat. Si enim, vt diximus, complexio corporis virtutem sequitur animæ, necesse est rem taliter se habere, vt certificatur: quia ex timore tristitia, lætitia, stupore, non solum corpus in colore mutatur, sed etiam in multis aliis rebus, vt ventris solutione, vel nimia defectione. ego autem vidi ista, sanitatis diuturnarum passionum fuisse causas, maxime illarũ quæ corruptiones sunt mentium. In sanis autem fuere infirmitatis causæ hæc eadem: vnde Socrates, Incantationes, inquit, verba sunt decipientia rationales animas secundum spei incœptionem, aut secundum timoris incisionẽ. Indi autem medici tantum confidunt incantationem siue adiurationem iuuare: Græci verò antiqui medici intendunt his in animam erroneam perfectionem suam reuocare, qua reuocata, necesse est vt corpus reuocetur ab ipsa, cum complexionem corporis virtutem animæ constet sequi. Vnde Gal. super libro Hippoc. De humoribus, Siquis, inquit, dixerit humores corporis mutatos immutare actionem animæ, vt animæ actio mutata mutat eosdem, non mentitur: quod certificatur, quia quãdo complexio cholerica dominatur, fit inde iracundus: & econtrà in sæpe irascentibus cholera rubea augmentatur, necesse est enim complexionem animæ corporis complexionẽ imitari, & corporis animæ. Iterum inquit Gal. Intellectus & scientia in anima ex complexione augmẽtatur cholerica: continentia & studiositas, ex melancholica: deábulatio verò & delectatio ex cõplexione sanguinea: phlegma nihil adiuuat virtutem animæ, nisi in prima gustatorum mutatione. Constat ergo, quòd si medicus animæ cõplexionem quoquo modo adiuuerit, incantatione, siue suspensione, corporis complexionem ad vitam perducit. Si autem his cõueniens adiungitur medicina, corpus incãtatione animæ adiuuatur, quibus coniunctis necesse est sanitatem vtriusque citius consequi. Item inquit Gal. sunt homines læti naturaliter & deliciosi, qui quando infirmantur, sanos eos subito futuros confirmet medicus, & eorum diætam cum exercitiis reuocet: quo-

rum ſpes,ſanitatis eſt cauſa.Sunt & alii econtrario natura triſtes,& vnde triſtentur & anguſtientur,eorum animis ſemper cogitantes: quorum cogitationes oportet fallere medicum,& lætificante intẽtione mutare animas eorum: ſed neque excedere debet lætificandi modum, ne promiſſionum magnitudine negligat ſe medicandus.nemini enim quendam noſtræ terræ nobiliſſimum murmuraſſe ſe eſſe ligatum,ne cum mulieribus coiret, quẽ adiui falſificando intentionem ſuam,& hoc magnis ingeniis: ſed tamen nũquam reuocare potui,propter quod certificare & cõfirmare incœpi quod ipſe prius intẽdebat,deinde adducens ſibi librum Cleopatræ,quem fecerat de fœminarũ formãda ſpecioſitate, legẽſque locum, vbi dixit taliter, Ligatus fel coruinum accipiat miſtum cum ſeſami oleo,quo vngens totum corpus,adiuuabitur:iſte autem audiens,confiſus eſt libri verbis,ſic fecit,citóque conualuit, & augmentatã eſt concupiſcentia coeundi. Ego quoque in antiquorum libris multis legi ſuſpenſa collo ſuffragari cum proprietate, non ex natura ſui, quod nõ nego poſſe fieri propter cõfortationem mentis,vt dixi:de quibus cum ſint multa,pauca tibi tangere diſpoſui. Ariſto.in libro de lapidibus ait,Suſpendens ſmaragdum collo,aut portans ipſum in digito,defendit à caſu Epilepſiæ ſuſpecto:vnde ſemper mãdamus nobilibus,vt è collo filiorum ſuorum ſuſpendatur,ne in hanc infirmitatem incidant.Item quodlibet genus hyacinthorum ſuſpẽdens in collo, ſiue habens in digito, ſi intret in regionem peſtiferam, non læditur,ſed potius in mentibus hominum honoratur,& à maioribus petitiones eius complentur. Item ſardam viginti granorum hordei pondus portans è collo,ſeu in digito,non videbit terribilia in ſomno.Itẽ corneolam è collo portans,ſiue in digito, mitigat irã in contentione: cuius autem color eſt ſicut lotura carnis, ſanguinis fluxum cuiuſlibet membri ſtringit, maxime in fœminis. Onyx ſuſpenſus vel digito portatus augmentat in ſomno terribilia,& triſtitiam,& inter homines contentioſa,in pueris autem ſuſpenſus ſaliuam oris auget.Gal.ſtercora luporum oſſa comedentium ſi in ventribus ilia dolentium, vel è collo patientium ſuſpenſa fuerint, ſtatim dolorem mitigant: aliquando & in coxis ſuſpenduntur,& cum fune laneo ligantur,illius ſcilicet ouis quæ à lupis comeſta eſt, ſicque melius iuuabuntur & fortius; quòd ſi filum non inueniatur,cum corrigia ceruina ligantur. Idem Gal.in vas argentum poſuit,cuius quantitas fabæ fuit,& in coxis ſuſpendit,multum profuit:hoc autem dixit in libro De ſimplici medicina.in libro autem eodem ait,Si viperæ ſuffocatæ collum cum filo lineo ſuffocandi è collo ſuſpenderis,abſoluitur à ſuffocatione ſua,& multum valet apoſtematibus faucium. Dioſcorides ait,dentes canini canis rabioſi quando hominem momorderit, in fruſto corii ligati, & armo ſuſpenſi,defendunt à morſibus canis rabioſi. Idem, pullis hirũdineis paruis in augmẽto lunæ acceptis,& primogenitis,ſi fuerint in ventre ſciſſi,duos lapides inuenies,vnum vnius coloris,& alterum diuerſi & oppoſiti,quos ſi ligaueris in corio vituli antequam terram tetigerint,& è collo ſiue armo ſuſpenderis,epilepticis valet,& aliquãdo perſanant.Quidam medici ſuſpendunt è collo radices herbæ acetoſæ propter ſcrofulas, & valent: alii ſuſpendunt radices arnogloſſæ propter eaſdem,& diſſoluuntur. Auricularis digitus abortiui ſi è mulieris collo ſuſpendatur, non concipit dum collo habebit. Hyoſcyamus cum lacte caballino temperatus,& corio ceruino impoſitus,& ſuſpenſus è collo mulieris, concipere

non permittit, dum in collo erit. Quidam dicunt, mulierem ranam accipiētem & os eius aperientem, terque ibi inspuentem, non concipere illo anno. alii oculum hirci radici ligant sampsuchi in horto, & irrigant cũ vrina rufi tauri vespere: mane autem extracta radix ligatur cum eodem oculo in armo, libidinẽ augmentat. Galenus inquit, Lapis coralli multum valet ad passionem stomachi, si suspensus fuerit super stomachum vel è collo patientis. Dioscorides, Semen croci hortensis ad scorpionis morsum valet in manu tentum vel è collo suspẽsum: simile facit radix lauri: idem etiam iris agit. Alii dicunt, radices asparagi siccæ super dentes ligatæ, trahunt sine dolore. Item, pedes leporis & renes dextro armo ligati, canes latrare non permittunt: similiter iecur facit canis, nisi coloris eius generis fuerit cuius iecur fuit. Indi dicunt, stercus elephãtinum cum melle mistum, & in vulua mulieris impositum, nunquam permittit concipere: testatur hoc, quia arbori suspensum non permittit fructificare. Aaron dixit, stercus elephantis cum lacte caballino mistum, & corio ceruino ligatum, & vmbilico mulieris suspensum, non permittit concipere. Quidam medici dicunt, pedem testudinis dextrum pedi podagrici dextro suspensum iuuare, sinistro sinistrum: idem & in manibus. Item radix pæoniæ è collo suspensa pueris valet epilepticis, similiter pyrethrum: idem facit pilus ex toto nigri canis. Nos autem hæc ex libris antiquorum excerpsimus, vt mens tua in incantatione, adiuratione, & suspensione non refragetur amplius. Sed omnia si ex libris antiquorum philosophorum extrahamus, librum protendemus. Atqui voluntatem nostram hactenus exhibuimus. Hæc autem ego non tentaui, sed nec etiam neganda sunt mihi, quia si non viderimus magnetem sibi ferrum trahentem, non certificamur, nec crederemus: similiter quod plumbum rumpit adamantem, quod ferrũ non facit: & lapis, qui vocatur nitrum, foco incenditur: piscis autem quidam marinus se capiẽtis sensum aufert: quæ omnia si à nobis non videatur, non credũtur, sed tentata certificat. Et forsitan itidẽ se habent dicta ab antiquis. Quorũ enim actio ex proprietate est, rationibus vnde sit cõprehendi non potest: rationibus autẽ tantum comprehenduntur quæ sensibus subministrantur. Aliquando ergo quædam substantiæ habent proprietatem ratione incomprehensibilem propter sui subtilitatem, sensibus non subministratam propter magnam sui altitudinem.

Claudii Galeni Pergameni ascripti libri finis de incantatione, adiuratione & suspensione.

CLAVDII GALENI PERGAMENI DE OCVLIS A DEMETRIO TRANSLATVS, nuper autem à varijs mendis expurgatus.

Quòd oculorum, & partium eorum, & operationũ notitia eſt neceſſaria volenti curare oculos: & quòd cryſtallinus eſt pars principalis oculi cui cæteræ ſubſeruiunt. Cap. I.



Portet medicum oculorũ curam habere volentẽ, prius eorum naturã optimè cognoſcere: vnumquodq; enim membrum infirmũ ideo curatur, vt ad naturã ſuæ propriæ ſanitatis cõuertatur. Sed ſcientia naturæ membri, & vniuſcuiuſq; cõpoſiti nõ poteſt cõprehendi, niſi partes totius noſcantur. Qui igitur oculorum naturã ſcire deſyderat: primò omnes partes quibus conſtructi ſunt intelligat, noſcátq; operationem cuiuſq; partis, & quæ fuerit illius neceſſitas, & quomodo quæcunq; pars illa cõponatur. vnde de difficilioribus dicamus. Sciamus itaq; quòd omne membrum compoſitũ habet propriam actionẽ propter quã factum fuit, quam actionem cũ vna ſuarũ partium operatur: cæteræ verò illi operanti miniſtrant. Sic & de oculis eſt, qui cũ è multis partibus diuerſis cõpoſiti ſint: viſus tamen proprie fit ab vna ſuarũ partium, id eſt humore qui dicitur Cryſtallinus. Cæteri verò humores, atque panniculi ſunt propter iuuamentum ipſius, quod explanabimus, cum de omnibus diſputabimus.

De colore, figura, & ſitu humoris cryſtallini, vitrei & albuginei. Et de tribus tunicis quæ ſunt poſt vitreum. Et de tribus quæ ſunt ante albugineum. Et tela aranea. Cap. II.



Ryſtallinus eſt humor albus, ſplendidus, lucidus, nõ omnino totundus, ſed aliquantulum planus, qui locatus eſt in medio oculorũ. Albus eſt & ſplendidus, vt cito varios colores recipiat: quia album & ſplendidũ corpus cito & velociter coloribus opponitur, ſicut in claro vitro fieri patet. Rotundus, ne cito patiatur, quia omnis forma rotunda nõ cito patitur, quia angulis caret. Parũ latus, vt lumen ſumere poſſit. Si enim rotundus eſſet exquiſite, lumen nõ cito ſumere poſſet: quia in loco vno ſtabilis nõ eſſet. In medio locatus, vt cæteræ partes ſibi miniſtrent: quædã, quibus defenditur: quædã, quibus adiuuatur: vnde neceſſario in medio ſibi miniſtrantiũ fuit. Quòd autẽ in eo ſit viſus, teſtatur id quod videmus in cataractis. Aqua enim cũ inter cryſtallinũ & corneam ſteterit, vt nõ poſſit ſpecies præ aqua ad cryſtallinũ tranſire, lumen amputat viſuale, ſed aqua ablata, lumẽ reparatur. Cryſtallinus autẽ in medio duorũ locatur humorũ, quorũ vnus retto eſt, qui dicitur Hyelinos, id eſt vitreus quaſi vt vitrũ lucidus. Alter verò eſt, qui eſt quaſi albumẽ oui, & dicitur Albugineus. Poſt vitreũ ſunt tres pãniculi, quorũ ptimus vitreũ circũdat, quaſi tete, inde & Retina dicitur. Poſt hunc eſt alius, ſimilis ſecũdinæ, & dicitur Secũdina. Iuxta quẽ eſt tertius qui oſſa cõtingit, durus & ſolidus: vnde & Scliros vocatur. Ante albugineũ ſunt tres pãniculi, quorũ vnus albugineo cõiungitur, eúmq; circũdat, qui eſt quaſi vuea, eiúſq; color nigredini pertinet, vnde vocãt eũ Rhagoida, id eſt vueam. Ante hũc eſt alter cotnu ſimilis vnde ceratoidis, id eſt Cotnea dicitur. Iuxta hũc eſt alius, qui

penitus nō circundat sicut alij, sed eos intra se iungit, vnde Coniunctiua dicitur: quia si cornea ab ea operiretur, spiritus eam perforare non posset. Inter crystallinum & albugineum est tela aranea. Sed nunc videamus examen vniuscuiusq; ipsorum. Et primo de vitreo tribúsque panniculis post eum existentibus.

Quòd crystallinus vitreo nutritur. Et quòd nerui optici soli cōcaui, & de cerebro veniunt tecti dura & pia matre ad loca oculorū. Et de tribus tunicis quæ sunt post vitreum. Cap. III.

DIcamus igitur ita, Omne membrum necessarium est vt habeat cibum, quo restauretur id quod calore naturali & accidētali intus & extra dissoluitur. Cibus verò membro conueniens est, quem sibi membrum bene assimilat. Crystallino ergo cibus est sic necessarius, vt ipse sit albissimus, & clarissimus: & ob hoc sanguinem in sui naturam sumere nō possit, necessario vitreū habuit mediantem, qui medius est inter naturam sanguinis & crystallini. Albior enim sanguine est, & minus albus quam crystallinus: hic autem vitreus humor est de sanguine in venis subtilibus & arterijs digesto, vnde mutatus est à suo colore in speciem vitri. Ipsæ enim venæ & arteriæ sunt de retina, quæ procedit à subtilibus cerebri panniculis, neruum per quem spiritus ducitur circundātibus, qui neruus concauus est: quod planius dicemus vt pateat. Natura enim à cerebro sensum & voluntarium motum omnibus tribuens membris per neruos mediantes, duos neruos à cerebro prodeuntes, ad oculos mittit, quorum vnus durus est, vnde fit motus, alter mollis & concauus: neq; præter ipsum in toto corpore concauus alius est: quòd ideo fuit, vt animatus spiritus visum faciens, per eum duceretur. Cerebrum verò duobus panniculis est opertum, vno subtili & molli: altero duro & crasso: subtilis autē secundinę assimilatur, quia venas & arterias habet, qui cerebro prodest, quia nutrit & defendit eum cū suis arterijs & venis: crassus verò defendit solūmodo ab ossibus capitis appropinquantibus ei. Omnes autem nerui à cerebro procedentes, istis panniculis sunt operti, donec à capitis ossibus egrediantur. Similiter nerui ad oculos venientes, his duobus panniculis circundantur, vnde molli panniculo concauus neruus circuntegitur, & extenditur in modū telæ cum suis venis. Est autē rete vitreum humorē cooperiens: vitreus autem humor medium crystallinū cōprehendit: retina venis & arterijs ad vitreū portat cibum, & cum suis neruis sensum & spiritum visibilem ad crystallinum ducit. Subtilis autem panniculus qui Secundina dicitur, quo neruus circuntegitur, cum alio qui Retina dicitur cōiunctus est illi: secundo loco crystallino iunctus est, cui secundina præstat auxilium, quia suis venis & arterijs nutrimentum portat ad retinam, & defendit eam ne rumpatur. Durus autem panniculus subtili coniungitur, eúmque circundat, qui ad hoc valet oculis, quòd eòs ab osse defendit in quo locati sunt, ne eis sua duritie noceat, & est quasi ligamentum oculorū. Sufficiāt hęc de tribus humoribus, & tribus pāniculis post crystallinū existētibus.

De tribus tunicis ante crystallinum iunctis eis quæ sunt post ipsum. Déque iuuamentis earum, & albuginei humoris. Et de coniunctiua, & musculis qui mouent oculos & palpebram, & sustinent neruos opticos. Cap. IIII.


PAnniculi verò tres antè crystallinum existentes taliter sunt: diximus enim panniculos cooperire cerebrum, neruósque ad oculos venientes circundare: sed tamen in oculis existentes diuiduntur, & faciunt

duos, vtérque tamen ad medium cryſtallini iungitur in loco qui dicitur Iris. Super pupilla eſt panniculus cornea qui à duro panno cerebrum cooperiente procedit, & panniculus qui Vuea dicitur, & ab illo quem Secũdinam dicunt procedit. qui, vt diximus, iungitur duro qui cooperit, vt dictum eſt, ſecundinam. Panniculus verò exterior, id eſt coniunctiua, ſuper corneam procedit. Cornea verò ad hæc neceſſaria eſt vt cryſtallinũ defendat, ne ab exterioribus, quia durus panniculus eſt, patiatur. Hæc autem ſubtiliſſima, alba, & dura eſt: ſubtilis & alba, vt cito ſpiritus eam penetrare poſſit: dura, ne propter ſubtilitatem cito rumperetur. Vuea tribus de cauſis neceſſaria eſt, vna vt corneam nutriat quæ venas vnde nutriatur habere nequit: alia verò, vt media ſit inter corneam & cryſtallinum, ne cornea duritie ſua noceat cryſtallino: tertia, vt coadunet lumen ſuo colore nigredini pertinente. Omne enim lucidum, lumen diſpergit, nigrum verò coadunat. Vuea ergo multitudinẽ venarũ habuit & arteriarum, vt corneã nutriat. Mollis fuit, ne cryſtallino inferret nocumentum. Proprios habet villos in quibus aqua coadunatur in cataracta: lenis autem exterius eſt, ne cornea ſibi noceat. Color eius eſt ſicut color cæli, vt lumen ſicut diximus coadunet: in medio eius foramen eſt, per quod lumen ingreditur, & intrinſecus plena eſt humore qui dicitur Albugineus: vt faciat cryſtallinum à cornea diſtare. Albugineus alterius iuuaminis eſt, quia cryſtallinum defendit, ne ab exteriori aere deſiccetur: & humectat vueam, ne noceat cryſtallino. Sed inter cryſtallinũ & albugineum quidam eſt panniculus tenuiſſimus, ſicut cortex tenuiſſimus cepæ, vel araneæ tela, qui medium operit cryſtallinum, vt eum ab vuea defendat. Ideóq; quidam medici dixerunt oculorum panniculos ſeptem eſſe, dixerunt alij ſex, alij quinque, quidam quatuor, quidam tres, nonnulli duos, quorum diſcordia non erat in re. Dicentes enim ſeptem, computabant retinam, ſecundinam, ſcliron, araneam, vueam, corneam, coniunctiuam. Qui enim ſex, retinam non eſſe panniculum dicebant, aſſerentes defenſorium panniculum quoddam eſſe, retinam potius nutrire, quàm cuſtodire. Sed qui quinque autumabant, araneam non panniculum ſed cryſtallini partem eſſe dicebant, neq; coniunctiuam. Dicentes autem quatuor, contendebant coniunctiuam non eſſe panniculum ſed ligamentum oculorum, neque retinam nec araneam telam. Tres eſſe dicentes, vueam & ſecundinam vnũ eſſe dicebant panniculum, quia vuea à ſecundina procedit: retinam quoque & araneam vnum panniculum: item ſcliron & corneam vnum panniculum. Qui duos dixerunt, ſcliron & corneam vnum intendebant: & ſecundinã & corneam vnũ: retinam verò & araneam & cõiunctiuam non eſſe panniculos. Intentio ergo antiquorũ erat vna. Nunc de coniunctiua dicamus de qua hucuſque tacuimus. Sciendum ergo lacertos oculis eſſe neceſſarios, quibus poſſent moueri, & viſibilibus rebus opponi. Ideóq; ſeptem habent lacertos, quorum vnus mouet oculos erga nares, alter verſus tempora, tertius ſurſum, quartus deorſum, quintus firmat & corroborat neruum vnde viſus procedit: duo alij alligant coniunctiuam ne vſque ad corneam tendat, & operiunt lacertos ibi exiſtentes in angulis oculorum. Tres iterum ſuperiores palpebras mouent, vnus ſuperius & duo inferius: inferiores verò palpebræ, nullum habent motum.

Particula ſecunda, eſt de ortu neruorum ſenſus à cerebro. Et triplici ſpecie regitiuæ virtutis. Et de neruis opticis & ipſorum coniunctione, & ſpiritibus viſiuis. Et de modo quo fit viſio. Cuius ſex ſunt capita.

Quòd omnes ſenſus à cerebro procedunt & ab ipſo prodeunt ſeptem paria neruorum, cæteri verò nerui à ſpinali medulla. Cap. I.

Eceſſe eſt qui naturam oculorum vult ſcire, prius cerebri naturam optimè cognoſcat. Viſus enim ab eo procedit & ſuperior eius actio ad eum conuertitur. Cerebrum autẽ frigidius & humidius cæteris mẽbris eſt, quod poſtea explanabimus. Initium enim eſt ſenſus & voluntarij motus ac regitiuæ virtutis. Nullũ enim aliud membrum hac actione fungitur, ſed cerebrum: his enim modis operatur, vel per ſe, vel per viam adiuuantis, inſtrumento adiuuante ſenſum agit & motum voluntarium. Inſtrumenta, ſunt nerui qui duobus ſunt modis, quidam à cerebro, quidam à ſpinali medulla procedunt: medulla ſpinalis tamen de cerebro eſt, vnde cerebrum fundamentum neruorum eſt omnium. Sed duris neruis voluntarius motus efficitur: dum nerui cum lacertis componuntur. Lacerti enim de neruis ſunt & carne & ligamento compoſiti, & ligamenta ab oſſibus procedũt. Molles nerui quinq; ſenſus faciunt, quibus omnibus ſubtilior & acutior eſt viſus, qui ſenſus igneus eſt, & igneam habet naturam, id eſt ſplendorẽ & ruborem: lumen igneæ eſt naturæ, quia cũ coadunatur intus, ignis ex eo ſuccenditur. Poſt viſum eſt auditus, poſt quem olfactus, poſt olfactum, guſtus: qui quidẽ quia ſentit quod eſt aquoſum, aquæ pertinet. Sapor enim qui ſentitur nihil aliud eſt quàm aqua alicuius corporis ſiccitati admiſta calore operante: proinde antiqui ſaporẽ vocarunt Chymum, id eſt liquorem. Cæteris ſenſibus tactus craſſior eſt, qui quidem ſentit quod terreum eſt, & terræ pertinet, id eſt durum, molle, calidum, frigidum & ſiccum & quæ ex his procedunt. Omnes autẽ nerui ſenſum habent tactus, ſed non volũtarium motum, vt diximus, quia duri nerui tantum voluntario motu funguntur, ſed molles duris ſunt ſenſibiliores, procedunt verò duri plus à ſpinali medulla. A cerebro autem procedunt ſeptem paria neruorum quorum primum & ſecundum par ad oculos veniunt, vnum eſt concauum per quem ſenſus viſus fit, id eſt per quem animatus ſpiritus viſum dans ad oculos tendit. Secũdum par, oculi lacertos, & palpebras mouet. Tertium, ad linguam tendit dans ei ſenſum ſaporum. Quartum, ad palatum deuenit vbi guſtus ſenſum facit. Quintũ, ad aures accedit ſenſum auditus faciens. Sextum, ad viſcera deſcendit, & per ea diuiditur dans eis tactum. Septimum, mouet lacertos linguæ. Cæteri quibus mouẽtur manus, pectus, pedes, dorſum & caput de ſpinali medulla procedunt. Sic cerebrum cũ inſtrumento, id eſt neruis, motũ agit & ſenſum.

De trina actione virtutis regitiuæ, & de animali ſpiritu, & natura cerebri. Cap. II.

Egitiua verò actio per ſe ſolum tribus modis eſt, phantaſia in fronte, ratio in medio, memoria in puppi. Cerebrum autẽ habet quatuor concauitates quæ dicuntur ventriculi, duæ ſunt in prora, tertia in puppi,

quarta inter prorã & puppim, in quibus ſemper eſt animatus ſpiritus, quo actus, vt diximus, fit. Spiritus autem animatus, de vitali fit, vitalis in corde generatur & naſcitur. A corde enim duæ venæ ad cerebrum aſcendunt, quæ ſubtus cerebrum venientes, multis diuiduntur modis, & protelatæ faciunt quaſi rete, per quas ſpiritus vitalis à corde ad cerebrum ductus, in illo reti moratur, quouſque mundificetur, & ſubtilietur. Purificatus deinde ad medium ventriculum cerebri tendit, ibiq; aliquantulum permanens ſubtiliatur, poſtea ad puppis vadit ventriculum: ſed via quæ eſt à medio ad puppim nõ eſt aperta: habet enim portã in qua quodam obſtaculũ eſt, cuius forma eſt ſicut pinea, quam anatomici Vermen vocãt, ſed fermè ſemper clauditur, vnde cum ſpiritus qui eſt in puppi, fuerit motus, fit memoria: cum is qui eſt in medio, fit intellectus & ratio: cum ille qui eſt in prioribus, fit ſenſus communis & phantaſia. hæc eſt diſpoſitio cerebri, ſuæq; actionis. Cerebri autem natura frigida eſt & humida. Frigida duabus de cauſis. Vna propter multitudinem ſui motus quo fiunt memoria, intellectus & imaginatio. Secunda propter motionem quæ ab eo dirigitur, vnde fiunt ſenſus & voluntarius motus, ne cauſa ſuæ motionis calidiſſimum factum, incenderetur, & incenſum conſumeretur amplius. Si cerebrum calidum eſſet, memoria inſtabilis eſſet: caput enim calidum, mobile eſt naturaliter, frigidum contra. Memoriæ verò requies & ſtabilitas eſt neceſſaria, quod ſic atteſtantur, quia calidum cerebrum habentes, inſtabiles & mobiles ſunt. Humiditas autem, cerebri duabus de cauſis eſt neceſſaria. Vna, ne ex motu nimio deſiccaretur: motus enim calorem facit, calorem verò deſiccat humiditatem. Alia, vt in eo velociter imaginatio formaretur, & cito ſenſum qui eam dirigit ſuſcipere poſſet, & velociter ad audita diſcernendũ moueretur, rurſus vt nerui ab eo procedentes molles eſſent. Impoſſibile eſt enim à duro, molle, vel à molli, durum generari, proinde prora mollior eſt puppi, quia de prora molles, de puppi, duri nerui procedunt, quibus motus voluntatius fit.

De neruis opticis & eorum differentijs à cæteris neruis. Cap. III.

QVi inſtrumentum viſus optimè ſcite deſyderat, primùm naturã vtriuſque nerui viſibilis inueſtiget, vt bene cognoſcat, quibus cum cæteris neruis communicet, & quibus diſcrepet. Deinde de viſibili ſpiritu perquirat, quatenus ſciat cum quibus ſpiritibus conueniat, & in quo diſcrepet: poſtremò de ipſo viſu quomodo fit, quòd in hoc capite planè deſcribam. Primùm itaq; neruorũ par, quòd ſupra diximus, cum vtroq; cerebri panniculo deſcendere, & ſecum viſibilem ſpiritum ducere, cum cæteris neruis ſenſum facientibus duobus modis conuenit. Vno, quia vt alij, à cerebri prora deſcendit. Alio, quia & ipſe nobilis eſt, diſcrepat tamen ab eis, ſex modis. Primo quia maior cæteris eſt à cerebro & à ſpinali medulla procedentibus. Magnus verò quia concauus eſt: ſi enim eſſet paruus, neceſſario ſubtilis eſſet, vnde cito frangibilis, cuius concauitas neceſſario fuit larga: vt nullam pateretur obſtructionem, & ideo magnus fuit. Secundo, quia ſolus ſic concauus eſt, vt eius concauitas ſenſui oſtendatur, quæ concauitas protenditur vſq; ad locum in quo panniculus oculorum qui Rete dicitur, ſe procreate incipit: quod facile ſenſui patet, ſi anatomia cernatur. Inchoat quoq; ipſa cõcauitas ab vtroq; cerebri ventriculo, qui eſt in cerebri prora, in quo tamen loco cõcauitas videri non poteſt, quia ſubtiliſſima & anguſtiſſima eſt: hoc

foramen qui vult aſpicere,quęrat in cerebro magnorum animalium in hora,qua occiduntur. Caueat tamen ne in æſtate, calidóve tempore fiat, & vtroſque cerebri panniculos tangat caute,ne frangantur:& in fine illorũ panniculorũ inueniet illud neruorum par ab vtroq; ventriculo procedens, poterítque videre qualiter ipſa concauitas ab ipſis ventriculis inchoet. Tertiò,quia vterque viſibilis neruus, intrinſecus eſt molliſſimus, vt facile ſentire poſſit,extra aliquantulum durus, vt à paſſione ſit illæſus. Quartò,quia per hoc par neruorum multo maior ſpiritus quantitas,quàm per omnes neruos ſenſum & motum voluntarium facientes ducitur.in illis tamen nõ ſubſtantialiter,ſed ſola virtus eius per eos vehitur:per illud autem par,multa ſpiritus eſſentię quantitas defertur.Oculi enim cum ſint nobiliſſimæ actionis,vadit ad eos multum de ſubſtantia ſpiritus,vſq; ad panniculum qui dicitur Vuea:hoc enim fuit neceſſarium ad adiuuãdum viſum.Quintò,quia cæteri nerui quanto ſunt à cerebro remotiores, tanto ſunt duriores, & à propria natura mutantur, iſte intrinſecus molliſſimus eſt, extrinſecus verò ſolidior, vt mollities interior exteriori duritie tueatur,ne quando deſiccetur, cuius mollitiẽ & ſi aliquantulum inuenies indurari,tamen ad oculos veniens,in naturam quam in cerebro exiſtens habuerat,cõuertitur:in panniculo enim qui Rete dicitur mollis efficitur,ita vt naturam cerebri procedat,fitq; quaſi rete. Sextò,quæ & laudabilior eius proprietas eſt:quia hoc par neruorum cum è prora vtriuſq; ventriculi ſeparatum egrediatur,non recto itinere ſicut exierat,vadit:ſed per interiota capitis torquetur,& ad oſſa narium veniens commiſcetur:ſic vt ipſorum vtraq; foramina fiant vnum ibidem. Iterum hi nerui ſeparantur, & recto itinere, vt egreſſi fuerant,vadunt,vnúſq; è dextro ventriculo exiens,ad dextrũ oculum tendit: alter de ſiniſtro prodiens ad ſiniſtrum peruenit, de quorum coniunctione & ſeparatione plures antiquorum diuerſè ſenſerunt.

De opinionibus circa cauſam coniunctionis neruorum opticorum: & de cauſa ob quam non vnicus exiuit craſſus à medio primi ventriculi cerebri. *Caput.* IIII.

QVidam hęc ideo fieri dicebant,vt ſi vnus læderetur,alius ſubueniret:alij eos ideò eſſe cõiũctos,quia õnis ſenſus ab vno fundamẽto ꝓcedit,quorũ ſẽtẽtia prorſus vana eſt. Natura enim tã optimè,tã fortiter, mẽbra cõpleuit,vt nullã timeãr paſſionis occaſionẽ,nec ſolũ nerui viſum ferẽtes ab vno loco exeũt,ſed omnes ab eodẽ loco egrediũtur,neq; tamen poſtea cõiunguntur. Nõnulli ob hoc eos dicunt cõiungi:vt vnus ab alio confortetur:ſi enim ſeparati eſſent,propter itineris longitudinem rumperentur,quod quidem non impoſſibile eſt,ſed tamen non eſt via tam longa, vt in ea rumpi debeant. Alij ſic aiunt, quorum intentio vera eſt: ſpiritu viſibili veniente ad oculos, neceſſe eſt, vt vno oculo clauſo totus ſpiritus ad alium veniat.quod fieri non poſſet,niſi nerui prius ſeparati coniungerentur, & iterum ſepararentur: quod huiuſmodi experimentũ teſtatur. Si aliquod corpus ſuper naſum ponatur, vtroq; oculo ad videndum directo, fit viſus debilior & obſcurior: ſed vno clauſo, fit viſus in altero fortior, quàm in vtroq; fuerat,& quod vtriq; cernere nequiuetant, vnus ſolus clariſſimè aſpicit.hoc ideò,quia ſpiritus qui in vtroque fuerat,ad vnum conuettitur:altero enim clauſo,alterius pupilla clarior efficitur.Alij alio modo ſentiunt,quorũ ſententia eſt neceſſatia,niſi netui ad oculos directi primũ coniungetentur, & poſtea

ſepararentur,neceſſario res vna, dupla viſui appareret. cum enim res viſibilis videri non poſſit,niſi viſu oculos pupillas exeunte: ipſe autem viſus per lineas rectas egrediatur, & rem recto tramite ante ſe percipiat: ſicut videmus radios ſolis per anguſtam cauitatem domum ingredi, & lineæ ipſæ anguſtæ ſunt in exordio ſui: deinde verò paulatim dilatantur, fiátq; in vtroque oculo quaſi quadam pineæ forma neceſſe eſt,vt vterq; viſus linea directus,& in loco vbi eſt res vidẽda coniunctus,eam æqualiter percutiat:deinde quouſq; ad pupillam æqualiter egrediatur: & per vnam ſuperficiem ambo ambulent. Duorum exordia ſunt in loco, vbi vtriq; nerui coniunguntur,ibi vnus idémq; factus,& ſic ex vtraque pupilla à ſuo loco egreſſus,videndam rem videt,eámq; ſicut eſt, comprehendit: quoniam ſi vna pupilla à ſuo loco inferius vel ſuperius mutaretur,res ſuperiori pupilla viſa,ſuperius videretur,ſicq; dupla appareret:propter quod oculis tria fuerũt neceſſaria,ſcilicet pupilla funditiua viſus,locus vbi vterq; coniungitur neruus,& rectę lineæ,vt viſus recte per eas tranſeat. hæc eſt cauſa quare nerui ad oculos venientes prius coniunguntur. Sed tamen quidam ſic obijciunt.Cum illos duos neruos neceſſarium ſit coniungi: quare non ſtatim vnus facti ſunt, ſed duo. Quibus eſt reſpondendum,vnus ideo neruus non fuit,quia à cerebri medio exire nõ potuit, maximè quia magnus eſt vtérq;:item magna quædam concauitas illic eſt,vbi palati foramina cerebro coniunguntur, per quam cerebrum ſuam ſuperfluitatem expellit:via etiam quæ ad nares ducit, ibi conſtat. illa autem concauitas, & hæc via,ibi eſſe non poſſet, ſi neruus vnus ibi locaretur. Nares enim ſunt in media facie,vnde niſi earum foramina cerebro oppoſita eſſent,olfactus non eſſet.quia ergo cerebri loca rebus hiſce comprehenſa ſunt:neceſſe fuit,vt nerui viſum ferentes non ab vno loco egrederentur,quos natura invno loco coniunxit,vt idẽ foramen eos habere faceret:deinde,vt ſeparatim ad vtrunq; oculum irent,ſeiunxit.

De animato ſpiritu & viſibili,& quòd viſibilis ſpiritus ſubſtantialiter ad oculos peruenit, & ad aliorum ſenſuum organa ſolum perueniunt eorum ſpiritus irradiatiue. Cap. V.

VIſibilis, vt diximus, ſpiritus de ſpiritu naſcitur animato,à ventriculis proræ cerebri procedens: ibíq; mundificatur vt diximus, cum de cerebri natura diſputauimus:qui ſpiritus,ſpiritualiter eſt ſenſibilis,quia viſus vnus è ſenſibus,cæteris dignior & nobilior, porrò ipſe habet proprietatẽ quã nullus aliorum ſenſuum habet. Animalis ſiquidem ſpiritus in cerebri ventriculis exiſtens ſenſum & voluntarium mandat motum: virtus enim ipſius per neruos penetrat ad cætera mẽbra:eſſentia verò in proprio permanet loco, ſicut ſol totũ aerem illuminat,ipſe tamen in vno loco ſtat, ſed ad oculos non ſolum virtus viſibilis ſpiritus,ſed ipſe ſpiritus eſſentialiter dirigitur,& tanta eius quantitas,quanta eſt neceſſaria,illuc adducitur,quod vtriuſq; nerui concauitas atteſtatur.id etiã hoc teſtatur,quia vno oculo clauſo,ad pupillam alterius tota virtus conuertitur cauſa neruorũ cõiunctorũ:inde foramen pãniculi qui dicitur Vuea,prę multitudine ſpiritus neceſſario dilatatur:aperto verò oculo cũ ſpiritus ad eũ reuertatur, foramen vueæ ad propriam redigitur menſurã. Hoc ſigno etiã, ſi obſeruari poſſit,cognoſcitur.ſi vno oculo aqua clauſo pupilla alterius dilatetur:ſpiritus enim viſibilis in eo eſſe demonſtratur,vnde aqua quę tranſitum eius obſtruit, ablata, viſus redditur. Si verò non dilatetur, hoc ideo eſt quia neruus per quem ſpiritus

ducitur,obstructus est,vnde etiam cum cæteri nerui nullam habeant concauitatem,quia virtus animalis spiritus nō ipsemet essentialiter per eos ducitur,oculorum nerui necessario concaui fuerunt, vt spiritus substãtialiter per ipsos transire possit.Cæteri autem non sunt concaui,ne per corpus diuisi, & à suo fundamento remoti,leuiter rumperentur:vel quia tanta spiritus quantitas sensui motui voluntario non est necessaria quanta visui. Nullus enim sensus, præter visum,sentit sentiendam rem, nisi ei coniungatur: visus autem pupillam egrediens longe remota sentit, vnde multa spiritus quantitas necessaria est: & ideo nerui necessario concaui facti sunt.

De modo quo fit visio. *Caput* VI.

Videndum est etiam quomodo fiat visus. Diximus ergo cum aliqua res videtur necessario, vel aliquid ex ea dirigitur visui, per quod quid ipsa sit,cognoscitur:vel virtus visus etiã ad eam mandatur, vel aliquid medium est inter visum & rem visam,per quod ipsa cognoscitur.Sic potest ergo inuestigari quòd horum certum sit.Omnes philosophi concordati sunt, quod res non possit videri nisi per faramen pupillæ. Si ergo ad visum à re videnda aliquid dirigitur,siue sit virtus,siue sit forma,siue qualitas,siue quantitas mẽsurata,quomodo illud angustum foramen intrare poterit?quæ etiam virtus esse potest quæ ad oculos diuersorum in momẽto rem vidẽdam deducat? quod quia impossibile est,spernatur. Quòd autem visibilis spiritus pupillam exiens solus ad rem videndam vadat,eiúsq; quantitas magnitudinem comprehendat,falsum est.Ipse enim spiritus non tantæ est quantitatis, vt adeò dilatari possit, vt tot & tantas rerum ambiat quantitates, cum in vno momẽto multa & diuersa & maxima indiuidua comprehendimus. Ad tertium ergo membrum conuertamur. quippe aer corpora circundans,si clarus & lucidus fuerit, supplementum visui facit quod nerui cerebro,quia sicut splendor solis,sic spiritus recipit virtutẽ.sicut enim solis splẽdor superiorem aeris extremitatem percutiẽs, totum aerem penetrat,eúmq; clarificat: sic & visibilis spiritus pupillam egressus, mox totum aerem penetrat, & extensus per loca remotiora,mutat ea in suam naturam: quod fit cum aer in toto iunctus est, quod in sole palàm fieri videtur. Si enim aliquod corpus in aere ponatur, cum solis splendor illud nequeat penetrare, forma illius corporis post se obscura apparet.causa,quia non suscipit aer lumen nisi sit continuus, nec solis splendor,separatum à se aerem mutat:quoniam si actio splẽdoris fortiter in aere operata fuisset, posset in eadem actione permanere, splendore solis absente. Sed vtriq; hac carent proprietate,quòd neq; solis, neq; splendor suam actionem aeri, ipso absente,potest dimittere:rectè ergo causa dans lumen ablata, ipso momẽto, lumen ab aere aufertur.Eodem modo de neruis intelligitur: quia si netuus fuerit incisus & à cerebro diuisus, illico membrũ cui sensum dabat,fit insensibile. Propterea hæc duo sic debent esse coniuncta,id est aer & spiritus, sicut nerui & cerebrum: & quanuis aer in altera mutetur actione,sicut cum calefit vel infrigidatur,& in qualitate rei calefacientis vel infrigidantis permanet: lumen tamen nõ idem in aere operatur:ipse enim absente & lux ab aere amputatur.Deinde necesse est semper,vt aer continuatim illuminetur. hoc enim nisi fuerit, nullo modo lucidus fieret:sic & nerui cerebto faciunt supplementum,quia licet de substantia

sint cerebri, duriores tamen sunt, quò lucidioribus passionibus subiaceant, vnde aliquantulum à natura cerebri sunt mutati. Sed nerui duobus modis sunt. quidam enim motum faciunt, quidã sensum: & facientes sensum, molles sunt: operantes motum, sunt duri. Et quanuis nerui duri sensum habeant tangendi, molles tamen nerui non inueniuntur illam cum duris neruis habere societatẽ. sed ipsi duri hoc faciunt, quia tactus cæteris sensibus est crassior. Sensus autem visibilis, quia cæteris sensibus est acutior & subtilior, ideo neruus spiritum visibilẽ seruans, cæteris sensibilibus neruis cerebro est propinquior. Quia igitur oculi in aere agunt, sicut cerebrum in neruis, ideo multam quantitatem spiritus habuerũt, vt in aere rẽ suã faciant, sicut in neruis proprias res cerebrũ. Visus autem primò colores sentit quod ei propriũ est, deinde corpus in quo fundati sunt: sicut gustus prius sentit sapores, postea fundamenta eorũ. Gustus tamen & cæteri sensus rem sentiendã ad se venturã expectant: visus verò ab oculis elõgatur, & per aerẽ extenditur quousque ad corpus perueniat coloratũ. hac de causa solus visus sentit formã corporis ac quantitatẽ, & cum eius colore motũ rationabiliter, non tamen essentialiter, sentit: quod nullus habet cæterorũ nisi tactus accidentaliter. verbi gratia, Siquis per tenebras ambulãs fustem in manu duxerit, eo amplius non potẽte penetrare, cognoscit quòd motũ per corpus solidum fieri impossibile est. Visus autem habet alteram proprietatem, quia incidens supra corpus leue, solidũ & lucidum: rectus ad pupillam conuertitur vnde exierat. vnde in speculo vel in aliis splendidis corporibus prope nos stantibus, videmus formam nostram: & siquis studiose in oculum alterius spectet, videt in eo suam faciem: causa, quia visus ad pupillam conuertitur propter luciditatem panniculi qui araneæ tela dicitur, est enim supra crystallinũ, sicut adeps superne coagulatus: & quasi rutilans, clara est. Veruntamen quanuis præ cæteris solus per aerem motum rei sentiẽdæ sentiat, non tamen arbitratur, sicut cæcus se cõfuse sentire: quia aer, mox vt rem sentit, eam visui ministrat: quæ proprietas soli inest visui, aerem videlicet in sui mutare naturam. Alterius etiam dignioris est proprietatis, quòd non solum recte, sed ex transuerso conspicit necessario, cum multus spiritus à cerebro ad oculos dirigitur, rursus spiritus pupillam exiens, & aerem percutiens, mutat eum in suam naturam. Recte ergo visus igneus dicitur, auditus aereus, gustus aquosus, tactus terreus, olfactus fumosus. quatuor enim elementa sensus quatuor constituunt, vt vnusquisque eorum vnum ex his comprehendat, & ea cũ in natura sua sunt, vel in aliud mutantur, vel aliqua accidentia patiũtur, discernat: præter hos quatuor sensus, fuit alius qui fumosa comprehenderet. fumus enim in sua naturã mediocris est, cum elementa non nisi quatuor sint. Sed visus qui ad hoc est, vt colores comprehendat, necessario luminosus fuit. solum enim quod lucidũ est, cõuertitur in colores. Testatur hoc aer, qui cũ clarus & lucidus sit, facile in colores mutatur. nã palàm est, quia siquis cãdidis indutus iaceat sub arbore, color vestimentorũ in frondiũ colorẽ mutatur: vnde patet aerẽ in illũ colorẽ fuisse mutatũ. Videmus etiam sæpe aerem in colorẽ lucidi parietis mutari, illũmque colorẽ per aerẽ ad illud corpus mutari, maximẽ si paries viridis vel rubeus fuerit vel citrini coloris: & sicut solis splendor eum ad suam mutat naturam, sic & colores in suas eum qualitates cõuertunt. Similiter & lumen visibilis spiritus mox vt aerem percutit, ipsum immutat. Hæc tria sunt quæ aerẽ sine vllo tẽporis spatio im

mutant, lumen ſolis, fulgidus color, & lumen viſibilis ſpiritus. Palàm ergo, viſum non fieri niſi aeris mediocritate, quod ſenſus atteſtatur. Antiqui etiam concordant dicentes aerem eſſe viſui veluti ramus, & conueniens eſt inſtrumẽtum cum fuerit lucidus, vel aliorum corporũ lucidorum lumine illuminatus: & ſic ſeruire aerem viſui, ſicut cerebro nerui. Sicut enim cerebrum non ſentit quod oculi comprehendunt, niſi neruis mediantibus: ſic & oculi nihil ſentiunt, niſi lucido aere mediante.

Particula tertia eſt de prima vniuerſali medicinæ intentione, & de rebus naturalibus, non naturalibus, & præter naturã, & de generibus & ſpeciebus, & cauſis & accidẽtibus morborum. Cuius ſunt quinque capita.

De prima medicinæ intentione, & de neceſſarijs ad eam. Cap. I.

Portet medicum præ omnibus primã & vniuerſalẽ medicinæ intentionem præuidere, & eam particulariter diuidẽdo ad indiuiduũ ducere. Prima autẽ medicinæ intẽtio eſt, quæ bifariã diuiditur: aut enim in ſanis, cũ ſimilibus ſanitas cuſtoditur: aut in ægris per contrarium ſanitas redditur. Quorum primæ neceſſaria eſt rerum naturaliũ ſcientia. naturalibus enim agnitis, patefiunt ea quæ ſunt ſimilia ſanitati: & ſic etiam cognoſcuntur quæ ſunt contraria. ſimilibus ergo ſeruatis, contrariis prohibitis, ſanitas cuſtoditur. Secundæ autem intẽtioni duo ſunt neceſſaria: non naturalium ſcilicet & contra naturã rerum ſcientia. Sanitas enim infirmo cum quadam mutatione reſtituitur: quã mutationem qui facere vult, neceſſe eſt ſciat ad quid mutare decet. Niſi enim ſciat de quo, & ad quid mutandum decet mutare, non ſecurus eſt quin vnde cõuenit non immutari, mutet. & niſi nouerit ad quid decet mutare, ad id quod nõ oportet, conuertere poterit. Sanitas infirmo redditur commutatione rerum contra naturam ad naturalia. vnde & iſta ſciri debent ad quæ illa tranſmutantur, & illa etiam quæ ad illa conuertantur.

De rebus naturalibus, non naturalibus, & contra naturam. Cap. II.

Es autẽ naturalis duobus eſt modis, generalis & ſpecialis. Generalis dicitur eſſe humani corporis complexio, & vniuſcuiuſque corporis compoſitio. Complexio quidem multipliciter eſt: tum ætas, & cõſuetudo. Naturalis complexio eſt ſecundum differentiã ſexus, vt in mare & fœmina: vel ſecundum euentum, vt eſt complexio ſpermatum, vel ſpirituũ de quibus fit. Cõſuetudo ſex modis eſt. Primo ex aere & eius mutatione, quæ mutatio vel localis eſt, vel temporalis, cũ aliquid in tempore contingit. Secũdo ex motu vel quiete. Tertio ex repletione vel inanitione. Quarto ex ſomno vel vigilia. Quinto ex cibo & potu. Sexto ex animæ accidentibus. Specialis eſt, vt virtus, quæ triplex eſt, naturalis, vitalis, animalis. Superius animalẽ tetigimus, cũ de cerebro diſputauimus. Vitalis eſt quæ cor & arterias facit pulſare. Naturalis triplex eſt, generatiua, nutritiua, & augmẽtatiua. Nutritiua quadruplex, attractiua, retẽtiua, digeſtiua,

& expulſiua. Res autem extra naturam duplex eſt, aut eſt nocumẽtum actionis, aut quod ex eo generatur. Nocumentum actionis, aut quod ex eo generatur, duplex eſt, aut eſt ſine mediatore, & morbus dicitur: aut cum mediatore, & cauſa vocatur. Quod autem actionis nocumẽto generatur, accidens nominatur: quod iterũ duplex eſt, ſcilicet aut ex diuerſis corporis qualitatibus, aut à qualitatibus diuerſis à corpore egredientibus. Corporis qualitatis diuerſitas quinque modis eſt. Sunt enim qualitates quæ ſentiuntur. Qui ergo ægro ſanitatem vult reſtituere, decenter debet inueſtigare ſeptem res naturales, quæ ſunt, elementa, complexiones, humores, membra, virtutes, ſpiritus, & operationes, & quæ ſequuntur eas, vt ætates, colores, figuras, diſtantia inter maſculum & fœminam. Et res nõ naturales quæ ſunt ſex. Aer, cibus & potus, inanitio & repletio, motus & quies, ſomnus & vigilia, & accidentia animæ. Et res extra naturam quæ tres ſunt. Morbus, cauſa morbi, & accidentia morbum concomitantia.

De generibus & ſpeciebus morborum. Cap. III.

MOrbus generaliter triplex eſt, quia corporis conſtitutio trina eſt. Prima corporis conſtitutio eſt in membris ſimplicibus, ex elementis cõpoſitis, in quibus quædam morbi ſpecies generantur, quæ duobus modis ſunt, vel ſimplices, vel compoſitæ. Simplices quidem ſunt, calida, humida, frigida & ſicca. Compoſitæ verò ſunt, calidæ & ſiccæ, calidæ & humidæ, frigidæ & humidæ, frigidæ & ſiccæ. Secunda corporis conſtitutio eſt in membris quæ compoſita vocãtur, ex ſimplicibus compoſitis, in qua fiunt morbi quatuor modis: aut ſecundum formam membrorum, aut ſecundum compoſitionẽ, aut ſecundum magnitudinem, aut ſecundum numerum. Secundum formam quinque modis, in figura, foramine, concauitate, lenitate, aut aſperitate. Secundum compoſitionem dicitur cum à loco mutantur, vel in loco malo ponuntur. Secũdum magnitudinem bifariam, vel vltra modum, vel infra. Secundum numerũ ſimiliter, vel vltra modũ, vel infra. Vltra modum naturaliter, vel extra naturam. Tertia corporis conſtitutio eſt corporis totius ex vnitate ſimplicium & compoſitorum membrorum facta, in qua morbus generatur qui ſeparatio iuncturæ vocatur. Hæc ſunt genera morborum & ſpecies.

De cauſis morborum. Cap. IIII.

CAuſa autẽ morbi eſt generaliter ſicut genus, ſed ſpecialiter eſt triplex. Cauſa enim morbi ſimplicis, aut calidum facit morbum, & eſt ſeptupla, id eſt nimius motus animæ, corporis paſſio, calor exterior, anguſtia pororum, putredo, rerum acutarum acceptio, cibi paruitas. Aut frigidum facit morbum, & eſt octo modis, tactus rerum frigidarum, acceptio earum, multitudo cibi & paruitas, obſtructio pororũ & largitas, nimius motus & quies. Aut facit morbum ſiccũ, & eſt quadruplex, ſiccæ rei obuiatio, cibi ſicci, cibi paruitas, nimius motus. Aut facit morbum humidum, & eſt cõtraria proximæ dictæ. Sed ſimplicibus morbis quos diximus cum materia exiſtentibus, commiſcentur cauſæ intraneæ, quæ ſunt, virtus membri impellentis, debilitas recipientis, materiæ multitudo, pororum largitas, defectio nutritiuæ virtutis. Cauſa morbi compoſiti vel eſt ſecundum figuram, vel foramen, vel concauitatem, vel aſperitatem, vel lenitatem. Secundum figuram aut propter quantitatem ſpermatis, vel qualita-

tem, vel propter aliquod accidens quod infans patitur quando naſcitur, vel cum lac ſugit, vel propter alia. Secundum foramen, vel propter obſtructionem, vel propter coniūctionem. Obſtructio fit à fortitudine retentiuæ, vel defectione expulſiuæ, vel propter frigiditatem & ſiccitatem, vel ligaturæ ſtricturam. Secundum concauitatem, aliquid innaſcens, vel in membro incidens, vt eſt chymus, lapis, verrucæ. Largitas foraminis coniunctioni contraria eſt. Aſperitas de genere ſeparationis eſt iuncturæ, cū non eſt à caliditate: quod poſt planius dicemus. Lenitas eſt aſperitati contraria. Corruptio loci fit cū membra à naturalibus ſuis locis mutantur, vel ſeparatione, vel mollitie concatenationis membrorū. Magnitudinis cauſa eſt multitudo materiæ, vel fortitudo naturæ. Paruitas mēbrorum cum contrario eſt: aut propter inciſionem. Magnitudo in numero, aut naturalis eſt, ex ſpermatis abundantia, aut accidentalis, vt lapis in veſica. Paucitas autem eſt econtrario. Separationis iuncturæ triplex cauſa eſt: inciſione exterius facta, vt igne vel enſe, vel interius, vt ex acutis chymis, aut extenſione, vel exteriori vt cum fune, vel interiori, vt ex craſſa ventoſitate: aut de fractura, vel exteriori, vt à lapide, vel interiori, vt ex craſſis chymis.

De accidentibus morborum. Cap. V.

ACcidentia ſunt tria, ſcilicet nocumentum actionis, diuerſitas egredientium à corpore, diuerſitas qualitatum corporis ſenſibilium, quorum duorum cauſa eſt nocumētum actionis. Actiones tres ſunt, animalis, naturalis, vitalis. Nocumentum actionis triplex eſt. Nam omnis actio tria patitur: vel enim ex toto aufertur, vel minuitur, vel mutatur: verbi gratia, tactus aut amputatur, & dicitur ſtupidus, aut minuitur, & titillatio vocatur, aut à ſua natura mutatur, & tunc corrupta vocatur. Cauſa horum duorum eſt frigiditas tertii gradus, & iuncturæ ſeparatio. Palàm ergo eſt quod cauſa nocumēti actionis morbus fit. Morbus tantum nocet actioni ſine mediatore: ideo nocumentum actionis eſt ſignificatio morbi, nec eſt differentia inter accidens & ſignificationē, niſi in noſtra intentione, quia noſtra intentio eſt in nocumento actionis, & id ad quod ſequitur nocumentum, morbum vocamus, & illum in ſequentia accidentia dicimus. Morbum autem dicimus cauſam accidentium, vnde morbo cognito, cum accidentia ſcire volumus, dicimus accidentia ſignificationes.

Particula quarta de accidentibus & morbis oculorum, & neruorum ſuorum, & muſculorum, & palpebrarum. Cuius ſunt quatuordecim capita.

De accidentibus morborum oculorum in generali. Cap. I.



Ed quia intentio huius libri eſt patefacere ſignificationes morborum oculorū, prius oportet ſcire eorū accidentia, vt via qua ad morbi notitiam veniamus, ſit nota. Accidentia ergo oculorum ſunt triplicia, nocumenta actionis, & quæ ex illis ſequuntur: diuerſitas in oculis, ſcilicet ſenſibilis qualitas, & diuerſitas

ab eis exeuntium. Nocumentum autem actionis oculorum, eſt ſecundum quantitatem actionis, id eſt eorum quæ ſunt actionis, vel animalis, vel naturalis. Nocumentum naturalium actionum, eſt quod accidit quatuor virtutibus naturalibus: animalium verò actionum quod ſenſui & voluntario motui accidit. Actiones animales tantum duas ſpecies ſenſus habent. Nocumentum naturalis actionis in hoc loco non oportet notari, quoniam in hoc non differunt oculi à corpore toto: ſequitur enim nocumenta tactus, vt ſunt mollities, titillatio, & dolor: ita oculis vt toti corpori accidit. Accidentia verò viſus & voluntarii motus quæ oculi patiuntur hîc oportet dici.

De diuiſione accidentium oculi, & declaratione membrorum diuidentium. Cap. II.

Sciendum itaque quòd accidentia quæ oculis contingunt, aut in eius inſtrumento ſunt, aut in ſua virtute, aut in miniſtris. Inſtrumentum viſus eſt humor cryſtallinus qui patitur, vel vnũ ex octo ſimilibus morbis, vel ex compoſitis morbis, cum à ſuo loco mouetur, vel iuncturæ ſeparationẽ. Si mutatur à loco ſurſum vel deorſum, in vtroque oculo videt rẽ duplam: ſi mutatur dextrorſum vel ſiniſtrorſum, non apparet res dupla. Virtus viſus à cerebro per concauum neruum deſcendit: vnde eius paſſio vel de nerui, vel de cerebri fit infirmitate. Quorum infirmitas triplex: ſimplex quæ eſt vna de octo: vel officialis, vt apoſtema & obſtructio, vel iuncturæ ſeparatio. Miniſtri viſus ſunt humores, & ſpiritus, & panniculi, qui oculis ſeptem habentur: quorum illi qui ſunt ante cryſtallum, ſunt foramen vueæ, id eſt pupilla, albugo oui, ſpiritus qui eſt in pupilla, & quantitas pupillæ, quæ corona dicitur.

De accidentibus pupillæ. Cap. III.

Coræ, id eſt pupillæ contingunt quatuor, largitas, anguſtia, mutatio de loco, & tortuoſitas. Largitas vel naturalis eſt, vel accidentalis. Accidentalis eſt, vel de extenſione panniculi quo tegitur, cuius extenſio de paſſione eſt vueæ: vel de multitudine humoris albuginei. Paſſio vueæ aut ſimplex eſt, vt ſiccitas: aut compoſita, vt apoſtema. Anguſtia pupillæ, vel naturalis eſt, vel accidentalis: de mollitie, quæ mollities de nimia fit humiditate dominante, & lubricum faciente, aut de albuginei paruitate. Largitas pupillæ ſiue naturalis, ſiue accidentalis, ſemper eſt mala, quia ſpiritum ſpargit. Sed anguſtia, ſi propter rem de qua facta eſt ſtricta, naturalis eſt, bona eſt, quia ſpiritum coadunat: accidentalis tamen moleſta eſt, non ideo, quia anguſta, ſed propter cauſam de qua facta eſt ſtricta, maximè ſi fuerit propter albuginei paruitatem. Duplex enim malum eſt. Vnum, quia cryſtallinus eſt diſcoopertus ad lumẽ: aliud, quia ex paruitate albuginei deſiccatur. mutatio pupillæ de loco, vel naturalis eſt, vel accidentalis. Accidentalis conſyderetur. Panniculi qui ſunt iuxta pupillam contumeſcunt, vulnerantur, & conſolidantur. Hæc tamen mutatio non multum eſt mala. Separatio iuncturæ, ſi ſit in vuea, & non ſit perforata, non multum nocet viſui: quòd ſi perforetur, currit humor albugineus, & vueam tunicã coniungit araneæ. Vnde quinque accidentia generat. Vnum, quòd vuea cryſtallino propinquatur, nec habet vnde cooperiatur: atque ſpiritus viſibilis de cerebro procedens non coadunatur in pupilla, ſed egreditur ab ea, & diſpergitur.

De accidentibus albuginei humoris. Cap. IIII.

Albugineus humor in quãtitate & qualitate patitur:in quãtitate,ſi augmẽtatur,vnde viſus obſcuretur,vel minuatur:vnde nequit cryſtallinũ cooperire in qualitate, liquore & colore: liquore ſi parũ craſſus fuerit, longinqua videre non ſinit,& propinqua bene diſcernit.Si ſit craſſiſſimus omnino,viſum occupat & amputat, & cataracta dicitur : quæ vel in parte vna,vel in multis locis diſpertita eſt in vuea, vel in pupillæ medio, vel circa eam. Si ſit in medio,omnia perforata videntur infirmo.Partem enim quam videre nequit,putat concauam eſſe. Si circa pupillam,multa in vna hora vuea non permittit videre propter paruitatem pineæ viſus. Si craſſitudo diſpertita ſit, & particulariter ſit diuiſa,quæ videt,putat eſſe quaſi ſtricta:vnde patiens cernit quaſi muſcas & ſimilia,quod pueri & febricitantes plurimum patiuntur.Color ſi mutetur,omnia coloris iſtius eſſe putantur,vtpote ſi fuerit plumbeus, omnia fumoſa apparebũt & tenebroſa:ſic,etſi fuerit alterius coloris idem ipſe color,in viſis omnibus apparebit:eis tamen ad cataractam præparati ſunt oculi, de quorũ ſtomacho fumus ad caput aſcendit,& patientibus fluit de naribus reuma.

De accidentibus viſibilis ſpiritus. Cap. V.

Spiritus viſibilis in qualitate & quantitate patitur.In qualitate,vtpote ſi fuerit ſubtilis, vnde bene diſcernit,ac res optime comprehendit:vel craſſus vnde ad remota loca penetrat,& lõginqua videt: vel paucus ad remota ſe elongare non valens,ſed ſolum propinqua cernens.

De accidentibus corneæ. Cap. VI.

Pannus cornea,quo pupilla tegitur, ſi quo modo patiatur,viſui nocet, cuius nocumentũ propter ſe,vel propter aliud fit.Propter ſe, tria morborum genera patitur,videlicet ſimplicem,compoſitionem,& ſeparationem iuncturæ. Simplex, vt humiditas & ſiccitas.Humiditas viſui nocet propter quantitatem: vt ſi fuerit multa , omnia ſicut fumus & nebula apparebunt: vel propter qualitatem,vtpote ſi rubea facit,omnia videri rubea facit,veluti qui patiuntur febel contingit.Si autem citrina fuerit,citrina apparebunt omnia,ſicut hictericis fit.Siccitas ſpaſmum generat,vnde viſui nocet,ſi multum:viſus ergo quandoque ex toto amputatur.Separatio iũcturæ, ſi fuerit perforata cornea, duobus modis viſui nocet.Vno modo propter putredinem in illo vulnere cõgregatam.Secundo,quia cryſtallinus ſecundo lumini ſit vicinus. Paſſio corneæ,quæ propter aliud fit,vel propter coniunctiuam, vel propter palpebram eſt.Propter coniunctiuam,ſi vngula naſcatur in ea,vel fiat apoſtema corneam operiens: ſed paſſio corneæ & coniunctiuæ & aliarum partium oculorum non nocet viſui,niſi accidentaliter.

De accidentibus motus voluntarij oculorum. Cap. VII.

Paſſio verò motus voluntarii oculorum eſt triplex. Vel enim amputatur, & mollities vocatur : vel minuitur, & tremor & titillatio dicitur: vel propter lacertos,cũ nõ vt oportet,mouẽtur,& ſpaſmus nũcupatur:

quorum trium vnumquodque fit, aut propter cerebrum, aut ptopter neruos, aut propter lacertos: ſed diuerſitas mollitiei ac ſpaſmi lacertorum oculos mouentium eſt ſecundum diuerſitatem motionis eorum. Quod quomodo videat, vel vnde procedat, in fine ſexti capitis planius dicitur.

De diuiſione morborum oculorum in apparentes & occultos, & primo de apparentibus. Cap. VIII.

MOrbi oculorum vel ſenſui apparent, & facillime cognoſcuntur, vel latent, & eorum notitia eſt obſcura, quorum ſignificationes intellectuali inueſtigatione comprehenduntur. Incipiendum igitur à morbis ſenſui apparentibus, & oſtendendum in quo loco oculorum appareant, & naſcantur. Morbi ergo qui ſenſui apparent, vel ſunt in coniunctiua, vel palpebra, vel in angulo oculorum, vel in cornea, vel in vuea, vel inter vueam & cryſtallinum. In coniunctiua ſeptem ſunt, videlicet petia, vngula, ophthalmia, tumor, duritia, & ſimilia. Petia, eſt ſanguis fluens de aliqua arteria, vel vena inciſa, quam patitur ex ictu. Vngula, eſt ſuperfluitas neruoſa aut carnoſa, extendens ſe ab angulo ad pupillam, & prohibens viſum. Ophthalmia triplex eſt, quæ viſum turbat. Cuius cauſa vel exterior eſt, ſicut fumus, ſol puluis, & ſimilia: vel interior, ſicut humores ad coniunctiuam fluentes. Sed prima ophthalmia mala non eſt, Cauſa enim quamprimum ablata, morbus amputatur. Secunda verò, poſtquam cauſa amputatur, habet & ſigna quæ habent cætera membra cum patiuntur apoſtema, quæ ſunt, tumor, inflãmatio, durities, lachrymæ, rubor, plenitudo venarum oculi. Tertia cæteris eſt fortior, quia & alias habet ſignificationes. Acumen enim palpebræ inuerſatur extrinſecus, eiúſque motio vix fit, & albugineus aſcendit ſuper nigredinem. Tumor eſt quadruplex. Vnus fit ex craſſa ventoſitate. Secundus ex phlegmatico humore nõ craſſo. Tertius ex phlegmate craſſo. Quartus ex melancholia, qui dicitur ſcliros, qui omnes ſic adinuicem diſcernuntur. Primus euenit ſubito, ſicut videmus ſeniores in æſtate pati propter muſcarum morſus. Secundus & tertius paulatim fiunt, ſine magno dolore & mollitie, minori in ſecundo quàm in tertio, quorum color eſt ſicut color totius corporis. Quartus vt plurimum fit in angulis oculorum, & aliquando dilatatur & aſcendit ad ſupercilia durus, multum habens dolorem. Eius color plumbeus eſt, qui multoties ſequitur varias & diurnas ophthalmias, & maximè quæ mulieribus contingunt. Duritia naſcitur in oculo toto, naſcitur & in palpebris, quæ motum grauem facit cum dolore & rubore, nec patiens valet oculos aperire cum à ſomno ſurrexerit, attamen ſunt lachrymæ ſalſæ & nitroſæ. dolor & rubot in toto corpore palpebris fiunt ex humiditatibus ſalſis aut acutis, ſi coniunctiua eſt plena craſſi ſanguinis, quæ cum inflatur, rubei fit coloris. Eſt & ptoflua, quæ pudorem & timorem facit.

De paſſionibus palpebrarum & angulorum ſuorum. Cap. IX.

PAſſiones palpebræ quædam ſunt communes morbis totius coporis, ſicut verrucæ, ſcroſulæ, & ſimilia. Naſcunturque vel extrinſecus vel intrinſecus. Extrinſecus, ſicut eſt craſſities, quæ eſt quaſi pinguedo viſcoſa relata neruis & pãniculis. Naſciturq; in palpebra ſuperiori, intrinſecus ſca

bies, grando, petrositas, & viscositas. Scabies quatuor modis est, vna dicitur psorophthalmia, alia choma, tertia sycosis, quarta telosis. Prima secunda leuior est, quæ magis aspera dolorem & grauitatem facit. Vtraque tamen in oculis humiditatem generat. Tertia dura est & asperior, quia palpebræ interioris quasi scissura est. Quarta cæteris deterior est & durior ad sanandum. Grando, est tumor crassus in interioribus coagulatus, vt quasi grando videatur. Inuiscatio, est quædam viscositas palpebram cum pupilla iungens siue in eius albedine, siue in eius nigredine, vel vtrasque palpebras simul iungens, qualis fit propter vulnera in oculis. Item nocumentum palpebræ triplex est. Vnum, erectio palpebræ superioris, ne oculi albedo possit cooperiri, quod aut est naturaliter, aut cum palpebræ tortura mala fit. Aliud est palpebræ breuitas. Tertium est palpebræ inuersio ad partem inferiorem quando nascitur, aut propter aliquod vulnus, vel propter carnem superfluam in carnibus natam. Rasura & vulnus nascuntur in eis sicut & in corpore toto in extremitate palpebræ. Pili superflui ad interiora conuersi nocent, & pili aliquãdo à palpebris cadunt. Nascuntur ibi pediculi & hordeoli. Pili superflui in interioribus palpebræ nascuntur, qui pungunt, & ad oculos humorem adducunt: pili cadunt aut propter humorem ad eos fluentem, aut propter alopeciam, & aliquando cum duritia, grossitie palpebræ, & rubore. Hordeolus est apostema nascens in extremitate palpebræ. AEgilops est vlcus inter oculos & nares, quod si fuerit neglectum, fiet ex eo fistula putrefaciens os, & quandoque putredo fluit per foramen ad nares, aliquando ad palpebram, eiusque cartilaginem putrefacit: & si palpebra digito tacta fuerit, putredo ab ea effluit, grãdo & lachrymæ noxiæ sunt oculis. Lachrymæ fiunt vel apostemate in foramine inter oculos & nares existente: qui hoc habent, semper lachrymas patiuntur, vel fiunt lachrymæ ex conamine medicorum acutas medicinas in scabie ponentium.

De passionibus corneæ. Cap. X.

PAssio in cornea nascens, vel propter oculos, vel propter totum corpus causatur, in qua tamen infirmus magnum dolorem sentit in neruo, & patitur extensionem in panniculis oculorum, qui panniculi ruborem & extensionem sentiunt ascendere, & maximè, si ambulat, aut mouetur, capitis dolorem patitur, & ab oculis subtiles & acuti humores fluunt, neque potest acuta collyria sustinere, neque valent oculis imposita. Passio corneæ propria est vulnus, macula, obscuritas, sanies, & talia multa, septem nominibus dicta, quarum quatuor intrinsecus, tres verò sunt superficietenus. Intrinsecus hæc sunt. Prima est vulnus, cuius color est quasi fumus, quandam partem nigredinis operiens. Secunda vulnus, plus primo concauum, sed tamen albidius. Tertia vulnus partem albedinis & nigredinis operiens. Pars tamen qua tegitur albedo, rubei coloris est: quæ verò super nigredinem stat, alba est. Quarta est vulnus quoddam in modum faculæ putrefactum. Passiones verò exteriores hæ sunt. Prima est quoddam vulnus concauum & angustum. Secunda est vulnus concauum, sed largius. Tertia vulnus plus cæteris putrefactum: hoc obliuioni tradito, oculorum panniculi putrefient. Quare autem omnes corneæ passiones aliquando curabiles, aliquando incurabiles sint, causa duplex est, aut propter diuersitatem vulnerum, aut propter diuersitatem materierum in vulnere existentium, & cornea

de multis corticibus compoſita eſt, vno ſuper alium locato. Aliquando vulnus in primo, aliquando in ſecundo, nonnunquam in tertio cortice naſcitur, propter materiam quæ in quantitate multa eſt, aut pauca, aliquando alba, aliquando nigra, modo ſubtilis, modo craſſa, calida ſola, vel acuta, vel nitroſa, vel dulcis. Quod poſt tertium corticem eſt, moleſtius eſt quàm quod poſt ſecundum: & poſt ſecundum, quàm poſt primum: ſalubrius quod fit in ſuperficie, deterius quod eſt poſt omnes cortices. Materia ſi fuerit multa calida, patiens magnum in oculo ſentit dolorem: multitudo enim materiei facit extenſionem & calidum dolorē. Item ſalubrius eſt quod nō eſt in loco pupillæ, deterius quod in loco pupillæ: quia ſi ſcindatur vulnus, non ſumus ſecuri, quin per vueam pupilla egrediatur, & fluat humiditas oculorum: quòd ſi vulnus ſuper pupillā ſit, vulnere ſanato viſus offenditur.

De egreſſione vueæ, & paſſionibus eius. Cap. XI.

EGreſſio vueæ quatuor modis fit. Aliquando enim egreditur parum, vt videntes puſtulam eſſe putent. Sed ſi diſcrete inſpiciatur vuea ſani oculi & vuea infirmi oculi, etſi earum colores ſint diſſimiles, ſcias pupillā egredi. Si verò ſimiles, apoſtema ibi ortum eſſe: aliquando plus exit, & tunc ſatis apparet eam eſſe egreſſam. Tertius modus eſt, cum tantum egreditur vt palpebræ minus præualeant, & pili palpebram pungentes iungendo dolorem inferat, & hunc modū melon dicunt. Quartus modus γόμφος Græcè, Latinè dicitur clauus: quia egrediēs pelliculas vueæ ſuperficiétenus operit, vnde eius forma fit quaſi clauus. Paſſiones vueæ ſunt, dilatatio aut conſtrictio. Dilatatio autem fit quatuor modis, aut ex nulla cauſa patenti, vel propter percuſſionem, vel propter apoſtema, vel propter aliam paſſionem.

De ſuffuſione, ſeu cataracta. Cap. XII.

INter vueam & cryſtallinum humorem aqua naſcitur coagulata, prohibens ſpiritum viſibilem à pupilla exire: quæ paſſio ſi eſt incipiens, obſcura eſt, perfecta verò facillime cognoſcitur. Sed qui ad hanc venturi ſunt paſſionem, eis ante oculos cimices volant, quibuſdam autem quaſi flammæ apparent, incidentibus autem viſus amputatur, & color pupillæ amputatur: huius aquæ color eſt diuerſus: quædam enim aeri, quædam vitro aſſimilatur: alia eſt quaſi album habens colorem, alia quaſi cæli colorem, alia quaſi viridem, alia quaſi venetum. vnde antiqui cataractas, veneticos oculos appellauerunt, ſed differentia eſt, quia venetici oculi duobus modis fiunt, vel propter aquam, ſi nimium fuerit coagulata, vel propter ſiccitatem quā patitur cryſtallinus. Species aquæ, quæ aeri aſſimilatur, facile poteſt curari, licet eius accidentia ſint quæ ſuprà diximus. Secunda verò ſpecies quandoque curabilis eſt, quandoque non, quod ſic dignoſcitur: Si vno oculo clauſo pupilla alterius dilatatur, poſſibile eſt ſanari: ſin autem, minime. cauſa, quia neruus concauus quo viſibilis ſpiritus ad pupillam ducitur, oppilatus eſt. Hæc cataracta ex paſſione ſtomachi procedit, vel cerebri, ſed ſic diſcernitur. Si apparitio in vno oculo fuerit, vel in vtroque ſed diuerſe, cataracta ex cerebro eſſe intelligitur: ſi in vtroque æqualiter, ſtomachi eſſe cognoſcitur. Item ſi modo plus, modo minus apparuerint, ita quod ſtoma-

cho minus digerente maior fit. Itẽ ſi patiẽs de ſtomachi arſura, vel ardore murmu rauerit. Item ſi ex picra exhibita, iſta imaginatio decreuit: cũ enim non fuerit huius mali cataracta, picra videtur nihil eſſe proficua. Si fuerit propter cerebrum, plurima ex phrenetica naſcitur paſſione, quia phreneſis eſt apoſtema calidũ naſcens in cerebri prora: fitque quaſi fuligo, calore ſecũdum humorem de quo naſcitur, deſiccante. Et per venas circa cerebrum & oculos ad oculorum ſubſtantiã penetrante, talia enim apparere facit. Sufficit de paſſionibus oculorum viſui apparentibus. Oportet de his dicere quæ difficile intelligũtur, quia intrinſecus naſcuntur.

De paſſionibus oculi natis intus, & occultis. Cap. XIII.

PAſſiones intrinſecus naſcentes ſunt mollities quæ dicitur paralyſis, & deſiccatio, quæ ſpaſmus vocatur. Paralyſis autem triplex eſt, vel enim motum amputat, vel viſum, vel vtrũque. Sed viſu amputato abſque cauſa manifeſta, vel etiam minorato notabiliter, propter nerui concaui paſſionem, vel propter viſibilis ſpiritus paruitatem fit. Neruus patitur conſtrictionem, vel iuncturæ ſeparationem, & tunc neceſſariò viſus corrumpitur, nec enim manifeſtatur, niſi rationabili inueſtigatione comprehendatur: verbi gratia ſi viſus abſque manifeſta cauſa vel minuitur, vel aufertur, interrogetur patiens an grauitatem ſentiat in prora capitis, aut circa frontem, quo id patiente, ſcias humores humidiſſimos ad concauum neruum fluxiſſe, eũmque obſtruxiſſe, vel apoſtema ibi generaſſe. Poteſt etiã aliter inueſtigari, ſi vno oculo clauſo pupilla alterius non dilatatur, neruum obſtructum eſſe non dubitatur. Item patiens interrogetur ſi in capite fuerit percuſſus, vel propter caſum aliquem vulneratus: quòd ſi fuerit, nec pupilla exierit pòſt, nec magis ſubito virtus conuerſa fuerit, ſcias neruum eſſe conſtrictum. Si autem propinqua videat, & non longinqua, & non parua, ſcias ſpiritum viſibilem eſſe defectum. Quòd ſi longinqua & minimè propinqua viderit, etſi meridie, veſpere verò non, ſicut accidit ſenibus, ſcias cauſam eſſe craſſitiem ſpiritus, vel ſuam commiſtionem cum turbidis humoribus. Hæc ſunt accidentia in ſubſtantia oculorum latentia. Sed paſſiones oculorum in mobilibus locis naſcentes, aut ſunt propter cerebrum, aut propter neruos, aut propter lacertos. Si propter cerebrum, neceſſariò in vtroque oculo corrumpitur motus: ſi propter neruum, illa pars oculorũ offenditur, quæ ab illo neruo regitur. quòd ſi neruus non in toto patitur, ſed in parte, motus lacerti qui neruo illi pertinet corrumpitur, nonnunquam paſſio non in neruo, ſed in eſſentia lacerti naſcitur.

De muſculis qui mouent oculos & palpebras, & de vijs per quas fluunt humores ad oculos. Cap. XIIII.

LAcerti autem oculorum ſunt, vt diximus, duodecim, quorum quinque oculi ipſi mouẽtur, tribus vtriuſque nerui fundamẽtum corroboratur, & per eos oculi ſeorſum mouentur. Reliqui quatuor palpebras mouent. Paſſio verò lacertorum eſt duplex, mollities & ſpaſmus. Quòd ſi lacerti motus oculorum, molles fiant, oculi ſuæ grauitatis cauſa deſcendunt inferius, & cum palpebris ſe infigunt. Si autem ſpaſmauerint, verſos oculos torquent, & ſic neruis ſpaſmantibus in eadem parte qua ipſi patiuntur, oculi torquentur.

Tres verò lacerti vtriusque nerui fundamentum cortoborantes, oculos superius eleuantes, si spasmantur, oculi non patiuntur, imò inde confortantur: si autẽ mollificantur, oculis nocent, quia extra egrediuntur. Oculis ergo absque vlla percussione existentibus, visúque permanente, scias neruos esse mollificatos: quòd si fuerit ex percussione neruorũ, fracturam esse cognoscas. si neruus qui palpebras sursum mouet, mollificetur, palpebra deorsum cadet: si spasmatur, non valet oculũ claudere: lacertis quibus interius mouetur palpebræ mollificatis, oculi non clauduntur: si spasmantur, palpebræ superius non eleuantur. Quòd si lacerti in patte patiente nõ patiũtur, nec palpebræ in loco eius attinente patiũtur. Humores autẽ ad oculos fluunt, vel per venas supra craneũ existentes, vel per eas sub craneo existentes. Si per venam supta craneum manauerint, frontis & tẽporũ venæ crassæ sunt & extensæ, vnde valet si incidantur, vel de siccatiua emplastra vel cataplasmata apponantur. Si autẽ hæc non apparuerint, scias humores pet venas quæ sub craneo sunt, manare.

Particula quinta est de virtutibus medicinarum sanantium morbos oculorum. Cuius sunt capita sex.

De distinctione medicinarum oculorum penes sapores. Cap. I.

QVi oculotum passionem volunt curare, eorum medicinas, & virtutes earum oportet cognoscere, quæ maximè saporibus ostenduntur. Sapor enim virtutes innuit. Vnde sciendum quòd quæ ad linguam veniunt, & nihil in eam faciunt, insipida vocantur. Insipida autem vel sunt simplicia, sicut aqua, vel cõposita, nulla tamen qualitate præualente. Quòd si aliqua præualuerit, erit aliquantulum frigiditati attinens, sicut medicina quæ dicitur obstruens, quæ duobus modis est. aut terrestris & sicca, sicut hæmatites, & tutia, & cadmia, & his similia: vel viscosa, vt oui albugo, oleum omphacinum. Quibus aer dominatur, linguam pati faciunt, vel cum delectatione, vel cum nocumẽto. Quæ delectationem inferũt, necessario patet quòd quibus ea faciunt, eis similia sunt. Linguam ergo delectantia humanæ complexioni sunt similia. Humana autem complexio, tẽperate calida est & humida. Hinc etgo & omnia linguam delectantia, & humana corpora, sicut aqua tepida, delectant. Delectationem ergo faciẽtibus si aqua dominetur, dulcia sunt: si aer, vnctuosa erunt. Ideóque omne nuttimentum vel dulce, vel vnctuosum, vel compositum ex vtroque. Quibus verò præter istos sapor alius dominatur, non nutriunt, sed sunt propter medicinam. Quæ verò nocent, faciũt linguæ punctionem, quæ punctio species est sepatationis iuncturæ. Separatio enim iuncturæ aut nimia constrictione fit, aut incisione. Quæ incisionem faciunt, calida sunt: quæ nimiam constrictionem, frigida sunt. Item linguam separantia, aut multum, aut parum separant. Multum separantia, crassa sunt, terrestria, dura, & amara. Quæ non multum separant, salsa vocãtur. Quæ verò subtilia & ignea, dicuntur acuta. Quæ autem constringunt, vel sunt crassa, terrestria, vel subtiliatiua, & aquosa. Terrestria & crassa, multum constrictiua & pontica sunt. Quæ verò minus constrictiua sunt, & styptica, subtilia dicuntur acetosa.

De ſpeciebus ſaporum, & impreßionibus quas in lingua faciunt. Cap. II.

SApores autē ſunt iſti, dulcis, vnctuoſus, amarus, ſalſus, acutus, ponticus, ſtypticus, acetoſus. Pōticus coadunat linguā & premit, nō ſolū ſuperficie tenus: verumetiā intrinſecus, vnde obſtruit & aſperat: Stypticus ſimiliter, ſed ſalſus lauat & mundificat. Amarus magis ſalſo mundificat, exaſperat, & excoriat. Acutus verò mordet, pungit, & calefacit: Acetoſus verò ſine calefactione. Dulcis humectat & lenit aſperitatem linguæ, & delectationē tribuit: Vnctuoſus ſimiliter, ſed debilius. Sapidus de genere dulcedinis aquoſitatem nō habet ſibi dominantem, etiam in ſapido dulcedo tantilla ſentitur: vnde fructus à terra ſublimes ſunt dulces, & propinqui ſapido: quia humiditas eorum vicina eſt humiditati ſapidi. Ponticus ergo terreſtris eſt & frigidus: acetoſus, aquoſus: amarus, terreſtris calidus, & igneus: dulcis, calidus & terreſtris: vnctuoſus, aereus. Pōticum quoque pororum ſcimus coadunatiuum, conſtrictiuum, incraſſatiuum, refrigeratiuum, & deſiccatiuum. Acetoſus incidit, ſubtiliat, aperit, mundificat, attrahit, diſſoluit, incidit. Amarus mundificat, lauat, attenuat, & calefacit. Salſus coadunat, obſtruit, deſiccat, non multum calefacit. Dulcis mollificat, maturat, & moderate calefacit. Vnctuoſus humectat, & mollit ſine manifeſta delectatione. Et ſciendum quòd ponticus & acetoſus ſunt in frigidatione æquales, ſed ponticus, terreſtris, acetoſus, aquoſus eſt: quod & ſenſu patet & intellectu. Videmus enim in initio fructus ponticos eſſe ſuæ arbori ſimiles, ſicut oliuam, vuam, coctan a, granata, & ſimilia: quorum quidem quanto ſunt pluris tēporis, humefiunt, & cum ſua humiditate & ponticitate acetoſitatem recipiunt, deinde ſapor paulatim mutatur quouſque dulcis fiat. Sed nōnulli ad dulcedinem veniūt, nulla mediante acetoſitate. Sed maturatio fructuum fit calore, quæ duobus eſt modis. Vna naturaliter fit in fructuum eſſentia ex proprio ipſorum calore, alia ex calore ſolis. Item ſenſui patet, quòd videmus ponticum linguam conſtringere & deſiccare, quod eſt eminentis frigiditatis actio. Palàm igitur ponticum frigidæ complexionis eſſe. Item acetoſum ſubtile eſt, etiam penetrabile, cuius cauſa eſt calor in eo ebulliens. Vnde patet ponticum craſſum eſſe & terreſtre: acetoſum verò, ſubtile, & aquoſum, quod ſic certificatur. Inuenimus fructus in initio ponticos eſſe & frigidos, quorum ponticitatis minoratio, aut eſt propter ſolis calorem, aut propter humiditatem, aut propter vtrunque. Si propter ſolis calorem, maturati dulcorantur, ſicut caſtaneæ. Si autem propter humiditatem craſſam, fiunt fructus pontici. Si autem propter humiditatem aquoſam & quaſi aeream mutantur, fiunt acetoſi. Si cauſa caloris & aquoſæ humiditatis mutantur, dulces fiunt. Si verò humiditas aerea fuerit, fiunt vnctuoſi. Item dulcia & amara ſunt calida, ſed dulcia ſunt in caliditate & humiditate tēperata, ſic vnctuoſa, vnde vtraque naturæ humanæ conueniunt, quæ in humiditate & calore temperata ſunt. Amara verò ſunt calidiora dulcibus, & ſicciora, quod arbitratione probatur. Omnis liquor ſi naturali vel extraneo calore coquatur, in primis dulcoratur, ſed augmentato colore fit amari ſaporis, ſicut mel cum inueteratur, & etiam ſuper prunas excoquitur. Idcirco dulcia & amara mūdificant & lauant, ſed dulcia cum moderamine & delectatione: amara verò non moderare, quia & iuncturam ſeparant. Acuta & ſalſa, calida & ſicca ſunt, acuta tamen calidiora & ſicciora quaſi ignea, vnde incendunt & elidūt: ideóque exterius poſita mūdificāt, &

ſuperfluam carnẽ in vulneribus natam corrodunt. Salſa verò potui data craſſos humores de pectore & capite educunt, epilepſiæ repugnant: neque enim velociter vt acuta penetrãt: neque in eis eſt tanta craſſitudo, vt diu morentur ingredi, ſicut pontica. Salſa verò terreſtria & calida ſunt, ſed minus quàm amara. Et hac ratione ſapores inueſtigantur.

De virtutibus medicinarum primis, ſecundis & tertijs, & ſuis effectibus. Cap. III.

VIrtus autem medicinæ diuerſa intelligitur. Eſt enim prima, ſecunda, tertia. Prima quidem quadruplex eſt, calida, frigida, humida, & ſicca: quarum vnaquæque quatuor gradus habet, & vnicuique graduum eſt initium, mediũ, atque finis. Quæ igitur primo gradu eſt, corpus immutat à ſuo temperamento, ſed hæc mutatio ſenſu non apparet. Quæ autem in ſecundo, corpus à temperamento mutat, ſed non multũ apparet. In tertio gradu conſiſtens, manifeſtè mutat, ſed non corrũpit. Quæ verò in quarto gradu eſt, mutat & corrumpit, ſed calida cum intentione deſtruit, frigida cum dormitatione. Quæ verò in quarto gradu ſicca ſunt, neceſſario ſeparant iuncturas. Hæc primam habet virtutem. Secundam virtutem habentia, vocantur maturatiua, mollitiua, obſtruentia, aperitiua, mundificatiua, incraſſatiua, inciſiua, incenſiua, putrefactiua, carnis depaſcitiua, carnis generatiua, ſolidatiua, doloris mitigatiua. Maturatiua & mollitiua calida ſunt. Maturatiua etiam neceſſe eſt vt tantum habeant calorem, quantum membro curando neceſſarium ſit, ne minuant vel augmentent ſuam naturalem humiditatem. Mollitiua calidiora & humidiora eſſe oportet: quia membra mollitiuis egentia, duritiẽ habent, cuius cauſa eſt humor craſſus, frigidus & viſcoſus, vnde calida neceſſaria ſunt quæ craſſitiẽ & coagulationem illius chymi diſſoluant. Oportet ergo ne ille calor ſit nimius, ne illius chymi ſubtilitate reſoluta quod craſſum eſt, indureſcat atque putreſcat. Item neceſſe eſt vt calor eius ſit in fine primi gradus, ſicut bdellium, ſigia, galbanum, ammoniacum, tum cum medulla vitulina, caprina, bouina, & ſimilia. Maturatiua, ſi ſint calida & humida, obſtructionem tamen quandam oportet habere, qua pori claudantur: quia illis obſeratis calor interius adunatur & corroboratur, vnde & digeſtiua & cæteræ actiones naturales vigent, ſicut facit oleum cum aqua calida, farina frumenti cum aqua, mica panis, ſeuum porcinum, vel camelinum, pix, reſina, gummi, cypreſſi, cera cum oleo, thus, & ſimilia. Hæc ergo obſtructionẽ faciunt, ſed non tantã vt diſſolutioni repugnet. Si igitur mollitiua huiuſmodi eſſe oportet, induratiua neceſſario erũt frigida, ſicut portulaca, pſyllium, lens, aqua, ſolanum, & ſimilia. Obſtruentia adeò poros oblimãt, vt facile aperiri non poſſint, vnde neceſſe eſt ea eſſe terreſtria, viſcoſa, nullam punctionem facientia, quæ ſi pungunt, membra ferre non poſſunt. & attenuant, poríque aperiũtur, & ſic oportet ea eſſe abſque calore nimio & frigore. Aperitiua dicũtur eſſe contraria, vt craſſam materiam attenuent, quæ virtus in amaris & nitroſis inuenitur, ſicut ſunt iris, amygdala amara, nitrum, orobum, lupinus, dictamus. Sed aperitiua quæ ſtypticitatem & ponticitatem habent, extra poſita non aperiũt, ſed potata viſcerum aperiunt obſtructionem. Mundificatiua ſunt neceſſario quaſi aperitiua, tamen debiliora, vt lauent & mundificent, vt violæ, fabæ, dulces amygdalæ, & ſimilia. Medicina corpus mũdificans temperate calefacit, nec deſiccat, nec

craſſitiem habet,ſicut chamæmeleũ,malua,ſambuceleon, radix elenii, & ſimilia. Incraſſatiua eſt quaſi obſtruens,cõſtrictiua oris venarum craſſa eſt & frigida,ſtyptica,omni carens reſolutione. Incẽſiua multum calida eſt, ſicut allium, cæpa,fel tauri,& ſimilia. Putrefactiua ſubtiliſſima eſt,vaſtans primò ſuperficiẽ. Carnis minutiua eſt, quaſi putrefactiua, debilior tamen. Cicatrizatiua eſt ſicca & ſtyptica,ſed inciſiua, aliquando carnem generat, ſi modice vulneribus apponitur.Attractiua dicitur naturaliter & accidentaliter:naturaliter cuius attractio eſt cum calore & ſubtilitate,ſicut ſagapenum: accidentaliter cui propter putredinem virtus innaſcitur ſicut fermento.Doloris mitigatiua cõuenit habere calorem ſimilem calori corporis.Huiuſmodi ſecundam habẽt virtutem.Tertiam habent virtutem quæ lapidem frangunt,pectus & pulmonem ad ſcreandum iuuant,lac & ſperma generant,vrinam & menſtrua prouocãt. Medicina attenuãs & incidens nimietate caloris lapidem frangit,vt radix capparis, radix calamenthi,vterque elleborus,acetum ſcillliticum.Si enim multum habent calorem,lapidem frangere videntur:ſi nimium calorem non habuerint,& cum aliquo humido accipiuntur,ad ſcreandum vtiliora fiunt:ſed ſi aliquantulum ſint calidiora,& tamen in ſtatu temperamenti permaneant, ſiccitatémque non habeãt, lac & ſperma generant:ſi autem multò plus calidiora fiant,ſed non ſicciora in vltimate,menſtrua prouocant,vt acorus, petroſelinum, ſeſelis, & ſimilia quæ ſunt calida,nec minus ſicca.

De diuiſione medicinarum ſũptarum à plantis, & metallis, & animalibus, exemplíſque earum. Cap. IIII.

Medicinam oculorum ſcire volentem, virtutes medicinarum ſuarum oportet prius cognoſcere. Sciendum itaque quòd oculorum medicatiua quædam de naſcentibus terræ, quædam de metallis, quædam de animalibus ſunt. De naſcentibus eſt, vt gummi, aſſa,ſagapenum,euphorbium,myrrha,opium,thus,tragacanthũ,galbanum,ſarcocolla, oculi liciorum, ammoniacũ,aut hypocyſthis,acacia,marathrũ,fœnugræcũ,roſæ,glaucium,aloes,amygdalæ,vel ſicut galla,aut flos roſæ & frondes,aut folium,aut lignum,vt caſia,& cinnamomum,vel vt cortex thuris,vel mandragoræ,vel ſpicæ nardi.De metallis ſicut hæmatites,ſal ammoniacum,flos æris,ærugo, arſenicũ, cadmia,nitrum,calcanthum,plumbum,antimonium,ferrum,ferrugo.De animalibus aliquando ſunt humores,ſicut fel,lac, albumen oui,& vrina: aliquando membra eorum,vt cornua,caſtoreum, quarum omnium virtutes ſingulariter oſtendam.

De prædictis medicinis & earum effectibus ſpecialiter. Cap. V.

Aſſa cæteris gummis calidior eſt,incendit & diſſoluit.Sagapenum calidum eſt & ſubtile,mundificatur & attenuat maculas oculorum, valet quoque ſuffulſioni & obſcuritati quæ fit ex turbiditate. Euphorbium ſubtile incenſiuum eſt.Myrrha calida & ſicca, puſtulas oculorum abſque dolore mundificat. Thus calidum in ſecundo gradu,ſiccum in primo. Gummi arabicum frigidum eſt & ſiccum,obſtruit:Tragacanthum ſimiliter.Sarcocolla deſiccat & conſolidat ſine nocumento oculi.Licium temperatum eſt in calore,vn

de mundificat & attenuat craſſitudinem ſuper pupillam naſcẽtem. Ammoniacum apoſtemata oculorum mundificat & diſſoluit. Roſa refrigerat: Glaucium ſimiliter. Succus hypocyſthidis confortat & refrigerat: Acacia ſimiliter. Mãdragora refrigerat, dolorẽ placat, quia dormitionem prouocat. Marathrũ valet cataractæ, maculas mundificat. Malum coctanum oppilat & refrigerat. Galla repugnat humoribus ad oculos fluẽtibus, & membra confortat. Crocus maturat. Balauſtia refrigerat, repugnat, deſiccat & confortat. Spica diſſoluit & attenuat. Cinnamomũ calefacit, maturat, atq; deſiccat & cõfortat. Hæmatites deſiccat, & valet aſperitati palpebrarũ, carnem ſuperfluã manducat. Sal mũdificat & deſiccat: ſimiliter ſal ammoniacum. Arſenicum rodit & incendit, carnem diſſoluit & minuit. Cadmia deſiccat atque conſtringit & mundificat: quæ incenſa & lota, ſuperiora agit ſine punctione, adiuuat etiã oculorum vulnera, maxime ſi humida, quia deſiccat ea. Plumbum deſiccat. Antimonium deſiccat & conſtringit, & calefacit. AEs vſtum vulnera conſolidat. Ceruſa deſiccat & infrigidat. Flos æris deſiccat, conſtringit, & calefacit. Tutia deſiccat & infrigidat ſine dolore, maximè ſi lota eſt: valet etiam vulneribus, puſtulis & lachrymis oculorum. Ferrugo deſiccat & conſtringit: valet quoque contra puſtulas ſpinoſas. AErugo carnem minuit & attenuat. Sciendum eſt, quòd omne fel eſt ſiccum & attenuatiuum, quod miſtum oculi medicinis viſum acuit. Albumen oui confortat & oppilat. Lac lauat & mundificat. Caſtoreum ſcindit atque maturat.

De nouem potentijs medicinarum oculorum, & ſuis effectibus. Cap. VI.

HAEc eſt diuerſitas ſpecierum medicinæ oculis pertinẽtium. Oppilatiua, Collatiua, Mundificatiua, Aperitiua, Putrefactiua, Cõſtrictiua, Contractiua, Maturatiua, Dormitiua. Oppilatiua duobus modis eſt, terreſtris & ſicca, vel humida & viſcoſa. Terreſtris deſiccat humores calidos & ſubtiles ad oculos fluentes, maximè ſi ibi ſint vulnera, quibus oportet adhiberi mundato capite, prout neceſſe eſt, & toto corpore fluxúq; humorũ ceſſante. hæc enim medicina leuiter & ſubtiliter mediocriter deſiccat humores qui in oculorum venis latitant, & ad oculorum panniculos prohibet penetrare: tranſactóque humorum curſu, cauſáque fluxionis eorum præterita, hæc medicina non amplius debet dari, quàm ne dolor oculorum augmentetur, quia panniculi oculorum nimia humorum multitudine extenduntur, vnde & quandoque finduntur. huius tamen medicinæ poſteritas non in pauco declaratur tempore, quoniam aliquando operatur: etſi ratio non expoſtulat, ſcilicet vulneribus in oculis apparentibus, vel corroſione in cornea exiſtente, vel vuea egrediente: acutis tamen humoribus ad eos fluentibus, non audemus deſiccatiua ponere. Stypticis enim illic poſitis humores fluere prohibentur, vnde dolor augmentatur. quòd ſi medicina apponatur, materiæ ad oculos fluentis acumen augmentatur. Mollitiua verò, ſeu diſſolutiua, ſeu maturatiua, ſi dentur, humores quidem maturantur: ſed tamen in vulneribus caro non generatur, neque vulnus ſanatur. Acetoſis frigidis applicatis, punctura & morſura & tumor in oculis generantur. Nulla igitur medicina conuenit huic paſſioni, niſi quæ inter calidum & frigidum temperata eſt, vel temperamento vicina, quod facit tutia lota, cadmia vſta & lota, ſimiliter ceruſa lota. Alia autẽ medicina oppilatiua, ſcilicet humi-

da, viscosa, quam diximus, valet in hoc loco modis duobus: vno, quia non pungit, sed dolorem mitigat: alio, quia lædit asperitatem ex humorum fluxu factam: vulnera enim lauat vnde dolor mitigatur, quia crassi humores acuti mundificantur. Sed oculorum medicina sæpissime metallina est: quia verò oculi sensum habent acutum, cum metallina, viscosa & humida misceantur, ne asperitatem faciant, sicut albumen oui, fœnugræcum, lac, gummi Arabicum, tragacanthum, & similia. Medicina aperitiua dissolutiua, necesse est vt sit acuta, quã non expedit ponere in pustulis corneæ, nisi res maturatiua propter sui duritiem non valeat. Similiter cum apostema tunicarum panniculorum & pellicularum, maturatiuis non curatur, acuta imponatur: quibus tamen maturatiua misceantur, sicut assa, sagapenum, euphorbium, cinnamomũ, amomum, acorus, asarum, casia, folium, spica. Mundificatiuarum & collatiuarum quædam mundificant, & colant modicum: & valent cõtra paruas pustulas & vulnera: sicut cadmia, thus, cornu ceruinum & caprinum, & vt dicit Gal. antimonium. Quædam verò nimium mundificant, quæ valent ad vngulas, scabies palpebrarũ, pruritus, & crassas pustulas: vt ærugo, tragacanthum, sal ammoniacũ: quæ omnia pungunt: sed cum lauantur, eorum punctio minoratur. Putrefactiua valent vetustate scabiei & asperitati: vngulam vetustam purgãt: & pruriginem, si longi temporis est, curant: vt arsenicum, flos æris, & similia. Constrictiua medicina etiam temperatæ actionis est, & optime prohibet humorem fluentem, pustulas & vulnera, vt rosa, folium, crocus, glaucium. thus fortiter stringit, & fluxum humorum amputat. Contractiua magnum generat dolorem, quæ etiã valet commista cum medicina visum acuente, quia oculos coadunat. Et est optima contra asperitatem palpebrarum, sicut est balaustia, cortex thuris, ferrugo, flos æris, succus hypocysthidis, succus vuæ agrestis, acacia, glaucium. Hæc enim lauant & leniunt asperitatem. Maturatiua cõuenit apostematibus oculorum & doloribus propter humores clausos in interioribus corneæ: sicut myrrha, crocus, castorium, fœnugræcum, licium, far cocolla, melicratum, & similia. Soporifera dolorem magnum patientibus valent: tunc scilicet cum doloris magnitudine perire videntur. Caute tamen adhibeantur, quia visum minuunt, & nonnunquam amputant. Idcirco non sæpe apponantur, vel appositis calefactiua misceantur. Talia sunt opium, mandragora, & similia.

Pars ſexta de apoſtematibus & doloribus & ipſorum curis in generali. poſtea de ipſis vt inſunt oculis, petia, pruritu, carbone: & pilis, vulneribus, fiſſuris, puſtulis corneæ, pãno, ſcabie, nyctalope, ſuffuſionibus, oculorum exitu, & collyriis multis contra morbos oculi. Cuius ſunt capita duodecim.

De apoſtematibus, & cauſis ipſorum in generali. Cap. I.

MAximo ſtudio curationes paſſionum, quas ſexta particula ſcripſimus, neceſſe eſt oſtendere. Ac primò de ophthalmia, quoniam quod propoſuimus tractabimus: ſed quia ophthalmia de genere eſt apoſtematum magnorũ quæ faciunt dolorem, decet nos de apoſtematibus generaliter tractare, deinde ad ea quæ in oculis fiunt peruenire. Diximus ſecundò, quòd cauſa omniũ apoſtematum ſunt humores ad mẽbra fluentes, cuius cauſa vel interior eſt, vel exterior: Interior, vt ſuperabundanria materiæ: Exterior, vt percuſſio, caſus, fractura, vulnus & ſimilia. Præterea mẽbri præparatio ad recipienda ſuperflua quatuor modis eſt, aut propter membri defectionem, aut raritatem, viæque largitatem ad membra tendentem, aut propter ſuæ virtutis attractionem, fortitudinẽ, vel ſui locationem naturalem. Defectio membri aut naturalis eſt, aut accidentalis: naturalis, vt cutis quam conſtituit natura defectiuam, vt ſuperflua ab interioribus ad exteriora, à nobilibus ad ignobilia expulſa, facilius ſuſcipere poſſit: accidentalis vt ex infirmitate præterita. Raritas membri, vt teneritas maxillarũ & inguinum. Attractiuæ membri fortitudo fit in membris fortibus propter nimium calorem, qui calor aut naturalis eſt aut accidentalis, propter ſitualem poſitionem, ſicut ſi inferius locatum fuerit. humores enim ad corporis inferiora maxime deſcendunt. Sed materia quæ defluit, aut eſt humor, aut eſt ventoſitas: ſi humor, aut ſanguineus, aut aquoſus, aut phlegmaticus, aut melancholicus. Ventoſitas autem, cum non ſit ſubtilis, non generat tumorem. Sanguis autem ſi temperati coloris eſt, phlegmonem generat: ſi calidior & ſubtilior, eriſypelas generat: ſed calidiſſimus ſacrũ ignem facit, & variolas. Aquoſus tumor, eſt qui hydropiſis dicitur phlegmaticus: ſi fuerit ſubtilis, tumorem: ſi craſſus, apoſtema generat, quod interius eſt quaſi pingue ſeuum. Melancholicus autem cancrum generat: ventoſitas autem, ſi fuerit, tumet. Hæc eſt diuerſitas apoſtematum quæ diuerſa exigunt medicamina.

De curis apoſtematum. Cap. II.

APoſtemata ergo quæ fiunt ex ſanguine calidiſſimo, ſi eorum cauſa extrinſeca fuerit, nec corporis extiterit plenitudo, medicamine diſſolutiuo & repercuſſiuo curentur: excalpellatio quoque vel inciſio adhibebitur opportune. Quòd ſi cauſa ſit intrinſeca, ab initio nõ dentur mollitiua vel diſſolutiua, cum plus quàm neceſſe eſt, diſſolutiua à locis remotis ad apoſtema attrahant. Sed neque repugnantia audemus apponere, ne materia ad membra principalia cõuertatur. In initio ergo curationis phlebotomia corpus purgetur:

deinde apponantur repugnantia & desiccatiua, temperiem facientia, vt sua siccitate resistant humoribus, ne ad tumoris perueniant locum, & temperiem complexionis confortent, & locum, vt superfluam materiam deuincant. Sciendum quoque omnia apostemata quatuor tempora habere: Initium, augmentum, statum, & declinationem. In initio ergo conuenit repugnantia opponi calori. Repugnantia, tenui materia dissoluta in parte, & crassa remanente, mollitiua & dissolutiua ponuntur: nonnunquam in augmento, magno dolore existente, stypticam medicinam & refrigeratiuam ponimus: nimio dolore coacti soporiferam adhibemus. Medicina sanguinolenti apostematis, id est erysipelatis quæ cum nimio est dolore & calore, si causa eius fuerit extrinseca ab initio mollitiua & dissolutiua sit. Si autem intrinseca fuerit, primò detur choleram rubeam pharmacum purgãs: deinde si opportunum est, phlebotomemus, postea medicina infrigidans & humectans apponatur, calore transacto dissolutiua aptetur. Apostema cuius materia fuerit sanguis crassus, si cum vulnere, punctione & putredine fit, in initio phlebotomia subuenias: deinde vulnera medicina corrosiua & mundificatiua curantur: sed tamen consydera apostematis magnitudinem ex calore: quia si magnum fuerit, repugnãtia pones: si calidissimum, fortem caue medicinam. Aquosum apostema vel solutione, vel incisione curetur. Prima autẽ species phlegmatis quæ est, vt mel, curatur constrictiuis vel confortatiuis & solidatiuis, sicut est vinũ mistum cum licio & nitro. oportet autem à leuioribus incipi, & sic ad fortiora procedere. Quòd si fuerit inueteratum apostema, cum incisiua & dissolutiua: & superius ligetur fortiter, & inferius leuiter. Secundũ genus phlegmatis taliter curatur, dissolutiuis, putrefactiuis, & incisiuis. Tertium verò putrefacientibus & incidentibus, dissolutiua verò non valent. Quartum genus stylo incẽsiuo curatur. Melancholicum apostema, id est cancer difficile curatur: non incidatur, cuius incisio multis inconueniens est modis. Primò quia syncopin generat, si locus multas venas habuerit. Secundò quia membra principalia non patiuntur mẽbrum ligari, neque sanguinem constringi, nisi cum cauterio: & in loco aliquando nascitur, in quo non audemus cauteriũ apponere. in huius igitur initio corpus ad temperamentũ oportet reuocari, & ad bonum cum phlebotomia & pharmacia & diæta & similibus immutari. Apostema de ventositate factum dissolutiuo curatur.

De causis & cura doloris in generali. Cap. III.

Dolor duobus est modis, subita qualitatis immutatione, & iuncturæ separatione. Mutatio vel est de frigore, vel de calore, vnde causam eius non oportet inuestigari. Separatio iũcturæ tribus modis fit, incisione, fractura, crepatura. Incisio vel extrinseca est cum gladio, vel intrinseca, vt cum acuta humorũ qualitate. Fractura autem fit de exterioribus, sicut solidis & crassis corporibus ponderantibus: aut de interioribus, vt de apostematibus. de exterioribus si fit lapis, locum in quo scindit conculcat propter vtranque loci extremitatem, qui depressus necessario extẽditur. Iunctura quæ separatur de interioribus taliter fit, augmentata materia cócauitates replet membrorum, dolorémque generat. Materia verò humorum est, vel ventositas, vel acuta qualitas. Ideóque sex sunt causæ doloris, chymus nimius, ventositas non habens exitum, ma-

gnum apoſtema vel durum, humorum acuitas, vel vulnerum ſiccitas, vel caliditas, vel frigiditas. Si dolor propter nimium chymum fuerit, ipſo purgato ceſſabit. Si propter craſſam ventoſitatem, cibo ſubtili & potu calidiſque fomentis & cataplaſmatibus curatur. Si ex apoſtematibus, ipſorum curatio eſt dolorum amputatio. Si ab humorum qualitate proceſſerit incẽſiua, neceſſe eſt chymum purgari, ſiue in bonum mutari cum medicina doloris mitigatiua. quod ſi non ſufficiat, ſoporifera imponamus, vt dolor mitigetur. Quod ſi de frigidis craſſis & viſcoſis humoribus proceſſit, ſoporiferam caueamus, quia non eſt tãtus dolor qui de his naſcitur. Si craſſa ventoſitas exitum non habens, cauſa fuit doloris, res attenuatiua & diſſolutiua adhibenda erit, vt ventoſitas diſſoluatur, & humores deſiccentur. Sic etiam de cæteris contraria contrariis oppone.

De cauſis & cura dolorum oculorum. Cap. IIII.

OCuli verò patiuntur ex apoſtemate vel propter acutos humores ad ipſos fluentes, vel propter pellicularum ſuarum extenſionem ab humorum plenitudine, aut incluſione craſſorum humorum & viſcoſorum, vel craſſæ ventoſitatis in loco illo. Si ſit propter acutos humores, pharmacia detur, materia deorſum ducatur, & oculi cum albumine oui lauentur. Purgato corpore, & apoſtemate maturari incipiente, balneũ diligenter aptetur. Quòd ſi dolor fuerit propter humores interius clauſos, totũ corpus maxime purgetur, dein de calefacientibus vtatur, & oculi cum decoctione fœnugræci lauentur: & ante purgationẽ totius corporis diſſolutiua & calefactiua caueatur, quia ad apoſtema plus attrahunt quàm diſſoluunt. Sciendum quòd humores ad oculos veniunt, vel de omnibus partibus, vel de ſolo capite: ſi de ſolo capite, ſolum caput expedit purgari, poſtea confortari, & ad temperiem duci, ne vltra malos humores generet, plurimúmque digerat humores. decet etiam confortare cor & corroborare & temperare, quando arteriæ in cauſa ſunt quare humores ad ipſos defluũt: quæ ſi ſupra craneum fuerint, deſiccatiuum cataplaſma & emplaſtrũ apponatur: his non proficientibus incidantur. Nónunquam dolor fit in oculis propter ſanguinis coagulationem in venis oculorum clauſi, vnde plenæ videntur, & oculorum eſſentia ſanguinolẽta: quæ paſſio curatur vini potatione, tamẽ balneo præcedẽte.

De ophthalmia & eius cura. Cap. V.

DIximus quòd ophthalmia eſt apoſtema calidum naſcens in coniunctiua, & oſtendimus curam apoſtematum ſolis oculis pertinentium. Vnde quia oculi ſenſum habent acutiſſimum, & dolorem ferre nequeũt: non temere curentur forti medicamine, ſed cum rebus dolores mitigantibus temperentur: & fiat quod apponẽdum eſt humidum, & viſcoſum in loco in quo cõgruit immiſcetur, & palpebra ſuauiter eleuata medicina guttatim iniiciatur, & ab initio non nimio exiſtente dolore medicina aliquid ſtypticitatis habens, ſicut collyrium in quo eſt acacia, ponatur: etiam diſſolutiuum & maturatiuum medicamen ſicut crocus & licium, ſimiliter & ſtyptica vt myrrha & caſtorium, thus maſculinum. Collyrium quoque ſi multum ſtypticũ fuerit, humefiat cum albumine oui lacte & decoctione fœnugræci. Hæc ſi fecerimus, in vno die dolor remittetur, & paſſio declinabit: quia declinante balneum ſuccedat, deinde colly-

rium priore fortius imponatur sicut nechium, vt constringat & confortet oculos:tamē parum acuti collyrii cum eo misceatur, & parum à medio ad multum ascendatur. Quòd si ophthalmia cū nimio dolore fuerit, ponatur ab initio collyrium, quod dicitur diarhodon asperon. Apostemate verò decrescente diarhodon erimoni imponatur, & calefiat sæpissime, si nimio pungetur dolore: etsi dolor nō sit multus, sufficit semel aut bis: & hæc calefactio fiat de meliloto, fœnugræco, & similibus. Cataplasmentur quoque croco, meliloto, coriandro, oui vitello, pane loto in vino. Sed si dolor nimius fuerit, misceatur illi cataplasmati decoctio papaueris: vnguentun factum de croco, glaucio, licio, gummi & aloe, ponatur supra frontem. Si calidus non fuerit multum, puluis molendini, myrrha, thus, albumen oui. Humoribus verò frigidis existentibus, sulfur, pix liquida, colophonia, & similia apponantur.

De curis petiæ, tumoris, & pruritus oculorum. Cap. VI.

AD petiam sanguis columbæ, pauonis, & omnia talia prosunt, si cū thure modico misceantur: & calefactio decoctionis hordei & hyssopi prodest. Oculorum tumores habentibus fiat cataplasma ex vuis passis sine acinis ex melicrato vel aceto. Si tamen apostema non dissoluatur, radix trita admisceatur: tumore nondum dissoluto, succus columbæ apponatur. Pruritus sicut apostema curetur purgatione corporis & dissolutione materiæ intus clausæ & collyriis & cataplasmatibus & fomentatione aquæ calidæ in nocte oculis apposita, quæ mista cum oleo rosato, aut in ouo anatis pruritū amputat, & oleum rosatum temperate calidum. Sæpe tamen oculis cholericam imponimus medicinam, vt lachrymas in eis prouocet, quibus lauentur & mollificentur. Pruritus cum nimio fluxu humorum, medicina Erasistrati curatur.

De carne addita in oculis, & carbone, & cura. Cap. VII.

SI carnes additæ propter vulnera fuerint, non curantur nisi chirurgia. Excrescentia superfluæ carnis acuta medicina curetur, sicut ærugine æris, sulfure, & similibus. Si autem caro oculorum excreuerit superflue, non curabitur nisi chirurgia. Quòd si locus ille tumidus fuerit, valet alliū, gummi cum glaucio & vino. Nascitur etiam quoddam in oculis quod dicitur carbo: & sicut apostema curatur: cúmque saniē habuerit, sicut vulnus curatur saniem habens. Quidam medici ponunt in hac passione glaucium, tragacanthum, rutam, succum mali granati, lanam vstam, vel myrrham & aloem. Huic passioni valent ammoniacum cum aceto: & aliquando admiscemus cum eis de hordeo & zedoario, & capita muscarum è cera cataplasmata.

De pilorum ablatione & remedio contra casum pilorum. Cap. VIII.

PIlis ablatis lauentur loca ipsorum aquis salsis & aluminosis, & vngantur loca pilorum palpebræ cum albumine oui, & alumine, staphisagria, & sarsima, id est stercore columbino. Collyrium Sabor. valet ad pilos cadentes palpebris. Recipe ossium dactylorum drach. iiii. cadmiæ drach. ii. Aliud Sabor. Recipe antimonii, calcanthi, tragacanthi pōdus æquale: quæ omnia cum

melle temperata terantur, deinde collyrium fiat. Si autem pilis cadentibus palpebræ appareât crassæ, stercus muris cum melle temperatum valet. superflui pili de palpebris sunt amputandi. Quidam dicunt pilos non vltrà nasci, si radicibus pilorum extractis sanguine testudinis vel dentibus caninis locus vngatur.

De curis vulnerum & fissurarum in generali. Cap. IX.

Oportet primò vniuersaliter dicere de vulneribus, postea verò de iis quæ propria sint oculis. Omne vulnus vel cōcauum est tantum, vel fissum. Si multum fuerit fissum, trina intentione curatur. Iungamus vtranque partem, & suamus studiose, & curemus ne incidat puluis vel pilus. Quòd si magnum vulnus fuerit, nec pars parti possit coniungi, nec sanies permaneat in concauitate: necesse est vti desiccatiuo medicamine, vt finita sanie vulnus impleatur carne: cuius compositio est cum causa vel morbo vel accidēti. Si cū causa sunt humores ad illud fluentes, corpus purgetur pharmacia & phlebotomia: diæta quoque temperetur: deinde desiccatiuis siccetur. Quòd si fuerit cum morbo, vel est simplex, vel compositus. Si morbus simplex est, ad temperiem membrorum reducatur. Quòd si compositus, vel vt naturam suam membrum egrediatur, vel vulnus multum concauum sit: duplex medicina necessaria est. Vna qua membrum ad temperamentum redeat: Altera qua concauitas carne repleatur. Impleatur ergo medicamine desiccatiuo, mundificatiuo, quod humores coadunatos destruat, vulnúsque à putredine mundificet. Sed vt per poros possint egredi superflua: vnum subtile & continuum quod latet sensum: aliud crassum, quod vt lutum in corpore coadunatur: & hæc duo superflua plus in vulneribus, quàm alicubi sunt propter loci defectionem atque dolorem: necessaria est desiccatiua & mundificatiua medicina qua mundificetur & desiccetur supefluitatis sordities. Omne etiam vel concauum est, vel fissum. Etsi fuerit cum accidente sicut cum dolore, mitigatiua cōueniunt. Fissura si parua sit, nō est necessaria, nisi coniunctio partium: & parum medico eget, nisi locus vulneris partem amiserit, quæ pars vel caro est, vel cutis, vel vtrunque. Si sit cutis, apponantur styptica vel desiccatiua, vt locus induratus cuti assimuletur. nonnunquam acuta medicina facit hoc accidentaliter. Calida medicina paulatim apposita facit hoc accidentaliter, & locum sua siccitate indurat. Multa verò quantitas ex ea, loco apposita resoluit causam, & minuit fissuram. Quòd si caro à vulnere sit amota, in initio carnis generatiua expediunt: deinde locus mundetur, & cuti assimuletur. sed omnem medicinam quæ vulneribus pertinet, necesse est siccam esse, quæ tamen propter causam quandoque cauenda est. Parum sicca erit, ne multum siccans carnem prohibeat generari. Mundificatiuam quoque siccam esse oportet, vt putredinem mundet vulnera consolidans. Desiccatiua esse debet ea, quæ generat carnem, quæ nec mordicatiua sit, nec abrodens, sed styptica vt caro induretur, cutique assimuletur. Hæc est disputatio vniuersalis vulnerum, & medicinæ.

De vulneribus oculorum, puſtulis in cornea, panno, vngula, nyctalope, ſcabie. Cap. X.

SEd vulneribus oculorum,ſi ſint ſimplicia,mundans & colans congruit medicina,quia humores cito vndique fluũt ad oculos propter acumen ſenſus eorũ.Quòd ſi vulnus cũ tumore ſit,vel nimio dolore:apponuntur collyria quæ thus & metalla vſta intrant,& cataplaſmata:nec pungitiua cataplaſmentur. Aliquando tamen ſi putredo vulneri inſit,collatiua tũc apponatur : ſed intueri oportet an vulnus carnem rodat. inueſtigandum quoque vnde humores ad oculos fluxerint , quo perfecto caput & corpus expedit purgari. deinde apponere collyria deſiccatiua, nullámque facientia pũctionem: ſicut ea quæ reſpiciunt caſum , cũ dantur cum lacte vel cũ decoctione fœnigræci.Si dolor eſt nimius,aliquando ſoporifera medicamina apponuntur: fluxu humorum ceſſante eis ſtyptica apponuntur . præuidendum tamen ne vnde egrediatur , cui egredienti ſtypticum conuenit adiutorium . Collectio & puſtulæ in cornea naſcentes curantur cum medicina maturatiua,mediocriter collatiua,ſicut collyrio recipiente crocum,thus,myrrham,caſtorium , decoctionem fœnigræci . Quod ſi non inuenerint , & tumor non diſſoluatur: calidum & aperitiuum appone,ſicut ſagapenum,euphorbiũ,& ſimilia.Pannus in oculorum albedine natus collatiuo & mundificatiuo curetur . Quòd ſi fuerit ſubtilis , ſufficit ſuccus rubei papaueris,vel decoctum minoris centaureæ cum melle : ſi groſſus, fortiora dari neceſſe eſt: ſicut picem liquidam,æs vſtum,nitrum, ſtercus muris, myrrham,ſal ammoniacum,& ſimilia.Si aliquid ex eo remanſerit,gallam,acaciam & calcanthum appone. Vngula & ſcabies,ſi duræ ſint etiam & veteres, incidere eas vel excoriare optimum eſt: ſin autem ſubtiles, appone æs vſtũ,florem æris, fel porcinum, ſal ammoniacum. His nondum proficientibus appone medicinam putrefacientem atque rodentem . Scabies non ſtypticis eſt curanda, quæ ſi ſit cum vulnere magnóque pruritu,conuertatur palpebra,& cum hoc excorietur.Eſt quædam paſſio oculorum,quam qui habuerint,veſpere nõ vident, quos phlebotomari conuenit de cephalica brachii,& vtantur pharmacia,& clyſteribus,& caput purgantibus,& gargariſmate, & ſternutatione mundificentur: vena auris incidatur . Oculis mel cum alumine & ſale ammoniaco apponatur, & cum hepate caprino fumigetur.hæc omnia proſunt.

De ſuffuſione, egreſſu oculorum, & petia. Cap. XI.

SVffuſio,id eſt viſus defectio ſic curatur . Caput & totum purgetur , vt diximus: diæta ſit tenuis, deinde vtatur collyriis, fœnũgræcum, mel, ſagapenum, aſarum, thus recipientibus, & opobalſamum, & ammoniacum.Valet quoque ſi vena hepatica incidatur, & ſanguiſugæ temporibus apponantur.Oculis extra exeuntibus,ventoſa in collo apponatur,oculi ligentur, & aqua ſalſa ſuffumigentur. Petia curatur ſanguine oculis inſtillato,deinde cum albumine oui oleóque roſarum ligentur.

De collyrijs multis ad oculorum ægritudines. Cap. XII.


Ollyrium quod dicitur diarhodon in modũ piperis valens in augmento doloris ophthalmiæ. Recipe cadmiæ cerussæ ana drach.xiiii.rosarũ drach.xii. gummi,amyli ana drach.i.tragacanthi drach.iiii.& s.aloes drach.vi.tempera cum aqua pluuiali,& informa. Aliud in initio ophthalmiæ,quod etiã vetustæ valet. Recipe acaciæ drach.liiii. gummi ʒ.xliiii.cadmiæ drach.xxxvi.tempera cum vino pontico & croco ana drach.xii.tẽpera cum aqua pluuiali. Hæc omnia à Paulo sunt ordinata. Ista verò Galenus dicit. Collyrium valens ad dissoluendum apostema die vno & ad ophthalmiã. Recipe antimonii,acaciæ ana ʒ.lxx. cadmiæ drach.ix. æris vsti loti ʒ.xxi.cerussæ drach.xii.ʒ. myrrhæ ʒ.vi.sulfuris drach.vi.castorei,opii,calcanthi vsti drach. vi.gũmi drach. ix.tempera cum albumine oui in vno die est validissimum. Aliud Pauli. Recipe cadmiæ,croci,gummi ana ʒ.iiii.æris vsti drach.xxiii.cerussæ;rosarum ana drach. xxii.polii,croci,calcanthi, opii ana drach.vi. aloes,spicæ, castorii ana drach.i.& s.tempera cum aqua: curat verò ophthalmiam & humores vel propter dolorẽ, vel vetus vulnus fluentes. Aliud. Recipe cadmiæ,acaciæ,gummi ana drach.ix. antimonii triti drach.xx. castorii,opii, ana drach.vi.licii drach.iiii.& s. myrrhæ drach.xii.spicæ,aloes, ana drachmas quatuor: gummi, tragacanthi, calcanthi, ana drach.i.& s.tempera cum vino & aqua myrtina. Aliud ad superiora. Recipe acaciæ,gummi ana ʒ.lx.plumbi loti ʒ.xxx.spicæ,casiæ ana ʒ.vii.rosarum,cadmiæ ana ʒ.xxx.cerussæ,aloes,opii,croci ana drach.ix. castorii, licii ana drach.iiii.& s. tempera cum albumine oũi:valet vulneribus & omnibus passionibus oculorum vetustis & putrefactis. Aliud in statu conueniens cum albumine oui,in declinatione cũ aqua. Recipe cadmiæ vetustæ & lotæ,cerussæ ana drach.vi. amyli,tragacanthi ana drach.iii.hyoscyami drach.i.& s.croci drac.vi. glaucii, sarcocollæ ana drach.vi. opii drach.iiii.tragacanthi drach.vi. croci drach.iii. gummi,opii drach.i.& s.tempera cum aqua. Aliud valens in augmento ophthalmiæ. Recipe cadmiæ,cerussæ ana drach.xxiiii.rosarum xii.gummi,amyli ana drac.iiii.tragacanthi drach.iiii.& s.aloes drach.iiii.tempera cum aqua.valet in vulneribus & humoribus vulnerosis & lachrymis ex oculis fluentibus. Aliud valens ad vtilitatem ophthalmiæ & vulnera & adustiones & ad mundificãdum vulneris putredinem. Recipe antimonii vsti cadmiæ rosarum ana drac.xxiiii. cerussæ tritæ xxii.opii drach.vi.tempera cum aqua. Aliud nimio dolori conueniens & liquidissimos humores ad oculos fluentes reprimens. Recipe rosarum drach.vi.& s, opii,spicæ ana drach.i. Aliud. Rosarum ʒ.xxii.croci vi.æris vsti & loti drach.i.& s.tempera cum aqua pluuiali. Aliud, Recipe rosarum drach.xviii.cineris locorũ vbi æs funditur drach.vi.croci,opii,gummi ana drac.vii. tẽpera cum aqua pluuiali. Aliud. Recipe gummi drach.iii.tragacanthi drach.i.& s.tempera cum aqua pluuiali. Aliud. Recipe myrrhæ drach.lxxv.rosarum xl. croci vi.& s. tempera cum vino. Aliud valet nimio dolori, pustulis, concauis, putridis vulneribus corneæ, oculósque exeuntes comprimit, omnémque oculorum passionem ad sanandum difficillimam curat. Recipe rosarũ drach.cviii.gummi xxxvi.cadmiæ vstæ & lotæ drach.xxi.croci xi.opii,antimonii drach.ii.& s.iarri spicæ drac. iii.myrrhæ iii.tẽpera cum aqua pluuiali. Collyrium Pauli. Recipe æris vsti,tragacanthi vsti ana drach.viii.croci ii.nitri drach.i.coquantur ad mellis spissitu-

dinem. Aliud eiuſdem valet ſcabiei palpebrarum veterique ophthalmiæ, ſaniem & vulnera aurium & os rodentia ſanat. Recipe æris vſti drach. iiii. myrrhæ drac. i. & s. piperis, croci, vini ana drach. ix. Collyrium Pauli. Recipe cadmiæ auri & argenti drach. iii. tempera cum aqua pluuiali. Collyrium Oribaſii valens in initio ophthalmiæ & vulneribus. Recipe cadmiæ, ceruſſæ, traga. ana drach. xxiiii. antimonii, gummi vſti ana drach. xxi. plumbi incenſi, turiæ ana drach. xxiiii. Aliud. Amyli xvi. gummi ix. æris vſti, traga. ana ʒ. vi. myrrhæ, opii, ana ʒ. v. Aliud valẽs vſtioni, vueam egredi prohibens, ſubueniens vulneribus. Recipe antimonii vſti, ceruſſæ ana drach. xxiiii. myrrhæ drach. iii. amyli xix. traga. xii. gummi vi. tempera cum aqua pluuiali. Aliud valẽs puſtulis, vulneribus ſanioſis & nimio dolori duræque ophthalmiæ. Recipe cadmiæ vſtæ & lotæ drac. xxiiii. antimonii loti & vſti xviii. amyli iii. plumbi incenſi & loti xii. tutiæ, myrrhæ ana ʒ. xii. tẽpera cum aqua. Aliud. Recipe tutiæ drach. xii. cadmiæ lotæ, ceruſſæ ana drach. cxxiiii. antimonii incenſi & loti xviii. myrrhæ, opii, ana drach. l. & ſ. tragacanthi drach. xii. tempera cum aqua. Aliud vtiliſſimũ aſperitati palpebrarũ & ſcabiei. Recipe calcanthi drach. ii. cadmiæ drach. i. ad ſolem cum vino ſufficiẽter agita. Aliud. Recipe cadmiæ drac. vi. calcanthi gra. xxx. pip. gra. xxxviii. ſpicæ drac. i. & ſ. al. drac. iii. & ſ. cadmiam & calcanthum tritura ſufficienter & agita, deinde cum pipere ſpicam cõmiſce & tempera. Aliud valens ſcabiei & humoribus ad oculos fluentibus veterique paſſioni & puſtulis. Recipe cadmiæ, gallæ, roſarum, gummi, croci, ana drach. iii. opii drach. vnã, omnia puluerizata cum vino ad ſolem ſuffcienter agita. Ad oculos caliginoſos & ſanguinolentos, aloes tritum cum albumine oui mirificè prodeſt: ſi aloem non habueris, canabis trita idem facit. Ad oculos dolentes, & lachrymas ſtringendas, & pruritum tollendum, collige mel deſpumatum, & ex eo vnge folia hederæ, & ſuperaſperge puluerem fæcis vini, & oculis ſuperpone per noctem. expertum eſt. Item chelidonia cocta in aqua, ſi ex ea oculi fomententur, dolentibus prodeſt. Item coriandrum viride tritum admiſto lacte mulieris oculis ſuperpone, dolorem & tumorem tollit. Idem facit radix cucurbitæ agreſtis trita & impoſita. Fel caprinum cum melle antiquo miſtum & inunctum, oculorum caliginem deſtruit. Ad pannum de oculis abſtergendum. Fæcem vini, album oui, raſuram oſſis ſepiæ facto puluere mitte, donec corrodatur. Vitellum oui tritum, ſuccóque apii miſtum & inũctum ſanguinem ſpargit. Abſinthium viride cum albumine oui tritũ, & nocte ſuppoſitum, ſanat. Ad tumorem calidum & ſanguinem oculorum, anagallis cum albumine oui trita & impoſita prodeſt. Ad tumoris calidi dolorem, herbam violariam cum oleo roſa. tere, & ſuperpone: mirè iuuat. Valet etiam mali granati ſuccus. in vaſe æneo vel ſtanneo ipſum coque & cola: & cum opus fuerit, vtere. Item, Recipe plantaginis, centaureæ, vngulæ caballinæ, pulegii, betonicæ, chamædrios, apii, fœniculi radicum, partes æquales: pone in olla noua, & intra ſparge fœnugræcum. Item licium in rhodoſcomate guttatim impoſitum valet. Item auripigmentũ, pannum ſubtile, laneum, & fimum hominis combure in olla bene argillata.

Claudii Galeni Pergameni de oculis à Demetrio tranſlati libri finis.

CLAVDIO GALENO PERGAMENO ASCITVS LIBER DE ANATOMIA oculorum, Nicolao Regio Calabro interprete.

De libri huius intentione & vtilitate.



Via oportet secundum amorem scientiæ & vtilitatem artis eos qui conantur passiones quæ circa oculos consistunt curare, scire naturam & positionem oculorum qui in integritate & sanitate sunt (nam & vetus ait magister naturam corporis esse principium eius quod opus est ad medicationem) ideo necessarium putauimus existere pauca de oculis ante vsum & initiationem operationū dicere, vt in dispositionibus quæ in oculis consistunt vel à positione, vel à periptosi aliqua, & in doloribus qui sequuntur & consensoriis passionibus, sicut licet videre in pūctione facta in cornea tunica, & cum ea videlicet in secunda & tertia (nā magna ex parte in sequenti die sequitur alteratio) possimus eam quæ secūdum naturā scientes, cognoscere statim causam, & ita conuenientem & congruam curam adhibere.

De tunicis & humoribus oculorum.



Onsistit igitur oculus ex tunicis quidem quatuor, humoribus verò tribus, & musculis sex, secundum alterutrum oculum, qui motus actum efficiunt. & aliis duobus qui cōprehendunt radicem nerui optici, & tunicæ quæ dicitur circūocularis, quæ à natura creata substernitur toti oculo, circūtangens & circūinduens os, vt oculus non applicetur vacuitatibus ossium nudis. Accedit igitur illa circūocularis à crassa meninge. pertrāsiens enim ipsa suturas & pericraniā, quam circūossalem vocamus, ex eis peruenit ad frontē per spatia oculorum, & eorū quæ sunt circa oculum. & vsq; ad iridis quidem circulum, vnde cornea incipit subtiliari, peruenit. prorsum autē non procedens, sed econuerso rediens, residuā induitionem operatur corpori. Hanc igitur tunicam dicimus oculo heterocraniacā passionem operari: ac etiam chemoses quæ fiunt illa suscipit. Videmus enim in huius dispositionibus, circūscripta secundū circulum iride, reliquas partes phlegmone laborare, & in eleuatione existere. Et quidem illi qui de hac parte medicatiuæ diligentius tractauerunt, ita notificauerūt chemosim, quæ est quando albū oculi tumefactum superat circulum iridis, vt & nigrum oculi concauum videatur. quo significatur nobis quòd in circūoculari habuit consistentiam, & non in cornea. Sequitur autem semper vt & circulus iridis similis eleuationi & æqualis fiat. Sed tamen non est possibile corneam per se talem sustinere dispositionem, ceu cartilaginosa existens & densa, sed totam eius circunferentiā, præterquam si aliquando toto oculo à basi eius moto disponatur similiter toti corneæ. Manifeste autem & pterygia quæ consistunt circa oculos ostendunt istius naturam. aucta enim & modo quodam induplicata hac tunica efficitur pterygium. ita quòd aliquando eius augmento procedente, & comprehendente partes corneæ, cooperiatur non solum iris ipsa, sed & pupilla. & sic aliquando comprehensa tota pupilla, nō solum inuisibilitas sequitur, sed & defor-

mitas & improperium, pulchritudine oculi cooperta à pterygio & non apparente.Et de circũoſſali quidem tunica, vnde habeat principiũ, & quomodo perueniat ad oculos,moderate dictũ ſit.De reliquis verò particulis cõſequenter dicamus.A baſi cerebri pori duo oriũtur,ab vna radice habentes & ipſi principium, ſubtiliata meninge quæ cerebrũ comprehendit.In modum autẽ literæ λ Græcæ diuiſi perueniunt ad concauitates oculorum , portãtes per foramina quæ in eis ſunt ſpiritum viſiuum. Vterque verò ipſorum procedens, & figuratus anguſtationi oſſis,contexit tunicas,adimplens concauitatem quæ eſt in eis. ſimul enim atque in poris incipit finẽ habere,incipit cornea ampliari, & inflata perficit prædictam tunicam.Iſta igitur tunica ab anguſtia quidem pori,vnde habet principium,vſque ad circulum iridis ſimilis eſt, & ſibiipſi per totũ chartilaginoſa exiſtens & craſſa.Inde autem, ingeniãte natura vt poſſit ſpiritus viſiuus procedere, & obiectum cõprehendere,ſubtiliatur, & craſſitiem permutans fit neruoſa magis,& ita cornu ſimilis cũ fiat, præbet luciditatẽ ſpiritui qui venit à parte interna.Fides autẽ eius ſubtilitatis,eſt cicatrix quæ conſiſtit in oculis.Si enim quãdo poſt vlcus illius loci fiat cicatrix, craſſa accipiẽte tunica naturalem craſſitiẽ quã & extra circulum iridis habebat, in colore quidẽ talis apparet qualis erat & ante iridem.operationẽ verò viſus quæ deſuper veniebat impediens offuſcat,non adhuc potẽte viſiuo ſpiritu pertrãſire,ſicut quãdo naturaliter ſe habebat oculus.Secunda verò tunica à poro optico habet explantationẽ. proueniẽs autẽ & ipſa ſecundum propinquã poſitionem primæ tunicæ vſq; ad iridẽ,colorem ſuũ oſtendit per corneã.deinde circa mediũ oculum veniẽs,finẽ accipit ex foramine derelicto,quod nominãt pupillã,in qua & tui viſus ſimulachrũ vides,per quod ſpiritus pertingit ad id quod extra eſt:& huius gratia foraminalis vocata eſt.Secundum intrinſecam verò partẽ cyanea eſt.gaudet enim hoc colore viſiuus ſpiritus. Neq; enim nigrã ipſam omnifariã fecit,ne tenebraretur viſiuus ſpiritus:neq; albam,ne diſperſus fatigaretur quando aſpicit:ſed vt reſumptio & reintegratio ei fieret,ſic facta eſt.Cũ hoc autẽ colore adhuc & hiſpida conſiſtit tunica vuea:vnde & vuiformis vocata eſt conſimiliter acinis vuæ.Habet autem & vaſorũ multum in forma retis, vnde & retiformis vocatus, quia eſt ſicut & retiformis meninx,quæ eſt multis vaſis cõplexa in modum retis,vt ſpiritus qui fertur deſuper inhabitet:non quia præbeat reliquis particulis de viſu,ſed partiatur in toto oculo,& vt ſuſtentatio fiat cryſtalloidi & ſedes.Tertia verò tunica & ipſa à poro procedens,& perueniens ſecundum propinquã poſitionẽ vſq; ad circulum,applicatur ad ſecundum vas palpebraliũ explantationum,ad ipſam à cornea in circuitu explantatarũ:deinde inde reuertens,ſimiliter reti ſuper attracto. vnde & retina vocata eſt:ſua enim peluicula amplectitur vitriformem humorem.qui humor efficit molem oculi,premens per ſuã repletionem, & cõuexum faciens oculum apud extrinſecã partẽ.vnde & his à quibus euacuatur ab aliqua plaga,concidit & reſidet inferius,tanquã humore qui figurã eius cuſtodiebat effuſo & exciſo.ſubtilis enim eſt valde tunica aſſimulãs,& proinde araneiformis vocata eſt.De quarta verò tunica quæſtio nõ parua facta eſt à medicis.quidã enim aiũt eſſe tunicã, & continere humorẽ cryſtalloidem,qui effunditur in peluiculam tertiæ tunicæ, veniens quidẽ aduerſus vitriformẽ,ſuſtẽtata autẽ à tunicis quæ ſunt extrorſum. Et ſicut circũocularis perueniebat ad oculũ vſq; ad iridẽ,ita & araneiformis vſq;

medietatem perueniens non comprehendit totum, ne impediat visum. Alii autem tunicam ipsam quidem non esse aiunt. neque enim explanationẽ habere à poro, sed supernatare, mebranã autem esse crystalloidis humoris in hominibus: rarò autẽ aliquando in aliquibus animalibus, sicut in leonibus. Est autẽ & tertio humor aqueus, qui, sicut dicit Asclepiades, replet intermediũ spatium humoris vitrei & tertiæ tunicæ, materiã præbens ad videndum: vt autem dicunt quidam, in medio primæ & secundæ tunicæ est, & simulachra quæ apparẽt facit videri: & hic humor coagulatur in suffusionibus.

De musculis oculorum & palpebrarum.

MVsculi in oculis sunt sex secundum vtrũque oculorum, habentes substratam pinguedinem. quibus actus commotionis spiritus commissus est, perficientis motus eius per ipsos. Facti sunt autem vt facile circunducantur oculi, quando volumus huc & illuc nuere. Et duos quidem aiunt musculos habere superiorem palpebram & inferiorem. quarũ superior fortioribus indiguit: vt quocunque voluerit nuere oculus, contrahatur, & ad se attrahatur. vnum autem secundum vtrunque angulum, vt per eos flexiones oculorum efficiantur. quorum rursus ille qui est extra & apud paruũ angulum maior & fortior est, propter prædictam causam ingeminatus & ipse. Secũdum alios verò octo dicuntur esse musculi oculi, vtrique parti duos distribuẽtes. est autem & illorum fidem consyderare ex his. Si enim aliquando aliquis eorum patiatur offensam, siue à generatione, siue à periptosi, strabismi causa fit, vel spasmi. Et à generatione quidem fortassis paralysis offendet oculum, augmentum suscipiẽdo, vt habeat spatium oculus declinandi ad alteram partem. quomodo efficiuntur strabismi, oppositis quidem musculis, trahentibus ad se oculum secundum naturam, eis verò qui patiuntur assentiẽtibus tractioni illorum: & strabismus quidem ita fiet à generatione. Ex periptosi autem, adueniente aliqua causa, quæ musculo plagam infligat, & spasmi & tractus apud eum causa fiat. Ac etiam musculorum qui secundum oculum aliquis percussus, offendet oculum vel secundum lapophthalmum, vel secundum relaxationem. Si enim aliquis inexperte & inartificialiter hydatidem auferens fecerit appunctionem phlebotomi vltra medicinalem cõiecturam, & percusserit musculum, si quidem à phlegmone spasmatice disponatur, passionis lagophthalmæ efficietur causa. Si verò relaxatio fiat, relaxabit palpebram, vt neque conante patiente eleuare musculus palpebram possit, aut aliquo modo oculos aperire, sed grauata palpebra propter relaxationem feretur semper deorsum. quocirca oportet in chirurgiis huius pinguedinis maxime quidem caute, & cum aduertentia facere intromissionẽ phlebotomi. Maxime autem in medio palpebræ oportet incisionem facere apud ventres musculorum. Non enim ita ventres quando vulnerantur, anxiantur, sicut neruorum exortus, cauendo ab apostematibus quæ accidunt, vt vituperia circa curam effugiens quis, sortiatur finem venerabilem. Hæc igitur de humoribus, & tunicis, & periophthalmio seu circumoculari, ac etiam musculis secundum nostram possibilitatem, quæ non erant in memoria audientium, ad nostram vtilitatem, & amationem boni designauimus.

Claudii Galeni ascripti libri finis de Anatomia oculorum,
Nicolao Regio Calabro intetprete.

CLAVDIO GALENO PERGAMENO ASCRIPTVS LIBER DE RENVM AFFEctus dignotione & medicatione, Chriſtophoro Heyl. Vuiſsbadēſi interprete, nuper ad Græcorum codicum fidem accuratiſſimè recognitus.



Enibus peculiare quoddam corpus eſt ex fibris & carne conſtitutum: quod cum alia parte nulla commune habent, & caro hæc denſa eſt, ne ſanguis qui ad ipſos defertur, facili momēto diffluat, effundatur, & abeat cum vrina. Carnea hæc ſubſtantia non paucas habet inuolutiones, in quibus quoniam ſingulatim per ſubſtantiam lapides plerunq; generantur, fiunt in renibus grauiſſimi dolores. Ac de ſubſtantia quidem hactenus. Figuram autem renes habent Græcæ literæ θ: & in medio cauitatem quādam, qua ex venis & arteriis ſeorſum excrementum excipiunt: nam ad eos non maiores ſolum venæ, quarum aliæ in cauitatem hāc inferūtur, aliæ in membranam quæ renes circuntegit: ſed meatus etiam capilli modo exiles deferuntur. Dexter autem ſiniſtro ſublimior eſt: ne inter operandum alter trahat, alter retrahat. Iacēt ad ſpinam renes, paulò altius quàm ilia: & ex ſe vrinarios meatus duos emittūt, quibus ad veſicam vrina deducitur. Sed habent iſti quoque meatus propriā corporis ſubſtantiam, quam in alia particula nuſquam reperias. duos autem natura renes produxit, non vnum. quoniam alias excrementorum ſpecies ſeroſa hæc ſuperfluitas non parum ſuperat, quam attrahere, renum officium eſt: ignorare enim nō debemus alteram cauæ venæ partem ad corporis noſtri inferiores partes deferri: quæ bifariam diuiſa eſt, altera parte ſurſum, altera deorſum porrigitur. Pars quæ deſcēdit, rurſus tripliciter finditur, & pars vna ad crura porrigitur, altera ad teſticulos, & tertia ad renes. Procedūt verò & de corde arteriæ, quæ ſeroſum excrementum & vnà caliditatem immittant: vt ab eis renes caleſiant. nā renes ita ex ſeroſo iſto excremento frigent, vt ex atræ bilis ſucco lien. Quamobrem à dictis iam arteriis calor renibus ſuppeditatur, quò natiuam ſuam frigiditatem poſſint euincere. Poſtquam verò ſeroſum id excrementum renes attraxerunt, vtilem qui in eo eſt ſanguinem ipſi retinēt, & ex eo nutriuntur: excrementū verò ipſum ſeroſum à facultate ſegregatrice ceu inutile expellitur. Sed quandiu in venis & arteriis hoc cum ſanguine currit, excrementum ſeroſum cum ſegregatum eſt, lotium nominatur. Proinde quod in ſanguine vtile eſt, id ſibi renes in nutrimentum ſeruant: quod autem inutile, id abigunt. Atque vt bilis veſica, bile delectatur: & lien, atræ bilis ſucco: ita renes ſeroſo iſto excremento gaudent. Renum autem operatio eſt, ſecernere & percolare ſeorſum excrementum à ſanguine. Atque hic renum vſus eſt. Non ſolum autem rerum, ſed & ſingularum partium operatio medico eſt inueſtiganda: quòd ex operatione labefactata cognoſcatur quæ particula morbo ſit affecta: & ex modo ruinæ operationis, quātum ſit quæque affecta. Omnis affectus quo ren laborat, quanquam νεφρῖτις dicitur, ſiue is ſimularis ſit, ſiue inſtrumentalis, ſiue cōmunis: proprie tamen λιθίασις, id eſt calculi morbus, νεφρῖτις appellatur. Sunt autem lapidis huius quatuor cauſæ, Efficiens, materialis, inſtrumentalis, & finalis. nec operoſum fuerit diſcere à

rebus externis, lapidis concretionem, aut à calore fieri velut in riuulis & canalibus, cum caliditas, materia non expirante & ventilata exoritur. cum aqua in aliquo canali ſubſtar, calor quidam præter naruram accenditur, quo diſpergente id quod in aqua ſic cœnoſa partium erat tenuium, quod craſſarum eſt partium, in terram dureſcit: manénſque eo in loco ſubſtantiæ lapideæ ex qua factus canalis eſt, adhæreſcit: & in lapidem ſic colligitur. Subnectam aliud de eadem re notum exemplum. In lebete generari lapides ſæpe compertũ eſt aquæ parte quæ tenuis fuerat, diſſoluta, manente alia quæ craſſa & terrena eſt: ea enim lebetis vel alius æris corpori affigitur, & lapideſcit. Verum in nobis lapidem frigus non parit: neque enim fieri poteſt, vt viuo corpori tantum frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus: quo fit, vt à calore lapis in homine generetur, eóque vel vehementi, vel tepido. nam ſi craſſa materia eſt, ſufficere poteſt tepida & moderata caliditas: & quæ naturalis eſt, ad firmandam & indurandam terræ modo craſſam hanc materiam: eſt enim craſſities ad generandum lapidem ſingulariter accommodata. ſin tenuior eſt, vehementiori tum planè indigebit caliditate, ſiue naturali, ſiue præter naturam, qua dureſcat in terram: ſiquidem calor tenues materiæ partes euaporare facit, atque ita, vbi valuerit, lapidem conformat. Ideóque ſimpliciter à calore fit in nobis calculus. Materialis cauſa eſt craſſus aut glutinoſus ſuccus, vel vtroq; modo vitiatus. Inſtrumentalis cauſa eſt ren, aut veſica, vel pars alia quæ generando lapidi ſit opportuna. Finalem cauſam haud aliam dicas quàm lapidem ipſum. Sanguis qui in renes deriuatur, aut craſſior ſeipſo eſt, aut pituitoſior, aut magis ad bilẽ atrã, aut rufam demutatus: fertúrque ad eos per venas & arterias, vel in cauitatẽ, vel ſubſtantiam: eò delatus ſi quantitate, vel qualitate, vel conſiſtẽtia excedat, aſtringitur, detentúſque concipit caliditatem præter naturam: hæc caliditas præter naturam amplius eum denſat, agglutinat, & aſſat, aſſatúmque ipſum in terram & lapidem commutat. Qui itaque arbitrantur in renum concauitate lapides conſiſtere ſolum, cum per vrinæ meatus tranſeunt, diſcruciari laborantes dicunt. qui verò in ipſo renum corpore gigni lapides arbitrãtur, quo modo & in arthritricis nodis gignuntur: non ſolum cum pertranſeunt, ſed & quando generãtur, & quãdo renum concauitatem ſubeunt, dolorem exiſtant. Sed fieri vtroque modo lapides poſſe nobis ſatis perſuaſum eſt, cum ſuccus tenax & craſſus tempore aliquo aſſatur in iis atque exiccatur. Demonſtratum eſt enim in commentariis De facultat. natur. renem trahere ad ſe quicquid in venis ſeroſi vel tenuis cum ſanguine permiſtum reperiatur. Sunt igitur meatus qui in renis ventriculũ illud tranſmittunt: qui ſiquando latius diſtendantur, craſſius vnà aliquid colatur: quo calefacto & exiccato in renis cauitate, lapidoſam conſiſtentiam aſſequitur. Quamobrem ſi virtus ſegregatrix ipſius renis id omne in vrinis expulerit, arenoſum in ipſis ſedimentum proueniet. Si infarctum id & ſolutu difficile ſit quod renis cauitas ſuſcepit, ad eum aliud adhuc non abſimile ex caua vena immiſſum deinceps colligitur & augeſcit (circunlinitur enim ſemper quod affluit ei quod iã adeſt). itaque lapis non adeò contemnendæ magnitudinis exurgit. Quod certè vt facilius fiat, renum tẽperatura iuuare poteſt haud mediocriter, ſi calore naturali hæc ceu feruens & acris fuerit. Atqui ſi foramen & meatus qui ex vena caua in renem peruenit, fuerit rarefactus, & ſanguis humens, neque craſſus, neque glutinoſus:

tum vrina fiet cruenta. Cum itaque ex ſola pituita tenaci & craſſa, lapidoſorum corporum quæ in renibus coguntur, ſubſtantia coiuerit, color ineſſe ſolet, quem cineritium nominamus, non abſimilem lapidi, quem fieri in aquis natura calidis videmus. Hæ nanque, ſi tepidiores ſint quàm pro temperatione, tophos vidẽtur producere: neque alii cauſæ acceptum feremus, quòd pueris in veſica lapides generentur, ætate verò florentibus in renibus. Quippe cum actiones naturales in pueris ſint omnes fortes, fuſa eſt in eis & diſſoluta ſuccorum craſſities. Contrario modo ſe habent qui ætate proceſſerunt: nam actionibus in hiſce debilioribus coacta eſt craſſities ſuccorum. Apparet verò in externis id quoque, cum videlicet quæ craſſam naturam habent, per tenuia foramina traiicere inſtitutum ſit. quæ nanque fuſa calore ſunt & colliquata, trãſire ocyus videmus: quæ verò liquata non ſunt, traiectioni reſiſtere. harum materierum exempla nobis ſunt, pix, reſina, adeps, cera, & mel. Cum itaque in pueris calidum innatum abundet, & fortes ſint actiones: craſſitudo materiæ diluta in renes delabitur, indéque facilius in veſicam tranſit, non parum etiam adiuuante ad tranſitionis celeritatẽ ipſo actionum robore. In veſica autem exiſtente frigida (membranoſa eſt enim, paucique ſanguinis, & ampla intus capacitate) rurſus conſiſtit, denſatúrque ad eam craſſitudinem quam paulo antè monſtrauimus: conſiſtentiǽque principium ſumit, ſi diutius in veſica commoretur. Ipſa ſiquidem glutinoſa credibilius eſt ab innato puerorum calore facilius ſubigi, atque ideo magis vniri, conſiſtere, & condenſari. Adiiciamus ſi libet, puerilium vrinarũ craſſitudinis cauſam: quæ certè alia non eſt, quàm puerorum voracitas, & mouendi exceſſus mos ab alimento aſſumpto, dum ſcilicet pueri ferociunt & ludunt. In lactentibus autem ipſa etiam materia plurimum facit: in adultis enim qui caſeo & ſimilium rerum eſu delectabantur, lapides in veſica & renibus fieri cognouimus. Idcirco λιθίασις veſicæ, puerorum eſt morbus. Haud enim poteſt veſicæ collum tam anguſtum in maioribus corporibus eſſe, vt humorem craſſum remoretur. Attamen ne putemus ſolum hoc ſufficiens eſſe ad lapidis generationem, niſi calida intemperies eodem accedat, quæ calorem ignitum habeat, non temperatum aut modicum. In fœmellis ceruix veſicæ dehiſcit in membrum genitale, & breuis ſimul eſt & lata, vt nullo labore craſſa per eam ipſæ meiant quæ in vrina feruntur: quædum maſculi retinent, quod ſæpe fit, & propter longitudinem & anguſtiam ceruicis veſicæ, materiam veſicæ æſtuanti præbent ad calculi generationem. Signorum alia ſunt, vt ita dicam, ſcientialia, alia artificialia, alia propria. Proprium ſignum eſt, quod certe, nullóque medio morbum oſtendit. in renibus nempe lapidem, vt cum arenæ in matula ſubſident: tunc planè oſtendatur lapidem in renibus eſſe, ſignúmque hoc conſtans eſt & proprium. Quoniam verò affectus quidam cõplicantur, dicemus quoque de ſignis communibus. Cum lotium quod excernitur ſanguinolentum eſt, ſignum id eſſe commune poterit, vel quòd vaſorum apertio ſit, vel ruptio, vel eroſio, vel imbecillitas, vel dilatatio, vel aliud quicquá eiuſmodi. quoniam ruptionem exquiſiti & confertim egeſti ſanguinis vacuatio ſequitur. In apertione paulatim fertur, & ſanguis tenuiſſimus emanans cruentã vrinam efficit. Si quocunque tempore & momento ſanguis egeritur, imbecillitas vaſorum eſt: Sin vnà cum ſanguine, aliæ quoque craſſitudines excernuntur, dilatatio. Nam ſanguine aquoſo, manifeſtum eſt certúmque, lapidem conſiſte-

re. Quòd ſi ſanguis qui excernitur ſit craſſus, manifeſtum eſt ipſius craſſitudinẽ violenta coactione in lapidem eſſe abituram: ſi (vt fit) in ea ſanguinis vacuatione frigidam exhibeamus, vt vena coartetur & conniueat, atque arteria: nec amplius ſanguinem vllum in renes ingerat, qui cogi iſtic poſſit. fit enim proculdubio in hiſce ſanandis error: nam venam coartant frigida, vt alium ſanguinem inferre non ſinat: verum ea ratione fit, vt ſanguis qui in renibus commoratur, cauſa ſit. Proinde ſi frigidam exhibeas, venam comprimes quidem, ne ſanguis deferatur: ſed qui renibus illatus iam eſt, mox indurabis. Ex ſtupore cruris quod à rene ſecundum lumbum porrigitur, cognoſcere poteris quis ren laboret. nam ſi dextrũ crus ſtupor occupabit, dexter ren ægrotat: ſin læuum, ſiniſter. Eſt verò ſtupor, ſentiendi & mouendi in particula aliqua difficultas, qui fit in crure: quia vena quæ ad inferiora demiſſa eſt, triplici ramo diuiditur, quorum vnus cum arteriis ad teſticulos vadit, & vaſa ſeminalia: alius renes ingreditur: tertius ad crura porrigitur. Cum igitur in renibus lapis generatur, vnà tum afficitur vena quæ ad crura deſcendit: ſunt enim ambæ ab vna ſobole cauæ venæ, quam inferis patribus natura diſtribuit. Igitur vena quæ ad crura porrigitur, repletur: qua turgente, ſtringuntur nerui aut muſculus. cum ſtringitur neruus, animalem ſpiritum ad crura non tranſmittit, vnde ſenſu crus priuatur & prouenit ſtupor. Porrò ex teſticulo quoque ſecundum lumbos retracto, ſcire poſſumus renem eſſe affectũ. Si nanque dexter teſticulus retrahatur, dextrum pati renem argumento eſt: ſi ſiniſter, ſiniſtrum. nam à iecore & corde vena & arteria ad renes procedit, quæ in eorum cauitatem inſeritur: vaſa autem ſeminalia ad teſticulos feruntur. Quando igitur lapis in renibus generatur, vena illa & arteria diſtenduntur, & ſeminalia vaſa quæ ad teſtes pertingunt, atque ita per compaſſionem teſtes retrahuntur. Tradunt aliqui, vehementis doloris ratione vigilias vomitũ excitare. debebant itaque podagrici, lippientes, & qui vehemẽti dolore & vigiliis exercentur, vomere. Sed ea de cauſa hi nõ vomunt, immo propter poſiturã renũ: ii nãque poſiti ſunt ſecũdũ ſpinã poſt inteſtina & vẽtriculũ: quapropter facta in renibus violẽta quadã diſtẽtione, per copulas affectio ad inteſtina & ventriculũ digreditur, indéque affectione aſcendente ſequitur ſubuerſio. Quoniã verò cũ lapis ſubeſt, quædã veluti titillatio oritur, naturáque ad eius quod moleſtat expulſionem ſtimulatur, ideo ſpiritus occurrunt: quibus irrumpentibus in fiſtuloſam pudendorum partem, ipſam immaniter contendunt. nam in omni motione naturali ſanguis & ſpiritus concurrunt, qui ſunt naturæ vehicula. Cum verò demõſtratum ſit cor, iecur, & renes in concauitate non ſentire, in ſuperficie autem ſentire (quoniam in ſuperficie nerui ſentientes feruntur, in concauitate verò nulli ſunt) quomodo hæc dolorem perſentiſcunt? An quia grauatur cauitas, ideo dolor exurgit? extenditur nãque membrana quæ foris eſt vndique, quòd cauitas interna ſit repleta, & ſic extenſa membrana dolorem facit. In renum itaque ſubſtantia dolor itidem generatur, quando concauitas ex lapide grauata eſt, & circuntenditur, profértque cõſenſione dolorem in ſuperficiem: quippe quæ neruos ſentiẽtes habeat & membranam. In meatibus autem vrinæ, vt qui neruoſi ſint & ſenſibiles, dolor fit ſæuiſſimus. Dolor præterea vehementiſſimus fit in renibus, propterea quòd eorum cauernulæ non ſunt latæ, ſed anguſtæ, & renes ob firmitatem ſubſtãtiæ nõ diducãtur vt veſica. Cur renum lapides magna ex parte minores ſunt

æquales & molliores: nempe quia diuturni non sunt. Qui calculo laborant, his primo vrinæ sunt aquosæ: cum enim sit obstructio, ceu per cribrum effluũt, pòst arenosæ. demum calculi excernuntur, cum dolor cessauerit. Sicut in mulieribus parientibus ad fœtus egressum partes dilatantur: ita hîc violentia, renum substãtia fatiscit, & egreditur lapis. cum ad renum cauitatẽ subit, in membrana quæ istic substat, quoniam facili sensu est, dolorem mouet vehemẽtem. & multo magis cum meatus vrinæ ingreditur, propter angustiam & sensum eorum. quantisper enim in renum corpore sistitur, non multum solicitat, quoniã, vt diximus, eorum substantia sensibilis non est. Sæpe nanque præ magnitudine in collo vesicæ detenti lapides in extremum periculum doloris acumine patientes agunt, nec vrinas sinunt excerni. Vidi ego quendam, cui per alias vias elapsus, in viriliũ extremitate lapis hæserat, minimúmque abfuit quin vrinæ difficultate, & dolore acutissimo homo interiret, nisi angusto tãdem forcipe eximere potuissemus, sectionem per longum superne moliti. nam vrinæ meatum, nisi vrgeat magna necessitas, incidere non oportet, ne fiat fistulosa pars ea, & vrina profluat. Inuenias tamen qui dolorem non habent, nec sanguinem mingunt, quibus meatus in renibus congesti non sunt. At tenues arenulæ haud magno negotio quidem excernuntur: quod qui faciunt, nec ægrotare se putãt, quando dolorem nullum sentiant. Verum nihil est hac in re contemnendum, cum tempore omnia grauiora reddãtur. Lapides & arenulæ colore differunt, tum ob caliditatem, tum ob materiam: nam vt quidque illorum longiori tempore retinetur, ita rufum, flauum, rubeum, aut nigrum efficitur. Haud aliter & à succis fiunt lapides & arenæ, colore vel sandarachæ simili, vel nigro, vel pallido, vel alio aliquo colore pro succorum varietate. Fiunt autem lapides in concauitate renum, in eorum substantia: & vbicunque fieri commode possunt, aut parui, aut maiusculi, interdum pauciores, interdum plures. Differúntque magnitudine, figura, colore, asperitate, & multitudine. Nigros siquidem inuenias, & subalbos, & pallidos. Ac rotundi, leues & parui, facile excernuntur: maiores, vel aliter figurati, & maximè oblongi & asperi, difficulter. Arenulæ verò prodeunt & egeruntur dũ fiunt lapides: cum facti sunt, haud fieri potest vt efferantur, quia in lapidem sunt coacti, nisi natura ipsa vltro conterat & excernat, vel ars per medicamentum tritorium naturæ auxiliata, conterat & euacuet ipsas. Nemo verò ignorabit colicum & renum affectum vnà plerunque incidere. Deprehenduntur tamen propriis signis: nam aluus exonerata colicis medetur: nephriticos quoque à principio mitigat. Et iam aliqui dederunt medicamentum quo aluus subducta, & dolor cessauit primo, secundo, & tertio die, quarto prodiit lapis. Cum autem simul inciderint renum & coli dispositiones, mutuo particulas communicant intensione & remissione: tenduntur enim ob continuitatem partes haud aliter quàm funiculus: & neque superne ructus vllus, neque infra flatus quispiam exit. Si renum affectus subito inuadat, & qui laborat, cibo nuper refectus sit, cibíque adhuc sint incocti, sicut ægrotus eos ingessit, aut semicocti, vel succorum multitudine corpus grauatum habeat: oportet ante aliam curationem, vel potius mitigationẽ, nisi quicquam impedimento est, vomitum prouocare. Mox si in intestinis excrementorum superfluitates fuerint, per idoneos clysteres extrahere, modo nihil obstet. Postea si totum corpus plenum fuerit, consyderare quisnam humor

sit, qui ipsum repleuerit. Atque si sanguis is est, euacuationem instituere oportet, cum nihil impedit: minorem tamen multò quàm plenitudo desiderabat. Quid ita? quoniam lapidem non planè statim eximere possumus, potissimum cũ magnus est: ideóque oportet pleniorẽ sanguinis euacuationem cauere, propter cõsumptionem, quæ tempore adhuc aliquo in corpore futura est. Sin quatuor humores abundauerint, potius vena incidenda est ante purgationem, quàm purgandum ante venæ sectionem. Quoniam si per sanguinis missionẽ corpus prius vacuatum fuerit, purgans medicamentum exhibitũ venas & arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas: quo fit, vt absque vllo impedimento in totum corpus dimanet ad attrahendum succos, facilliméque fiat eorũ euacuatio per vasorum spatia & fusionem tenuitatémque succorum. Nam si vasa sanguine repleta sint, & purgatiuum dederis: non poterit propter plenitudinem in corpus differri: vnde fit, vt substet, & nihil efficiat: aut si quicquam facit, male faciat. Ex medico quidem purgans medicamentum, ex natura verò totũ negotium pendet: hæc etenim à purgante medicamento excitata, facultatem segregatricem aduocat, qua segreget inutilia ab vtilibus, ac vtilia quidem retentrix facultas detinet: inutilia verò expultrix facultas expellit. non oportet autem simul venam secare & purgare: verum prius sanguinem detrahere, deinde virtutem pulchre refocillare: quoniam ipsa nos gubernat, & medicamentis auxiliatur. medicamenta enim per seipsa nihil efficiunt, ideóque corroboranda virtus est, vt possit natura vti purgatiuis exhibitis ceu instrumentis, atque quod decens est, perficere. Huc præterea accedit quòd vnà cum sanguine multum è vitali spiritu excernitur: quo excreto refrigescit totum corpus, & opera naturalia deterius obeuntur. Ea propter virtutẽ priùs refocillare oportet, deinde medicamentum purgans exhibere. Sed quia affectus renalis est, & materia ex qua lapis generatur crassa, materiámque crassam sursum reuellere promptum nõ est, magis verò ad ipsius lationem spectantibus deorsum vacuare expeditum: ob id si valida sit virtus, venam quæ in poplite est aperiemus, vel quæ ad malleolos: sin imbecillis, venam quæ est in cubito. nam si virtute debili infrà euacuabimus, retentrix facultas, quæ est imbecillis, non retinebit: sed vniuersa in præceps rapietur, & partem assiduo defluxu impetet, succis videlicet in locum imbecillẽ perpetuò procumbentibus. Quapropter cum firma virtus est, conuenit ex vena quæ in poplite est, sanguinem mittere: cum debilis ea est, reuellere ad superiora. Quam verò ob rem si quæris, ne materiæ plus in rene deriuetur. Hinc est quòd cum cibaria pituitam, & succum vomitu euacuauimus, tranquillitas quædam fiat & leuatio. Eiicitur nanque cibus & pituita quæ ventriculum grauent: à ventriculo autem renes stringũtur & vrinæ meatus: quo fit vt grauior sit oblæsio. Sunt itaque primùm ista diluenda, quæ stomachus excipiens, ceu debilior distendebatur & premebatur: quibus euacuatis leuatio sequitur, nondũ tamẽ perfecta liberatio. Vacuamus etiã per clysterẽ excremẽta, ne colo & reliquis intestinis constrictis atque grauatis, vnà quoque ren laborãs stringatur prematúrque, atque sic amplius doleat. Quod manifestum est, quia stercoris obstructione renes plerunque exasperari compertum sit, enematis iniectione renalem dolorem esse mitigatum: vel quòd ab ea vacuatione ren aliquis non sit amplius compressus: vel quòd ex stercore nulli postea flatus prodierint, qui in renes impingentes, ipsos vt imbe-

cilles comprimunt & extendunt. Sed neque ſanguinem, neque alium ſuccũ plus æquo relinqui in corpore par eſt, ne multa hinc renis vaſa diſtenta plus doloris concitent. Quæcunque enim vel dolent, vel calent, vel extenduntur, per vehemẽtes & acutos dolores, ad ſe materias accerſunt. Proinde doloribus ſiue repente, ſiue pedetentim in renem incurſantibus ex commemoratis iam cauſis, ilico, niſi quid prohibeat, aluum decocto aliquo eluemus, caricarum, fœnogræci, ariſtolochiæ, & ſimilium. ac, ſi vacuatum ſatis eſt, bene vertit: ſin minus, bis, ter, aut amplius vacuandum enemate eſt: ſed ex eorum decocto quæ conducibilia ſunt, & familiaria naturæ ægrotantis, ne angantur grauenturque renes & viæ vrinales. Poſteaquam autem aluus ſatis excreuit, iniicienda ſunt quæ vrinæ vias dilatare, renes laxare, calculum deprimere, & morſus mitigare queant. vtilis ad hæc materia eſt oleum anethinum, in quo eliquatus ſit gallinaceus adeps quàm recẽs: maximopere verò phaſiani adeps, vel butyrum recens, aut ſimilium aliquid. Quæ ſi in promptu non ſint, fœnogræcũ, & altheæ vel radicem vel ſemen, aut ſimilium aliquid decoquentes oleo iniiciemus. Nam hæc omnia vias dilatãt, & lapides deprimunt, necnon doloris vehementiam mitigant. Sed horum vſum frequentius aſſequitur is qui exploratum habet naturalium facultatum vigorem: immoderata nãque emollitio & laxatio virium robur exoluit: quod ſolatur & perfectè curat vniuerſum dolorem. Poſt vomitum autem & enemata conferet locum qui affectus eſt fomentis humectantibus & relaxantibus delinire, quantiſper lapis in rene hæret: vt interim tamen curemus, ne vt dictum iam eſt, iis abutamur. huc faciunt etiam cucurbitulæ, quæ ſæpe lapidem celeriter adeò transferunt, vt ſubitam eius mali leuationem poſſint comparare, lapide nimirum in locum ampliorem tranſlato. Quapropter ſuprà à renibus initium faciendum eſt, procedẽdúmque ad inguina per obliquam ilium poſitionem, quo loco frequẽter dolores incedunt: quod cum inſtitueris, nihil eſt vtilius quàm partes eas in laborantibus prius calfacere, poſtea cucurbitulas admouere: alioqui lapis ſicubi maior fuerit inuentus, arctius figitur: cúmque violentius vrgeatur, nonnunquam periculum haud mediocre doloribus accerſit. quare fomentare iam nominatis inſeſſionibus proderit, ſi mali communicatio ad pudenda vſque proceſſit, atque id cum fœnogræco, althea, ſemine lini, anetho, gummi, & ſimilibus aqua diligenter incoctis, & dulci oleo infuſis. Conducet etiam emplaſtrum ex triticea farina, aut hordeacea cum lini ſemine, & fœnogræco, & melle, & oleo anethino, & gleucino: quæ cum decoctione prædicta elixabimus, inſpergentes in ipſa cataplaſmatis ebullitione, radicem altheæ pulcherrime tuſam, & cribro diſcretam, terebinthinámque reſinam cum deſinit feruere decoctũ, aliquibus adiectis ſeminibus quæ flatus diſcutiunt, ſi quam ſubeſſe inflationem intelleximus, vt ſunt anethi & apii ſemina, fœniculum, liguſticum, & alia id genus, pro laborantis temperamento. Fiet autem cataplaſma optimum ex lupini farina decocta cum muſto, ſi à decoctione peucedani radicẽ minutiſſime leuigatã admiſceamus & chamæmelũ. Bonum etiam fuerit panem muſto incoquere, & cataplaſma inde lumbis imponere & ilibus. Nec minus proderit veſicam & partem ſub vmbilico cataplaſmate confirmare, ita vt crebra permutatione alia atque alia ſubinde admoueamus, priuſquam refrigeratũ ſit primũ quodque. Sin illud non liceat, tepefactorio poſſumus alio, ne refrigeſcat quod impoſitum eſt, fouere: quod fiet ſi pro fomento

cataplaſmati aquam calidam in vaſe teſtaceo vel æneo imponamus. Poſt alui verò & ſuprà & infrà ſicut diximus euacuationem, phlebotomiam, purgationes, fomenta, inſeſſiones, ſi dolores adhuc perſeuerent, vti lotionibus conuenit dulcium aquarum. Aliqui enim vel ante venæ ſectionem & reliquam curationem, balnea admiſerunt propter doloris immanitatem: Aliqui, ſi nihil eſſet quod vrgeret, poſt ſanguinis miſſionem & curationem reliquã. Balnea ſanè humectant & calefaciunt eueſtigio: calida ſiquidem aqua lenitionem affert cum calefactione: in quam tamen qui frequentius ſe demittit, ineſcatus lenimẽto doloris, quod lotio præſtat, corporis vires exoluit, quarum eſt, quicquid corpus infeſtat, propulſare. Eam ob rem cum ceſſauerit dolor, auferenda balnea ſunt, & fomenta adhibenda: ſed ex medicamentis quæ patientis naturæ ſint accommodatiſſima. Cæterùm ſi exceſſu doloris homo periclitetur, commodius erit ſtupefacientibus ſuccurrere: nam aliter ea nunquam vſurpes, quippe cum dolorem non ſedent, ſed ſua temperatura ſenſum auferant, ipſumque fallant: quæ diſpoſitio poſtea multam curam requirit. Quòd ſi ſpiritus aliquis craſſus qui vnà cum calculo morbũ exaſperet, ſuſpectus nobis fuerit: prædictis fomentis & cataplaſmatis admiſcebimus, quæ digerendæ inflationis naturam habent, ſicut rutam, anethum, nigellã, & hoc genus alia, diligenter attrita, poſt perfectam ebullitionem. Sed eadem ad fomenta & enemata aquæ incoquimus abſque contuſione. Verum ſi omnibus his peractis adhuc lapides fixi permaneant, à multis cibis atque potionibus laborantem abſtinebimus, & iis quæ ipſius naturæ ſunt minus conuenientia, ne venter repletus, grauatus, inflatúſque ciborum, ſuccorúmve, aut flatuum copia, repletione hac renes premat, & violentia proſequatur. Sint verò quibus vtitur omnia modica, & laborantis naturæ tum qualitate, tum quantitate accõmoda. Veruntamen ſi laborantis natura calidior eſſet, & ſitis vehementior, vacuato prius toto corpore, & ab excrementis repurgato, ſiqui frigidam bibere eſſent conſueti, & phlegmone nullum viſcus laboraret, nec eſſet imbecille: frigidam ſæpe copioſe exhibuimus. renibus ita corroboratis, eueſtigio lapidem impactum expulerunt. In corporibus autem plethoricis, id eſt quæ ſuccorum quatuor multitudine æqualiter redundant, & excrementoſis, & in quibus viſcus aliquod debilitate affectum eſt, & ea forte aliis, frigidæ potio cauere conuenit. Cæterum ſi & poſt hæc omnia quæ diximus, lapis adhuc firmiter reſiſtat, vtendum eſt medicaminibus quibus conteratur, quæ tepidam facultatẽ habeant. Nam calida vrinã prouocantia indurant lapidem. Quæ verò tepidam virtutem habent, paulatim comminuunt lapidem, nec eum duriorem reddunt: eiuſmodi ſunt damaſonium, petroſelinum, polytrichon, & his ſimilia. Sed forſan dubitaret aliquis, quomodo lapidem poſſint comminuere quæ tepidam facultatem habent, cui nos reſpondemus. Lapis ille cum ab intemperie & valido calore ſit factus, ob id merito exhibemus quæ virtutem tepidam obtinent, vt quæ contraria iis ſint, à quibus lapis eſt effectus. Sic enim multo tempore attenuamus, conterimus, & ſuperamus ipſum. Quippe tepida ceu minus calida ſunt valde calidis contraria. Diureticis ergo & valde calidis vti non poteris, ne craſſam materiam eo pacto indures, & in lapidem celerrime commutes. Cum verò lapis nondũ conſtitit, neque magnus eſt, ſed tantum obſtructio fit ab arenis, vel craſſis & tenacibus ſuccis: tunc calida ſecure porrigas, & quæ obſtructiones aperiant, haud veritus vt lapideſcat mate-

ria. Cum nanque arenæ ſint quæ obſtruunt, ſi porrigas quæ aperiant, & calida, qualia ſunt medicamentum ex aniſo,ex pipere,apium,phu,& ſimilium aliquid: euacuabis & diſſolues eas. Ad prædicta verò breuiter delibandum eſt quomodo quis ſe à lapide præſeruet,ne qui iam curati ſunt,eos noua lapidis generatio rurſus perturbet.Quoniam autem eorum qui calculo infeſtantur,ſanabiles ſunt alii,alii minimè: in præſeruando maxmi ſunt momenti ciborum moderatio, & bonæ coctiones.Satietates enim & cruditates hunc morbum non exacerbāt modo,ſed etiam pariunt,vbi nullus erat. Quapropter nihil eſt feruens ingerēdum, quod renes poſſit & veſicam calefacere.Nec minus cauendum à cibis eſt,qui duram ſubſtantiam habent, & qui ægrè diuiduntur:quique ſubſtātiam habent pleniorem,& qui multum nutriunt,tum qui celeriter in corpus diſtribuuntur ante perfectam concoctionem,item qui innatant,difficulterque deſcendunt & inflant,ac vias oblimant,aut aliter corporibus adhæreſcunt pertinacius.Nam ventriculus talibus alimentis grauatus, cruda hæc ad iecur & renes detrudit: incoctum autem alimentum à ventriculo confertim illuc expulſum planè concreſcit,atque cum tumultu ſemel atque iterum in renes delatum in lapides mutatur ob renis alicuius diuturnam contrectationem.Sed ad victus rationem tranſeamus.Vinum ita ſit tenue admodum & album,non valde vetus:dulcia verò & nigra vina calculoſis ſunt inepta.Aqua verò in vniuerſa victus ratione ſit puriſſima & purgata:nam fluuiales,paluſtres,& omnes aquæ ſtagnātes,quæque ſegniter fluunt,& non commouentur,omnes generare lapidē poſſunt:atque vt paucis de omni victus ratione præcipiam,infrigidis & carnoſis diæta ſit planè extenuans: in calidis & gracilibus media ſit inter extenuantia & craſſefacientia. Ab aliorum omnium ſaturitate cauere conuenit,& præcipue dulcium, & caſeaceorum nutrimentorum, & craſſorum, & tenacium,& pinguium. Cruditatémque ideo aduerſiſſimam eſſe putandum eſt,in quam ſi calculoſorum aliquis incidat, ſomno diutius aut quieti prorſus indulgeat: præcordiáque propriis manibus calfaciat, donec cōcocta ritè omnia ſint,& infra ſubſidant.Locis tēperatis & in aerepuro fiant exercitia ab his quibus liberum tempus eſt. Iraſcantur interdum. Deambulationes & exercitia laborantis naturæ conueniant:eſt enim deſidia in primis noxia. Sit aluus ſoluta aſſiduè, modo ne inſtet aliud quippiā: cum nanque hæc probè excernit,vrinæ profluēt liberè. Vnctionibus ſi oportet vti,quando oportet vti, ſint quæ contra locorum iniuriam queant corpus communire: vt ſunt rubrificationes,dropaces,& quæ ex ſinapi fiunt.Aquarum etiam quæ natura calidæ ſunt, vſus prodeſt,cum nihil prohibet. Conſyderare etiam accurate debes de ſanguine mittendo,cum tempus adeſt,ſi corpus ſanguine plenū videatur.Exundans enim niſi euacues,confluet in partē imbecilliorem.Sed purgatione vti præſtiterit in his qui malis ſuccis ſunt repleti.nam eos qui inordinate degunt,& ſuccum crudum in ſuperiori ventriculo multum colligunt,à cœna frequenter vomere facito, niſi ſit quāobrem prætermittant. Poſt prouidentiā quæ toti corpori adhibetur,offerre conuenit medicamenta quæ renes purgent: ſicut quæ obſtructiones aperiunt,quæ vrinas craſſiſſimas,viſcoſas,fœtidas,multas à venis,renibus,vrinæ meatibus,atque veſica educunt:quo numero ſunt cardui decoctum,& alia prædicta.Sæpe magno vſui ſunt quæ vrinam mouent.Hæc vt omnes homines communiter moneremus, non vt exquiſitam diſciplinam trade-

remus,ſunt à nobis expoſita.Quamobrem tibi gratia eſt habenda,quoniam per te ſunt omnia tradita.Porrò conſtat ab vnicæ qualitatis indicatione,parari perfectam & exquiſitam curationem non poſſe: ſed indigere nos aliis adhuc, quæ ab eo genere non ſint aliena: hinc eſt quòd cõmonefacere de illis etiam aliquid operepretium putemus.Variatur enim medicatio pro diuerſis cauſis,ætatibus,locis, anni temporibus, habitibúſque & diſpoſitionibus, moribus & conſuetudinibus,temperamentis,ſenſus facilitate & difficultate,partium differentiis, poſitionibus,aliíſque id genus compluribus.quamobrem opus eſt optimum medicum diligenter id noſſe quod ſecundum naturam eſt.Qui nanque id quod ſecũdum naturam eſt,exquiſite perſpexit, celerius cognoſcet id quod eſt præter naturam.Neque enim prædictæ cauſæ ſolummodo medicationem variãt, ſed proprii quoque naturarum modi,propter quos medicamenta,vel plurimum probata ſæpe nihil conducunt atque fallunt,quapropter obſeruare conuenit.Et niſi curationi obtemperent,vel ob naturæ proprietatem,vel affectus apparatum,vel aliud quippiam:his relictis ad alia quæ vtilia planè ſunt,tranſire neceſſarium eſt. Id quod faciendum non tantum in medicamentis eſt, ſed & aliis omnibus tum auxiliis,tum viuendi inſtitutis. Verùm memoratas hîc proprietates,aliáque cõplura quæ dicta non ſunt,non omnes qui ad medicinæ ſacraria acceſſerunt (licet ſint alioqui argutiſſimi) ſed qui ſemper ægris aſſiſtent,& explorabunt naturæ motus,aſſequentur.Proinde ſi ob latentem aliquam & propriam cauſam,artificiali cuiuſquam iudicio, medicamenta non reſpondeant, oportebit propter vrgentem vehementiæ neceſſitatem,ad ea quæ veteres obſeruatione tradiderũt, & quæ à tota ſubſtantia operantur,deſcendere.Ea dico quæ experimento & exercitatione haud rationali ſunt reperta: quod genus ſunt paſſer troglodytes, leporina pellis combuſta,ſanguis hircinus,& alia infinita tam ſimplicia,quàm cõpoſita medicamenta.Quorum multa abominanda ſunt,quæ exercitatio non rationalis inuenit:vel natura,vel fortuna quadam, vel obiter non data opera, vel imitatione,vel inſomnio, vel oraculis, vel traditione, vel aliis quibuſdã, ex quibus empirice cõſtat.Quæ omnia cum ratione indiſcuſſa noſtro tempore ſint,nõ ponemus magnam in eis fiduciam,quia modum vtilitatis illorum ignoramus. Quòd ſi aliquando cogente aliqua neceſſitate adhibeamus , non debemus his abuti,ne quemadmodum abſque comperta & manifeſta cauſa iuuarunt,ita viciſſim offendant. Qui nanque volet eſſe præclarus medicus, & ratione quæque non temere agere,circa qualitates & effectrices & operationes debet verſari,& in eis fiduciam ponere:quippe qui ſic methodo compertum habeat calidi & frigidi, humidi & ſicci effectus,item acerborum,auſterorum,acidorum,dulcium,ſalſorum,amarorum,acrium,& omni qualitate carẽtium,nec ignoret, quem effectũ præſtent,quæ craſſarum ſunt partium,quæ tenuium,quæ obſtructiones aperiũt, quæ attrahũt, quæ emplaſtica ſunt,& alia quoque ſigillatim.Enimuero vt plurimum ratio conſtat,lapide conterentis materiæ, has vti magis decens eſt, quàm quorum ratio cognita non eſt, veluti damaſonio, petroſelino, polytricho, & ſimilibus his virtute : quæ probatiora etiam eo ſunt, quòd tepida facultate conſtent. Verum ſi tandem caſibus ita deploratis, & hæc fruſtra admoueris,non abſurdum erit nos ceu Chriſtianos (ſi Deo rem committas) ad maxima noſtra & vere arcana confugere, quibus id quod & credo & confiteor, non corporis ſo-

lum affectus, & à quibus omnes medici desperarint persanari: sed omnes etiam animi passiones funditus extirpari. Reliquum sermonem ad te peculiariter, tanquam hypothesim conuertam. Cum multa sint quæ restaurare sanitatem possunt, mihi ab alimento necessario incipiendum videtur: nam aliis auxiliis non semper vtimur, sed alimento carere nullum animal planè potest, siue valeat, siue ægrotet. Quoniam verò tutior est & compendiosissima via ad affectus leuationẽ vnica victus ratio: quandoquidem aliorum medicamentorum abusus & permutatio, sicut comperi, multis sæpe non leues morbos pepererunt: tum animæ meæ sol, qui calidius es & humidius temperamentum sortitus, & ætatem puerilem, virésque non ita robustas, habitum gracilem & rarum, & facilem insuper ad percipienda incommoda sensionem, ob temperaturam, ætatem, habitum, & raritatem assumes horum qualitati similia innutrimentis ciborum & potuum, & quæ valeas cõcoquere: ob debilitatem autem virtutis pauca, & eo sæpius. Pauca quidem debilitatis virium gratia. nam onus ferenti cõueniat oportet: sæpius verò, quia necessitas vrget. Athletæ enim, viatores, milites, & omnes qui valida exercitia obeunt, modo valeant inculpate, abstinere à nullis debent, vel cibis, vel potibus quæ ad manum sunt, vel quæ occasio præstitit, quia vti iis oportet quæ est necessitas elargita. Quibus non solum viuere ita licet, sed & his qui negotiis vrbanis plurimum distrahuntur, & patroni aut vindices pro pugnandis cliẽtibus negotiosius degunt. Tu verò qui nunc tui iuris es, hyeme comedes plurima: plurima dico non ad tuas vires, sed aliorum anni temporum respectu. Quemadmodum & Hippocrates artis nostræ princeps inquit, AEstate & Autumno cibos difficillime ferunt: hyeme facillime: ver secundo loco est. Idem rursus alibi ait, Vẽtres hyeme & vere calidiores sunt natura, & somni longissimi. In his itaque temporibus alimenta plura tribuenda sunt: siquidem calor innatus multus est, ideo pleniori alimento indigent. Indicio sunt ætates & athletæ. Bibes autem aliorum anni temporum comparatione minimum. Debétque potus esse album & tenue vinum, quod admodum vetus non sit. Sed & obsonia hoc tempore assa debent esse vt plurimum. Vtendúmque oleribus & leguminibus tum parcissime est. Et hæc omnia magna ex parte calida & sicca non propter temperiem ætatémque tuam assumes: sed propter intẽperiem quæ ex anni tempore frigida & humida est. Pòst vbi ver aduenerit, potus vberior, dilutiórque parum, conducet, & esculẽta molliora pauciorâque. Quin & obsonia ex assis ad elixa cõmutabis, oleráque nonnunquam assumes. Verũ ad hæc ab illis non subito, sed paulatim tibi transeundum est, ne vniuersa illa & subita mutatio comparet offensam: sicut traditũ ab Hippocrate est. Plurimum atque repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniã omne nimium est naturæ inimicum: quod verò paulatim fit, tutum est, cum aliâs, tum verò cum ab alio ad aliud transitur: vberiorem verò & aquosiorem potum præcipio, non plurimum, neque aquosissimum. Plurimũ enim & aquosissimũ æstate bibitur, quod tempus hyemi planè contrariũ est. Ver autẽ sicut medio loco est inter hæc duo extrema, ita mediam quoque rationem viuẽdi requirit. Hæc autẽ viuẽdi ratio tibi conducit nõ ob anni tẽpus solum, sed ob tuã etiã tẽperaturã atque ætatẽ. Et hunc in modũ verno tẽpore te geres. Aliis autẽ anni tẽporibus paulo diuersius, non propter ætatem tuã & temperaturã solũ, sed & anni tẽporũ

intemperiem. Sicut verò anni temporum differentiæ non eandem victus rationem demonstrant, ita & corporis habitus. Carnosos siquidem & molles, frigidosque & humidos, vt plurimum siccius alimentum confirmat: qui contrario modo se habent, contrariũ. Tibi itaque, quia medio es & tẽperato habitu, maiori tẽpore victus ratio temperata conueniet. Quæ nanque secundum naturam sunt, vt plurimum similibus indigent: quæ præter naturam contrariis. Puerorum tẽperamentum calidum est & humidum, cum non possit auctio & conformatio in alia tẽperatura fieri, quàm puerili. Ob hoc igitur similia te oportet & multa nutrimenta vsurpare, vt multa & varia concoquere assuescas. Quippe hac ratione natura ventrem & iecur ampla & capacia formabit, & alias vnà omnes partes. Quòd siquando tibi plus humiditatis quàm pro sanitate cõueniat aderit, siccari tamen non vt alii debes: propterea quòd auctioni nihil æquè aduersetur ac siccitas. Hac de causa vitanda tibi sunt quæcũque exiccant, calefaciunt, & extenuãt. Atque hic modus est quo vitam instituas, vt tua natura valeat inculpatius. Senes autem propter membrorum quidem duritiem frigidi sunt & sicci: propter excrementa verò frigidi & humidi. Senes itaque partium quidem solidarum frigiditate, contrariorum contraria postulabunt (nempe frigiditatis calefactionẽ) in cibariis poculentis & reliqua viuendi ratione: euacuationem verò earundem inter se mutuo propter excrementa. In his paucum nutrimentum desideratur, ob virtutis imbecillitatem, id quod est ab Hippocrate traditum. Quæ crescunt, plurimum habent innati calidi. plurimo igitur egent alimento, alioqui corpus absumitur. Senibus verò parum innati caloris inest, paucis propterea fomentis indigent. Et rursus, Senes facillime ieiunium ferunt. Panes differũt materia, fermentatione, & ratione coquendi. Materiæ differentiæ sunt quatuor: siligineus, σιλιγνίτης Græce nominatur. σεμιδαλίτης Latine similagineus dicitur. αὐτόπυρος, quẽ συγκόμιστον quoq; Græci nominauerũt, quod ex farina vniuersa cõportata, nõ discussis furfuribus cõstet. πιτυρίας ac si furfuraceũ diceres Latine. Horũ nos incõmoda atque affectus edocebimus. Plurimi est alimẽti siligineus, qui & diutissime in corpore moratur, & efficacissimus est. secundũ locũ obtinet similagineus. inferior his est syncomistos, ita vt haberi medius possit. omnibus infirmior est furfuraceus. Tibi verò, cũ vales, cõmodissimus siligineus est: cũ renũ morbus infestat, quod nolim, dũ laboras, ab hoc abstine: etsi te moueat edẽdi desideriũ, furfuraceis vti mediisq; tuto poteris. Nã cõducibilius tibi esse genus hoc potest, nisi prohibeat aliquid, quia pauci nutrimenti est, & in ventre colligit excremẽta, quibus ad excretionem descẽdit expeditius: astringitque nõnihil ex furfuris natura. Quamobrem ocyus deiicitur, in intestinis ad expulsionem irritatis, quando in hoc affectu nihil perinde conducit, atque ventrem semper lenem & solubilem habere: cũ enim probe is subducitur, vrinæ possunt puriores proferri. Panes reliqui, maximéque siligineus & similagineus, contrario modo aluum retinent, quia difficulter secernuntur. Et hinc est quòd iecoris & renũ obstructiones pariãt: tametsi alibiliores sint, & vegetent plenius. E volucribus laudantur quæ mediam quãdam materiam præstant extenuantium & crassefacientium: vt sunt perdices, attagines, galli, gallinæ, columbæ, phasiani, passeres, & ante alia quæ turritæ nominantur. hæ nanque habent naturalem efficaciam. E terrestribus optimi succi est caro suilla, & hominibus maximopere familiaris, maximéque tum nutri-

bilis, tum corroborans: sed glutinosum quiddam habet & crassum : ob id qui diutius ea victitant, iecoris & renum obstructione corripiuntur: eoque longiori ab ea interuallo abstinendum. Paruorum autem porcellorum carnibus si parũ & assidue vtaris, nihil offendent. Ceruinam carnem vitabis. quippe quæ dura sit, cõcoctu difficilis & melãcholica. Ouilla carne vtilius est ex interuallis vti, quòd excrementosa sit & mali succi. Agnorum verò hœdorúmque carnibus quoties libitum fuerit vtêris. Ex aquatilibus animalibus, pisces qui saxatiles nominantur, non erunt tibi comesti inutiles : quales sunt gobii, muli, cartilagineorum genus: aliique qui generare bonum succum possunt. Ad hæc marinorum aliqui, & qui mollem testam habent. Astaci, paguri, cancri, carabi & carabides, & quibus dura testa est. De fructibus autem quid dicam? neque enim nobis ceu alimentũ idonei sunt plerique ipsorum: sed ceu medicamenta quæ stomachum & ventriculum corroborent, assumuntur. De cibariis hactenus. De potu autem dicendũ nunc est, & vino potissimum: nam alii liquores vel ad nutritionem nihil conferũt, vel aduersantur etiam nutritioni plerunque. Vinum verò solũ nutrit, quoniam plus habet ad nostra corpora familiaritatis, quàm alii humores omnes. nam oleum & mel habent quidem & ipsa aliquid conuenientiæ nobiscum, sed non tantum quantum vinum. Sunt tamen vini differentiæ quibus discernatur: inter quas prima est quam color exhibet. Secundam præbet degustata qualitas. Tertia consistẽtiæ debetur. Quarta in odore est. Quintam viribus metimur. De quibus omnibus singulatim differere superuacuũ erat: dicendúmque est quodnam tibi vinum peculiariter conducat. Aliud etenim alii vinum confert, idémque rursus alii minus. Tibi verò conducit tenue & album vinum, quódque parum aquæ sustineat. Nam eiusmodi vinum facile descendit, & succos qui sunt in nobis attenuat, & excernit per vrinas, virtutémque corroborat. Alia vina tibi nõ conferunt, sicut in aliis vtilia sunt. Non videtur ab re, de aqua paucis hîc sermonem facere. aqua tam sanis quàm ægrotantibus commune solatium est, & maximopere necessaria, quòd mũdanorum & singularium elementorum hoc vnum sit, ex quibus vniuersis tota nostri corporis constitutio est conflata. Quamobrẽ de ea fuero haud otiose dicturus. Aqua purissima tribus sensibus iudicatur, gustu, visu, olfactu. Gustu si nullam planè qualitatem præ se ferat, sed videatur ab omni qualitate immunis. Visu si pura, syncera, & exquisite clara. Olfactu, si eorũ nihil inest, quæ in aquis vitiosis esse olfactus testatur: vt sunt aciditas, putredo, acumen, salsedo, aliquódve aliud vitium quod nomine careat. Qua tu autem cõmode quouis & tempore & modo vti possis aqua, sit purissima defæcata, leuis, & fontana, cuius natura est frigida. quòd si etiam cito à præcordiis descendit, potiorem non desiderabis. Haud verò sicut vino, cibis, exercitiis, vigiliis & somno, secundum ætatum & temperaturarum diuersitatem aliis atque aliis vti commodum est: sic etiam aqua non eadem semper vti est ex vsu: immo quàm vtilem esse modo diximus, ea vti audacter poteris, & puer, & adolescens, & senex, quacunque naturæ differentia præditus. Quoniam verò aqua vna plus alia frigida reperitur, hac de causa non omnibus prodest aquæ frigidæ potu indifferenter vti: verum supra modum calidis, pinguibus & carnosis, siue naturali habitu siue acquisito, & his qui se vehementer exercent, quique consueuerunt frigidam potare, innocua est si frigidam bibant. Quòd si aliter aliqui se habeant, minus bi-

bant ex ea. qui verò iuuenili sunt ætate, & in rebus ciuilibus versantur negotiosius, quàm vt exerceri ordinate & victitare queant, fontanam sument, relicta niuali aqua. Hæc nanque tametsi iuuenilia corpora mox offendere non videtur, noxa videlicet quæ paulatim increscit non percepta: tempore tamen procedenti cum ætas declinat, difficulter sanabiles aut incurabiles planè morbos inducere nata est in neruis, articulis, & visceribus. Quam offensionem pars aliqua corporis percipit, quæcūque debilissima est natura. Quam ob rem vti debes fontana, & ea defæcata, de qua plus assumas quàm de vino. Ac de aqua quidē breuibus hactenus. Tempus nunc est, vt de exercitationibus verba faciam. In quibus corpus contentiosius mouendum non est, donec videlicet vires succūbant: nec imperfecte exercitandum, vt membra perspiratione non satis distrahātur: sed vt viribus cuiusque proportione respondeat. quippe vehementia relatione ad aliquid est: quo fit, vt dimotio eadem alii sit exercitatio, alii minimè. Vtile est igitur quēque id exercitationis genus eligere, cui est potissimum assuefactus: nec pugillū, cursorum & luctatorum exercitationem subire. ab exercitatione verò tria imprimis commoda proueniunt: nam instrumentorum duritiam dum inuicem conflictantur, & innati caloris incrementū concitatiorémque spiritus motū efficit: quibus vniuersæ commoditates aliæ sigillatim sequuntur. Instrumentorū nanque duritiam sequitur firmitas, atque immunitas ab iniuriis, quæ vndecūque in corpore expectantur. Augmentum caloris sequitur fortis alimenti distribuendi attractio, & promptior alteratio, & commodior nutritio, & excremētorum offusio, per quam dura quidem membra molliuntur, humentia verò extenuantur & diffluunt, meatúsque totius corporis dilatantur & patescunt. Ex valido autē spiritus motu eosdē meatus purgari necesse est, & euacuari superflua excrementa. cum verò nobis ab exercitatione commoditates tantæ accedant, commodū earum vtendarum tempus inuenire difficile non est. Nam cum alimentorum distributionem adiuuent, nullam oportet multitudinem crudorū, neque ciborū, neque humorum, vel circa vētrem, vel mesaraicas, vel iecur, vel reliqua vasa cōtineri, quia periculum esset ne diffunderentur ad omnes corporis partes, priusquam concocta fierent nutritioni vtilia. Et quia meatus expurgāt, euacuántque superfluitates, melius est ante cibum eas instituere. Corpora enim non pura (inquit Hippocrates) quanto magis nutries, tanto magis lædes. Quare ex prædictis clarum est, hoc tempus exercitationibus admodum cōuenire. illud præcipuè curandum in quocunque exercitationis genere, vt fiat in loco salubri & aere puro. Sed hæc de exercitationibus dicta sufficiant. Crebris autē lotionibus vtere, temperatis & breuibus, non propter ægritudinem, sed quod ad auctionem tuam, nutritionem, conformationémque faciant. Cui rei optimum erit tempus, cum nutrimentum hesternum perfecte concoctum est & subsedit, aliáque iam nutrimenti necessitas impendet: item cum & in iecore, & venis celebrata concoctio fuerit. Id quod sciet medicus qui tibi assidet, & tui perpetuò curam gerit. Nempe vētris exquisitam concoctionem ex deiectionibus: iecoris & venosi generis ex naturalibus vrinis. Vnde constat tibi à cibo lauandum non esse, ne obstructio circa iecur & renes eueniat. Cauebis etiam vini assumptionem protinus à balneis, nam vino caput tentatur: vt conducibilius sit primo temperatam aquam assumere. Igitur non frigidæ aquæ, non vini, non zythi, vel siceræ potus mox cum laueris,

damno carebit:quippe quæ & ipſa ventriculum,iecur,& neruos offendant:ſi nõ temperie,contactu ſaltem. Profuerit inſuper tibi non ſtatim vbi à ſomno ſurrexeris lauare,ſed aliqua dimotione interpoſita:nonnunquã etiam mediocri exercitio. Nam exercitia moderata atque idonea,tuæ naturæ ſunt vtilia,quòd concoctionem,ſanguificationem, & nutritionem meliorem operentur: & ob id non vulgariter adiuuent bonum habitum, vires impleant, tertiámque concoctionẽ perficiant. Sed de his hæc quoque ſufficiant. Proinde ſi te calculorum paſſio repentè inuaſerit,ſi cibum nuper aſſumpſeris, & in corpore fluctuationem præſentiſcas:totũ euomito,ſiue id naturaliter facias,ſiue arte adiutus,vtrocunque modo viſum tuo medico fuerit:poſtea ſomno te cõmittes. Cúmque alia qua in aluo indurata excrementa hærere ſuſpicatus fueris, clyſtere hæc niſi quid prohibeat vacuẽtur. Quòd ſi dolor intolerabiliter affligit,in aquam calidam te dimitte. Veruntamen ne ipſa ſicut paulo ante oſtendimus,abutare:nam calida perfuſio dolorem mitigat quidem,ſed vires etiã reſoluit, quæ morbi cauſam,& quicquid in corpore inutile eſt,diſcutiũt. Poſt vomitus & enemata,fomentis & amplaſtris laborantem particulam delinias:atque id ex medicamentis quæ naturæ ægtotantis conueniant. At ſi lapis defixus in rene ſubſiſteret,acetum ſaccharum, acetum ſcilliticum,& quæ lapidem ſimpliciter conterunt,aſſumere oportet, ſicut eſt decoctum radicis graminis,damaſonii,adianthi,polytrichi,& ſimilium. Quæ ſi in efficaces videantur,iis quæ lapidem frangunt vti poteris,quales ſunt regalium aſparagorũ radices,bdellium ex Arabia aduectum,ſemen altheæ, miliũ ſolis,betonica,ſaxifragia,pulegium,capparis AEgyptiæ radix,domeſticarum ficuum ſemina,& quæ iſtorum viribus ſunt propinqua. Quòd ſi aliquo pacto ne hæc quidem proficiant,vtendum putarim medicamentis quæ lapidem potenter frangendi virtutẽ habeant. Potenter verò diuidunt lapidẽ,lapis Iudaicus(etſi calculũ in renibus fixũ eſt maſculo:ſin in veſica hæreat, & ob magnitudinẽ excerni haud poſſit,fœmineo lapide vtaris. Nã maſculus,lapidem qui in renibus eſt frangit: fœmineus,qui in veſica:)vitrũ cõbuſtum,lapis Cappadox, & paliuri ſemen. Hæc ſunt quæ calculũ violẽtius frãgunt. Si verò craſſus ſuccus in corpore ſubeſt, & vrinarũ craſſarũ euacuatione ſit opus:craſſam vrinã agunt cardui radix, rubia & ſimilia. Quòd ſi frequentes vrinas ducere opus fuerit,freqũẽter vrinas ducent acorus,paſtinaca,aſſarum,ammi,& ſimilia. Quòd ſi natura in deponenda vrina pigra fuerit, ipſam excitabunt ſcordium, chamædaphne, bryoniæ cauliculi, & quæ viribus ſunt ad hanc rem paribus. Quæ verò mouendæ vrinæ naturam habent,ea periculoſius lapidem pellunt:temperatura nanque ſunt acri,& ob id calida & ſicca,inſupérque naturæ colligentis & ſegregantis collectam ſeroſitatem. Sed quæ ignitas conſtitutiones in ſe non habent, rumpendo lapidi ſunt magis idonea,quia incidunt opportune,& minimam caliditatem obtinent. Caliditas autem exiccando porum colligit, non incidit. Quapropter quæ minus calida cũ hoc quod incidendi facultatẽ habent,ſunt meliora. Quæ verò vrinã mouent, calida ſunt & ſicca,atque acria:quamobrem ſecernunt quidẽ ſeroſum ſanguinẽ: ſed quicquid in ſe craſſius ille habet,id cogunt & cõpingunt. Propterea iis qui calculorũ morbo ſunt affecti,apponi nõ debẽt:hæc tamen ſi veluti ductoribus & vectoribus ad locũ affectũ vſi quandoque fuerimus,proderunt. Cæterũ poſt lapidis excretionẽ medicamẽtis vtendũ eſt opportunis ad reficiendũ & colligendũ quæ

morsu, asperitate & feruore descendens calculus exulcerauit, præsertim si magnus atque angulosus is fuit. Postea vbi corpus ex colligentium medicamentorum beneficio, satis collectum agnoueris, tum & foris & intus præseruantia admouebis. Sed ne in hoc rei summam esse putemus: immo quantisper ad prouidentiam hanc opera datur, tantisper cõferentibus tam cibis quàm potibus, & quæ concoquere valeas vtaris. Ex nutrimentis enim & potibus quæ naturæ tuæ conueniunt, balneisque & exercitiis atque similibus, virtutes singulariter corroborantur: sicut inuicem ex illorum contrariis debilitantur & deiiciuntur. Hinc est quòd propter virium erectionem & vigorem, vsus similium maximè desiderentur. Viribus enim roboratis & confirmatis, tantum momentum ad morbi generationem habere nihil potest, quin ab iis ilico profligetur. Quod adeo verũ est, vt nihil subesse in vniuerso corpore inutile eadẽ patiantur. Hæc sunt pauca quæ non equidem in iustam hac de re institutionem, sed breuem submonitionem sedulo tuus minister tibi offero. Quod ad perfectam de his omnibus traditionem attinet, id nobis vetustissimi sapientiæ professores diligenter prosecuti exhibuerunt. Quod restat, medicus qui tibi à latere est, & curam tui perpetuò gerit, meus conseruus & hæc & veterum scripta & tuæ naturæ conuenientia me magis & aliis omnibus, quantum homini permissum est, prospexit ex iis quæ edoctus iam est, & ex naturæ tuæ exprompta cognitione perspiciet. Ei te ergo solum committas, nam ita te ille (quod diis testibus affirmare ausim) sedulo curat, vt quisquam alius curare omnino possit. Quandoquidem is cui natura hominis alicuius perspecta sic est, vt quid secundum naturam in ea sit exploratũ habeat: expeditius aliis omnibus cognoscat, quid præter naturã eidem acciderit. At quanquam animus erat disceptationem de paucis quibusdam in medium afferre, id tamen reseruandum in aliud tempus videtur, nam in præsentia locum habere non possunt. Cuiusmodi est, quinã ab hoc affectu liberari possint, qui liberari non possint: & an lapis hic causa sit, an morbus, an morbi symptoma. Et, si est causa, præincipiensne sit, an antecedens, an coniuncta: idque similarium, an instrumentorum, an vtrorũque. Iam si morbus est, an similaris sit, an instrumentalis, an communis. Si symptoma actione sit læsa, an excernatur quod retinẽdũ erat, vel retineatur quod excernẽdũ. An affectus sit quidã, an vtrũque illi acciderit, vt & causa sit, & morbus, & symptoma.

CLAVDIO GALENO PERGAMENO ASCRIPTVS LIBER, QVOD QVALITATES incorporeæ ſint, Horatio Limano interprete.



Vm nihil è rebus meis ignotū tibi velim, ne ſi id quidem minimum eſſe videatur (hoc ipſum enim abſcōdere aliquid amico non minimum eſt) exponere tibi volo diſputationem mihi cum quodam ea, qua licuit, diligentia habitam. ſermo enim, qui ex improuiſo habetur, diligentia caret: præſertim ſi, cum quibus is habetur, ii ambitioſi contentioſique ſint. Erat verò de qualitatibus ſermo, déque accidentibus omnibus, quæ Stoicorū iuniores eſſe corpora dicunt. Aduerſus quos dicere hæc oportet: an non cum quiſpiam corpus dicit, ſtatim intelligere nos euenit, triplici contentam ſpatio ſubſtantiam renitentem? ſi ſolum hoc dicat, triplici contentam ſpatio: non erit vt corpus magis intelligamus id quod dicitur, quàm vacuum & locum. oportet verò diffinitiones ipſas & deſcriptiones logicáſque declarationes quorundam eſſe, & earum ſolum rerum declaratiuas, quas declarare volumus, non cum aliis rebus communes: quandoquidem de communibus rationem reddimus. patet verò hoc eſſe commune, quod triplici ſpatio cōtētum dico, corporis, vacuíque & loci. id Stoicos fateri neceſſe eſt. vtpote qui vacuum ipſum in tractatu rerum naturæ reliquerunt: quanuis id in mundo eſſe negent. cæteros verò philoſophos intelligere id omnino neceſſe eſt. quomodo enim vacui naturam negarent, niſi ipſum vniuerſum vnum intelligerent? Si verò intelligunt, non aliud quicquam intelligere dicent (ſi verū fateri volunt omnes) corpus. quemadmodum non ſine tempore patet, neque id ſine loco, & hoc ipſo quoque triplici contento ſpatio, vt in ſeipſum rem triplici contentam ſpatio ſuſcipiat. eius rei teſtis eſt ſenſibilium vnumquodque corporum. quod enim verbi gratia cubitali longitudine corpus eſt, palmúmque latitudine æquat, altitudine verò digitos quatuor: loco eget qui ipſum capiat, ſibi proportione reſpōdente. hoc nobis ſtatutum ſit, & de ratione corporis omnis ſpeculandum. Cū talis verò de corpore intelligentia ſit, & ſecundum hanc oratio diffinitiua, patet quenque eſſe fateri paratum, niſi litigioſus ſit, non eandem rationem accipere, neque intelligentiam, nec horum ſingula, id eſt ſpatiorum trium æqualem naturam habere, neque eandem definitionem accipere, neque totum corpus dicere licet ipſam corporis longitudinem niſi per connexionem, ſed corporis accidēs: ſimilis verò in latitudine, altitudinéque, & grauitate, & figura, ratio eſt, & in reliquis, vt ſummatim dicam, qualitatibus accidentibúſque. Sed ſecundum aliquos non ſine corpore hæc eſſe, neque intelligi. quòd ſi conſyderauerimus horam vnā omnia facere, prolongare, & nihil aliud eſſe dicere, quàm vnum ſolùm corpus. innumeræ enim ſunt ſubſtantiarum naturæ ſecundùm proprietatem, & qualitatum, accidentiúmque, quæ inter ſe differunt, variáque ſunt, & contraria. In his igitur nullum alteri idem dicamus, vbi nobis ſermo de differētia habetur, itémque accidens corporis figuram dicemus, patet nos corpus corpori accidere dicturos, quod abſurdum eſt. quod enim eorum ſubſtantiam magis, quódve

accidens dicemus? si vnicum habemus intellectum corporis, vt corporis. qui figuram corpus dicit, aut vacuũ intellectu nomen de accidente profert, aut æquiuoce cum corpore nominat. vtrunque verò absurdum est. etenim significat aliquid. quamobrem nomen est, & intellectum aliquẽ indicat à corpore diuersum, etsi non est à figura separabile corpus. Similis in reliquis accidentibus ratio est, coloribus, saporibúsque, & quæ ad olfactum attinent, & quæ ad auditum, hæ voces sunt, verba, sibili, stridores, popysmi, gemitus, crepitus, rhocasmi, bombi, soni, strepitus. Si verò quispiam dicat, ipsa hæc & quæ talia sunt, omnia esse quodammodo percussum aerem, huic illud Menandri obiicere fas est, Hæc ô nequã perdidit id, quòd non sine corpore tale aliquid intelligitur. quod ego quoq; confiteor: nego tamen rem habentem vnam & eandem habitæ rei existimandum esse. neque enim Cleanthes tuberculum erat, cum hoc ei contigisset in morbo. neque Chrysippus, itémque Epicurus vrinæ substillum, postquam contigit his ex hoc morbo vitam lædere. neque igitur aeris percussio, aer est: sed & natura differt & intellectu, & diffinitione quid sit horum vtrunque declarante. Quòd verò diuersæ sint inter se, & à corpore figuræ, petam in præsenti testes ad hunc sermonem. Aliam geometræ circulo, cæterísque figuris definitionẽ reddunt, aliam corpori, quarum rerum diuersæ rationes sunt, significationésque, longéque magis animi conceptus. hæc omnia quomodo vnum esse quis sapienter dicet? vel si quæ corpori accidũt, corpora dicemus, quorum alicui accidere dicemus, vtrum hæc ex iis sunt, quæ ab omnibus corpora nominari solent, cũ omnibus his communicatione, aut sigillatim cum singulis corporibus. vtrunque enim absurdum est, siue hæc corpoream substantiam habeant, siue dicantur corpori accidere. si igitur corpora accidentia sunt, omnia entia corpora nominaremus: non autem alia accidentia, alia corpora. si verò non corpora, sed aliqua alia, nõ igitur ipsum accidens corpus est. vel si cum omnia hæc corpora sint, his ipsis quod verè ab omnibus corpus vocari consueuit, accideret: id verò similiter dixeris & audiueris, si indiuisibile manere omnibus his accidere dicatur, nõ in æquales numeros diuisis. hoc enim nec aliquid temporis sine dubitatione mãsit, ne minimum quidem. contrà quidem existentibus rebus accidere dicunt. quòd si quis hoc vt absurdum fugiens, æquali numero dicat vocatis accidentibus (quæ & ipsa corpora vocat) substantiam accidere, nescit se rerum naturam conceptúmque immutare, si corpora accidentia dicat, corpúsque accidentibus accidere, accidénsque corporibus corpus faciat. Quare & iure dubitare quẽpiam dico, & dicere oportere, siue æquali numero accidentibus diuisum sit id quod dici corpus solet: singulis horum proprium quoddam accidit, alia corporis pars, alii accidẽtis parti accidet. aut si accidentia corpora sunt: omne verò corpus in infinitum diuiditur, singula horum infinitorũ corporum omnibus aliis accidentibus, cum hæc quoque corporata sint, accident. Cõsydera quammulta absurda eueniũt, corpus corpori accidet: idémque cum vnum putetur, infinitis: simúlque & totum & non totum. totum quidem, si vniuersa figura, rotunditásque mali quanta est, omnibus aliis, quæ malo accidunt, accidat. non totum verò, si ex infinitis membris singula non eadem ei sunt, ex quo dissecta sunt. vel si corpus mali corpus est, & figura, colórque, & odor, & gustatum spectans sapor, & vnumquodque horum in infinitum scinditur per se, an non ex infinitis malis compositum erit? quorum

vnumquodque & rotundum erit non aliter quàm totũ malum . siquidem eiusdem particeps est figuræ,luteúmque,dulcéque verbi causa aut austerum, taléq; ad olfactum est,& rursus singulæ infinitæ partes malum erũt,si omnia hæc habent.ex infinitis igitur corporibus magísque malis compositum erit quod oculis malum elucet.quæ res multis modis ridicula est. verùm sanè & partium vnaquæque rotunditatem non habens,non erit amplius malum,sed pars mali:cum figura enim rotunda erat malum.si verò vnum malum solum est,ex vnica cor porea substantia, multis verò diuersis accidentibus constabit, an non manifestum est, nullum corpus esse? vtrum horũ singulorũ proprium locum obtinet, an omnia eundem?si proprium,patet neque proprietatem qualitatémque inter se habere mutuò communicatam, neque malum esse in rotundum formatum, neque pallore coloratum,neque ad gustum se certo modo,aut ad olfactum habere.si verò simul omnia sunt,& vnum locum occupant, proprietatum confusio est, vt in compositis mistísque è pluribus & diuersis generibus medicamẽtis, in quibus proprietas qualitásque vniuscuiusque mistæ materiæ syncera non seruatur, sed vnum quoddam vndique fit. non igitur syncera est singulorum cognitio generum,huius rotundæ mali figuræ,coloris huius, & singulorum accidentium cæterorum: itémque magis nisi appositæ inter se tãgant hæ partes,sed per totas totæ mistæ sint,propria vniuscuiusque qualitas perit. sed neq; mistionem licet hanc proprie dicere.quomodo enim per se proprietates aliquæ vnitæ non sunt atque detentæ?hæc mista dicenda sunt.Ipsum verò infinitum intenditur orationis,si & lõgitudo corporis corpus est,si latitudo & profunditas. simul enim infinitæ inquam erunt corporum infinitudines in breui loco ad sensum circunscripto.itémque multorum horum magísque infinitorum corporũ multitudo.an igitur sempiternam,quomodóque substantiam primam qualitate carentem amplius dicent?ex qua & mundum ipsum,& vnãquanque speciem particularem factam esse dicunt.aut è tẽpore quodam facta sunt:& omnia in idem conuenerunt,vt ex cooperatione syncrimata,hoc est res compositæ fiãt. verùm hoc quoque maxime absurdum esse dicimus: idémque multis modis.primùm, quòd non vnius esse materiæ corpora videntur. multæ autem infinitæque differentiæ communis substantiæ sunt : alia quidem figurarum specie infinitarum: alia verò coloris,huiúsque numeri secundun speciem:alia saporis gustatum spectantis,cuius rursus interminata differẽtia est.alia verò eius est,qui ad olfactum attinet,cum hic quoque varietatem plurimam hàbeat. infinitæ igitur erunt in ipsis infinitudines & differentiæ qualitatum corporatarum. vna autem erat, quæ facta est,quam super incertas scilicet partiri oportet. quanquam opem hãc quandam habeant,vt corporeæ fiant. anteuertũt sanè corpus,substantiáq; quædam esse factæ.singuláque corporum horum infinitorum in infinitum si secentur: quomodo infinitudines infinitæ concurrent,& quando? ipsum enim infinitum pertransiri non potest,& lumen corpus est & albedo,colórque.omne verò corpus quotum est & quantum , & coaugescentem naturam in se habere videmus,incalescénsque à sole aqua cumulatior maiórque fit,vt maiori loco egeat. quomodo verò in angustum locum nec milii verbi gratia corpus excedentem figuratio,reliquorúmque accidentium singula conueniunt? simúlque spirare & ab æterno,neque mutari deberent in vniuersum neque corrumpi. ipsum enim

æternum immutabile est, quales sunt deorū naturæ. si verò hoc verum est, quomodo aliquam trāsformabimus verbi gratia ceram? quídque fiet, si cum in quadrangulo sit, rotundam eam efficiamus? an substantiæ figura quadrangularis erat? si enim substantiæ ceræ antè erat, nunc rotunditas est, vnde hæc venit? & qua causa inducta tum est? si per corpus, absurdum id est. corpus enim per corpus ire, cogitationem fugit. siquis renitentiam instituat, id proprium corporis est, vt de hoc præcedens sermo docet. si per vacuum, absurdum nihilominus est. quoniā nihil esse in mundo Stoici vacuum dicunt, corpúsque rotunditatem esse, reliquáque accidentia, & figuram. quæ & ipsa rursus ex altera corporata figura fore vt sit patet, & illa ex altera, & hoc in infinitum. et si ex rotūdis quæ in infinitum secantur, figuris aggregatum hoc visui nostro rotundum factum constat, fabulam consydera, quantáque figmentum hoc infinita sequuntur. Si non ex rotundis, quomodo ex his aliquid rotūdum fit? ridiculum quoque est, si dicas in figuras rotundas figurā rotundam diuidi: eo contrà id teste adhibito, quòd quadrangulum in quadrangula non diuiditur. quid verò in transfiguratione ceræ dicent? vtrum inter se cedūt vnà cum intellectu diuersorum corporum figurationes? & quomodo non ridiculum, tanquam animatas & rationales substantias exire, cederéque inter se ceu è constituto: magísque infinitum etiam fit quod dicitur, si porrigimus vnà cum cogitatione digitos & contrahimus. si enim non accidens est pugnus neq; porrectio, sed incorporea, infinitas simul figuratas figurationes abscedere, accederéq; dicere oportet. quòd si duas solas esse dicas, nec numero æquales secūdum porrectiones & cōtractiones, adhuc varie infinitum est quod dicitur, adhúcque magis infinitum, nisi contractionis porrectionísque figurationes accedant, sed altera in manu, altera defluit. oportebat enim momento temporis ordinem dissolui, inter se latenter ab hoc cedentibus corporibus. Ad hoc verò dicent, si quidem communitatis causa sunt effectiria corpora, quonam pacto acetum fiat? quomodo verò incoctionem parat? quomodo abit? vnde veniunt effectitia qualitatis aceti corpora? si verò vna res cum vino erat, quomodo tunc vinum erat, & non acetum? signum quædam ex vtroque tertia qualitas est: quæ neque vinum neque acetum est, siue per mistionem temperatura est, siue per appositionem, ad ea quæ absurda dixi: nihilominus etiam dicere oportet substantiam esse è multis variísque & differentibus atque contrariis infinitísque, aut solis non infinitis numero collationibus compositam: itémque in infinitas rursus collationes diuisam, vnam hanc quandam quæ cernitur, verbi gratia, mali naturam: quam Stoici primam materiam, primámque substantiam vocant, è qua aiunt & mundum, & eorum quæ ipso continentur vnūquodque factum, semper vti qualitates corpus erant, quomodo non erat hæc quoque qualitas? siquidem qualitatem habebat, si alias qualitates non habebat scilicet, omnino inesset pondus, quæ corporis esse dicunt. quomodo simplicem etiā primam substantiam dicunt, non autem compositam? Si verò terminatam esse dicunt, terminísque vtentem, paret huic figuram esse. absurdum enim est propriis circunscriptum terminis corpus non secundum figuram omnino esse: et si non menteconciperetur hoc ipsum secundum suppositionem. Quare si nouerūt hîc omnia, hæc verò sunt (vt dicunt hi) corpora, neq; qualitate expers scilicet, neque simplex erat. multorum verò & diuersorū corporum counentus erat atque col-

lectio.sic verò nihil non mistum erat secũdum ipsos.sin autem nihil horum habebat,primum quidem animo incomprehensibile, & præter nomen nihil est. si enim tale esse non oportet,nihil est.si quale,non autem dimensiones tres habere & figuras,omnino huic accidens proprium cogitationémque fugiens, neque graue hoc esse,neque leue: non minus absurdum si quispiã dicat hoc habere simul vtrunque, & secundum eadem,non ad diuersa comparatũ. neque illa substantiam habente eorum,quæ ab ipsa(vt inquiunt)facta sunt,cum singula quatuor qualitatem prima habeant. rationabilius enim est,si qualitate expers erat, quæ ex ea fiunt,fingũtúrque illam habere.si verò nec illa hanc haberent,neque vnum secundum suppositionem sunt,ætherius verò ignis ille esset,à quo & elementa & mundum facta esse dicunt,quomodo hæc sese habent genita effectáq; & ficta,non magis auri qualitatem figulus iis,quæ è luto fingit,circũponet. medicus igitur author vnus de multis medicamentis æquam qualitatem omnibus habentibus diuersum qualitate medicamentum per mistionem efficit. Iouem autem negant miscere primæ substantiæ figurationem,longitudinémve,aut aliud aliquod accidẽs. si verò miscet,cum entia quoque ipsa sint, hæc propria esse patet. quomodo etiam dicunt solam primã materiam æternam esse qualitate expertem,non verò reliquas qualitates,omniáq; accidentia?neq; enim effectorẽ esse veluti manualem artificẽ Iouem dicunt,sed totũ per materiam totã illabentem rerum omniũ creatorem factum. diuiniq; ignis quãtitatem & singula quæ quãtitati accidunt,longitudinem latitudinémq; & profunditatem:itémque eius rationabilitatem & beatitudinem,si substantias esse dicẽt,& corporeas eas fatebuntur,è corporibus Iouem constare patet,nec simplex esse,sed compositum. si verò sine substantia naturas ipsas in accidentibus dicẽt,superat quod à nobis dicitur,non corporatam substantiam accidentibus esse,neque qualitatibus.si verò transformans se ipse Iuppiter æquali cum iis numero quæ dixi accidẽtibus,mutationes infinitarũ qualitatum habet,peior fabulis agitato Proteo est. hic enim in paucas naturas transponebat,transformabátque,eásque non indecoras.

Barbati in primis formam capit ille leonis.
Póstque draco pardúsque fuit,sus deinde fit ingens.
Humida factus aqua est,atque arbor frondibus alta.

Ille autem quin turpe fiat non est.per virũ quidem imprudentẽ,imprudens scilicet est.per sentẽtiam autẽ de turpi,turpia efficiẽs.per animalia irrationabilia,in ferinã naturam versus.per lapides & ligna,expers animæ factus. per fœda tractãtem,abominabilis natura, itémq; inutilis. si ipse verò vtpote materiã trãsformare figuraréq; & facere quærit,quomodo potest hæcipsa facere nõ magis fictor quàm statuã auream è plũbo facere potest?illáq; amare contẽtiosis viris nõ absurdũ est. etenim si motus accedũt corporibus,rursúsq; recedũt,corpora esse dicũt.Iã vt dicamus hora est,moueri nos præcedẽtibus corporibus,rursúsq; ab ipsis quiescere. deĩde affectus accedũt, rursúsq; recedũt,dicũntq; hæc corpora esse.quomodo nõ ridiculũ est,pruritũ dicere corpus,nec solũ quod scabit,sed etiã quod scabitur?sed quoniã sine corpore & agẽte & patiẽte nullus affectus fit,eo capti sunt,vt & affectus ipsos corpora vocẽt. verũ si per modũ nominandi per relationẽ sic nominarẽt,neq; ego in illos inueherer. noui enim sic quoq; vitem dici albam per relationẽ ad albos ab ipsa factos racemos,& mala tempora propter calamitates quæ in his accidunt.& no-

ctem auxilii expertē, in qua auxiliū non assequimur. si verò primùm principalitérq; vocēt, errant. rē enim figuratā corpus dicimus, affectámq;, & motā, nō autē figurā, affectúmq; & motū. neq; pugnū esse corpus, sed manus quodámodo figuras. itémq; faciēr aduersus eos, qui dicūt neq; fieri corpora, sed sola incorporea. quid ad Aristotelē? qui & ipse generalem rerū diuisionem faciens, alias esse substantias dicit, alias accidētia. quid ipsi quoq; sibi volentes dicunt substātias & accidentia? si & hæc corpora dicūt, quæ neq; vt partes corporis corpora nominantur, veluti manus digitúsq;, neque veluti in trutina mina. si quidem figuram hominis corpus dicunt, iam tempus est vt animalitas corpus dicatur, generabiléq; & corruptibile, rationabilitásque atq; prudentia, Atheniensémque esse. atque in philosophia versari, & Sophronisci filiū esse, simúmque & caluum, & prominēs habere abdomen, cæterísq; accidētibus paria numero si corpora dicas, vltra Briareum Typhonémque ipsum, multiplicē magis magísque corporarū esse animal dices. sique animalitas corpus est, quomodo cunctis animalibus accidit? quomodo ipsum esse? quomodo in loco esse? ac si quemadmodum proprium locum occupat transparens corpus omnis oculus, sic & accidentia singula, id absurdum est. sic enim horum admistio nulla aliqua ipsorū natura efficietur: difficiléq; est, vt dixi, si omnia locum vnū occupare dicas: cōfusa enim dum miscentur in vase, alteritatē non seruaret, neq; suam vnūquodque naturā, vt in mistis medicamentis fieri dixi. vtrum inquam totū animalitatis corpus tam multorū accidentium singulis accidit, an prout numero pari diuiditur? vtrunque enim absurdum esse præcedentia verba demonstrarunt. quid autem inquam egent corpore singula eorum, si ipsa esse corpora dicunt? inde verò accidens nullum esse corpus disceres. oculis enim occlusis corpus quidem tactu spatio temporis deprehendimus, colorē verò aut saporem non vnà deprehendimus, neque figurā, corpus tangentes. oportebat autē singula hæc à materia non tactus cōprehensione deprehēdi, neque enim ratione mali (verbi gratia) rotūditas speculanda est. similis de sapore ratio est. acsi vnūquodque accidens corpus est, quid sibi volentes inquiūt, solum corpus in infinitum diuidi: non autem figuram, dulcedinémque (verbi gratia) & quæ reliqua sunt? non cōnexionis modo dico, neq; relationis ad id, quod corpus vocari solet, sed recti modo. Cur verò solius, vt dixi, corporis hāc esse definitionem dicunt? triplici cum renitentia spatio contentum, non autem colorem, succúmque, & saporem, cæteráque accidentia singula sic definiūt? si corpus omnia hæc esse dicunt, etsi enim specie differunt, cōmuniter tamen omnia esse corpora dicunt. quemadmodum igitur cum hominem definio, cum equū & bouem, generabile animal & mortale dicam, quæ communia sunt, proprietatem verò singulorum addam: sic quoque accidentia singula definiētes, substantiam corporatam dicant triplici contentam spatio cum renitentia. Hæc à Stoicis chare Pindare solui dignum puta, non alios secum vnà trahere, vt iisdem erroribus implicitos, sed accusationes demoliētes. non enim est falsarum opinionum contradictio aut communicatio ad amicos, sed solutio.

Claudii Galeni Pergameni ascripti libri finis, quòd qualitates incorporeæ sint.

CLAVDIO GALENO PERGAMENO ATTRIBVTVS LIBER DE bonitate aquæ.



Ptimam aquam aptiſſimam eſſe congruit non ſecundum guſtum ſolum, ſed etiam ſecundum odorem. Erit autē iſta certitudinaliter pura & delectabilis ſimul bibenti: & vt oportet ſecedens ab hypochondriis, quo non erit ei aliquid melius: de hac enim Hippo. dicit, aqua quæ cito caleſit, &c. Quāuis etiam in eis quæ lutoſum aliquid vel fœtidum vel pharmacoſum oſtendunt ſecundum guſtum, huiuſmodi dignotio in decoquendo fit vtilis. Scaturiginoſæ itaque aquæ (voco autem ſic & eas quæ ex puteis, eo quòd non ſunt fluentes) nō ſunt valde ſubtiles: & intus aſſumptæ, minus madefaciunt, & diſſoluunt cibaria, & minus digerūtur, & non bene minguntur, eo quòd frigidæ ſunt: fiunt autem potabiliores quādo frequenter hauriuntur, ac ſi fluerent. Paludoſæ verò omnes ſunt peſſimæ. odorem enim habent inconuenientem, ſicut putreſcētem: & æſtate quidem fiunt calidæ, hyeme verò frigidæ, quod eſt maximum ſignum malitiæ aquarum. AEſtate igitur ventres perturbant. à veſica verò tardè pertranſeunt: multoties autem & dyſenterias faciunt: hyeme verò ceu frigidæ exiſtentes, ventres humidæ nō valde turbant. Sciſſiones autem & pleureſes & tuſſes faciunt: conuertuntur verò ad ſplenem: & aliquando deſinunt ad hydropē. Solæ autem paludoſæ quas vidi in AEgypto ſunt ſanæ: quoniam æſtate quidem non putreſcit aqua: Autumno autem replens eas Nilus, antiquam quidem extrahit, aliam verò nouam in eis ponit. Aquæ verò fluxibiles, multo ſubtiliores ſunt, & ad vrinationem meliores. Et omnes quarumcunque fontes verſus Orientem fluunt, humiditate & ſubtilitate, & bono odore, & vt ſint moderatæ, frigidæ & calidæ, excellunt alias. Quæ verò fluunt verſus Septentrionem, dulces quidem ſunt, in frigiditate autem excedunt. Quæ autem verſus Occidentem, violentæ quidem ſunt infrigidando, violentæ verò & in duritie: propter quod brancoſæ ſunt, pleuriticæ, & ſpaſmoſæ: quæ verò verſus Auſtrum, ſalſiores ſunt, & calidiores, & ad vrinandum non idoneæ. Sed quanuis non laudem fluentes verſus Auſtrum aquas, Nilum tamen ita laudo, vt ſicut mihi videtur, paucis comparetur fluuiis ſecundum bonitatem aquæ: & ſubit ventrem: & mulieribus in partubus confert. Secundum terræ verò naturam ſcire oportet, quòd alia quidem eſt planities, alia verò ſummitates & montes. Sed plana quidem deterior eſt ad effluxiones aquarum: & vt plurimum ſunt putei ibi foſſi & fontes ſtationarii. In ſummitatibus verò ſunt fontes meliores, & aquæ puriores, & melioris odoris, & dulciores eis quæ ſunt in planitiebus. In aliquibus enim earum eſt ſalſedo, aut nitroſitas. in aliquibus tamen non: & vocant huiuſmodi terram dulcem vbi aqua melior & potabilior fit, & tales ſunt ſanæ. Petroſæ verò ſunt plus aliis, & abſque hypoſtaſi. Maxima etiam fit differentia aquis & ex metallis, & herbis natis ibi. Metalla igitur ad animalium habitationem nocua ſunt, & ad aquarum potationem: herbæ autem aliquando quidem nocent valde aquæ, aliquando autem iuuant: ſicut ſium & calaminthe,

& adiantum:hæc enim in riuis plurimum nascũtur. Et bonis quidem aquis nocent, malas autem iuuant si permisceatur aliquid pharmacosum aquis: fiunt autem & ad vrinationem meliores huiusmodi aquæ. Attẽdere igitur oportet non minus, ne à terra, vel aliter aliquod malũ adueniat aquis quod in principio fontes non præbent: sed ibi quidem est dulcis aqua, alibi autem salsa & nitrosa. Aquas verò pluuiales scio leuissimas esse, & subtiles, & puras, & bonas, & dulces gustui. Educit enim sol & rapit quod est subtilissimum, non dulcibus de aquis solum, sed etiam ab ipso mari: aliquando verò à cadaueribus & ab aliis corporibus, vnde putrescit citissime omnium : quando enim putrescit, qualitatum expers fit: & qui eam biberit, occupatur branchis, & tussibus, & grauedinibus capitis. In eis verò quæ bonæ sunt, siquid decoquatur, cito decoquitur: & si aliquid calefiat, cito calefit. Et si vino permiscueris modicam, ad digestionem & vrinarum secessionem erit benigna, & hepati, & spleni, & renibus, & pulmoni: sicut enim non habentes virtutem fortiter infrigidantem, decenter propitiæ fiunt. Vernales igitur & hyemales temporaneæ sunt & optimæ, quas ego maxime laudo. Autumnales verò & æstiuales, cum in generatione differant, & in bonitatibus, non est dicere quantum à vernalibus deficiant. Terra enim vaporat siccius in æstate & Autumno. Et aer habet permistiones terræ multas quas purgant pluuiæ: & propter hoc huiusmodi aquæ sunt duriores, & ad secedendũ & abstergendum quidem sufficientes secundũ intestina. Non bonæ autem sunt renibus, & pulmoni, & arteriæ. oportet autem vinum plurimũ inferre his, vt earum vincantur malitiæ. Differũt autem aquæ & penes spiritus. Boreas enim si flauerit, dulcior quidem erit, & frigidior. si verò Auster, minus quidem dulcis: calida verò magis. Omnino autem quæ fiunt in ariditatibus aquæ, nitrosiores sunt eis quæ fiunt in pluuiositatibus. Ipsarum etiam pluuialium aquarũ melior est tonitrualis, quàm procellaris. Quæcunque verò sunt à glacie & à niue dissolutæ, sunt malæ: nam quando congelantur, exprimitur ab eis id quod est subtilissimum, & fiunt duræ, & in frigiditate excedentes. Dura autem aqua & frigida, neque ad digestionem, neque ad vrinationem est idonea. mala verò est pectori & lateribus, & spasmos suscitat, & tetanos, & ruptiones in thorace, & sputiones sanguineas, & empyemata: & permanet secũdum ventrem multo tẽpore, gurgulationes ibi operans: & si cholericus humor ibi fuerit, corrumpitur simul cum eo. & quãdo subexierit vix à ventre ad ieiunum, non distribuitur faciliter, neque sputũ reducit. Non nutrire aquam, sed solum esse vehiculum cibi, Hippocrati & Chrysippo & Erasistrato videtur: & propterea neque vitalem virtutem putant eam confortare: & est causa quare iubent melicratum, & oxymeli, & vinum dare in ægrotantibus ab aqua. Quæ igitur maxima sunt, in sermone dicta sunt. Dicantur autem & alia signa bonitatis aquæ. Quæcunque quidem æstate sunt frigidæ, hyeme verò calidæ, optimæ esse videntur. Quæ verò consimiliter habent in caliditate & frigiditate omnibus horis, pessimæ. AEstate enim in superficie fit caliditas, in hyeme verò in profundũ mergitur. & propterea, vt mihi videtur, omnes fontes quicunque per profundissima loca fluunt, & quicunque per cauernosa, hyeme quidem calidissimi sunt, æstate autem frigidissimi. Et propter hoc etiam omnes qui sunt in superficie, permutantur simul cum horis, quantumcunque habeat caliditatis vel frigiditatis. Mirabile autem est quoniam in quibusdam hyeme

quidem disparet aqua, æstate autem abundat, quamuis contrarium deberet esse. Sed & huiusmodi causa est caliditas, quæ simul ducit secum profundas aquarū: ii nanque sentiunt calorem. quicunque enim profundi sunt fontes, & non recipiunt multum ab extrinsecis pluuiis, inuenies in hyeme quidem & vehementissimis frigiditatibus paucissimos, æstate autē maximos. quocirca & qui in Delo est locus, hoc patitur propter easdem causas, & putei multi in Pytho. Vna itaque bonarum & malarum aquarum est cognitio, si in hyeme quidem est calida, æstate verò frigida. Secunda verò, si pura est & non læsa secundum colorem, neque malam habet hypostasim: alia verò, si est leuis & facilis ponderis. quæ enim in pondere est leuis, non est permista terræ. Consyderare autem oportet etsi cito calefit & infrigidatur. melior est enim ista aliis, & qualiter ad digestionem habet, & qualiter ad secessionem. Quæ enim cito digeruntur, sunt meliores, & quæ secedunt secundum vesicam. mala enim est quæ per intestina aquarum secessio. Differunt autem aquæ secundum colorem & regionem, & oportet de his ab hominibus locorum interrogare. Est enim aqua in Leontinis, quā siquis bibit, moritur. talis autem alia est in Ereo Arcadiæ, quam vocāt aquam stygis. talis etiam alia est in Thracia. Et locus in Sauromatibus, super quem neque auis volare potest: & alius secundum Medos, super quem & regio stat nigra, quæ approximata igni accenditur. & hoc pharmaco aiunt Medeam corrupisse filiam Creōtis. Est etiam & circa Susam aqua, quam siquis biberit, amittit dentes. Sybaris verò fluuius viros ingeneratiuos facit: is autem qui in AEgypto depilat capita bibentiū. harū itaque scire naturā est mos, interrogādo ab hominibus illorum locorum. Conuersantes autem vbi est praua aqua, ingeniari oportet facere eā potabilem. Optimum igitur est coquere eam in lagenis figularibus, & infrigidando per noctem, & rursus calefaciendo bibere. Si verò exercitui oportet præparare bonam aquam ex mala fouea, decet fodere ab altis locis ad deorsales, & per has ducere aquas, immittēdo ad foueas in quibus sit dulcis terra & pinguis: & exinde lagenam transfluat. semper enim in foueis remanebit aquæ malitia.

FINIS.